

D. IV. 13

Vox Salomonis.

Patrũ Camaldulen. Eremi Insulæ Murani
empta à Comenta Graconica. Q. Patrũ Prædi-
catorum Aº 1637 & Catalogo inscripta huj.
Eremi Aº 1662.

VOX SALOMONIS.

Tempus putationis aduenit,

Cant. 2. V. 12.

Quæ

~~Ad vſum F. Blaſij Dacy. A. D. 1652. die 20. Febr. fl. 4.~~

Senſu Morali

Omnes homines (Chriſtum Dominum & Matrem eius ſanctiſſimam excipiendo) ad putationem peccatorum ſuorum inuitat, & idonea tempora falcesque aptas pro eadem indicat,

Explanata

A PATRE MATTHÆO VARSAVIENSE
E Societate IESV Theologo.

CRACOVIÆ,
In Officina Franciſci Cæſarij, S. R. M. Typog. A.D. 1651.



Illustrissimo Principi, ac Reuerendissimo
DOMINO,

D. CASIMIRO FLORIANO CZARTORYSKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ,

EPISCOPO POSNANIENSI,
DVCI IN KLEVAN.

Domino & Patrono Colendissimo.

MAgnum Ecclesiæ Catholicæ lumen S. Hieronymus, cùm vereretur, ne libri, quos ex Lingua Hebræa in Latinam verterat, à quopiam iniuriosam censuram paterentur, Prologũ illis præfixit, quem *GALEATVM* vocauit. Immunitatem illis à maleuolorũ dicacitate tali Prologo comparatam esse vir sanctus iudicauit: qualem suo capiti ab acie

 hostilis

hostilis gladij comparat, qui illud firmâ galeâ tegit. Atqui meum hoc exile Opusculum, non Prologo Galeato, sed Milite cataphracto gloriari videtur: quando Tuæ Ill^me Celsit^nis nomen auspicatissimum, sibi inscriptum præferens, Tuum item Gentilitium Equitem, totum cataphractâ munitum, pro tutela habens, in lucem prodit. Multis hic Eques saluti fuit, multisque in locis trophæa posuit: vt idcircò omnibus, qui rei militaris virtute præstant, illo eum elogio celebrare liceat: *Viri bellatores tui, clypeum & galeam suspenderunt in te, pro ornatu tuo.* Habet proinde hoc Opusculum, cur sibi talem tutorem gratuletur, & illo præuio, ad cuiuslibet conditionis homines dandum sibi aditum speret. Sed & ipsa vtilitas rei, quam tractat, fauorem illi vbique conciliare posset. Quid enim putatione peccatorum potest esse humanæ animæ vtilius, cui vox illa diuina congruit:

Ezech. 27. ℣. 10.

congruit: *Iſte eſt omnis fructus, vt auferatur peccatum eius.* Tu ipſe Ill^me PRINCEPS in publicis ſuggeſtis, & in maximo hominum concurſu, ſæpiùs hîc Cracouiæ, talem putationem verbis ampliſſimis, rebuſque ad perſuadendum lectiſſimis, feliciter peregiſti. Et ſanè mirum fuiſſet, ſi Tibi ſilentiũ imperare, & huiuſmodi putationem negligere potuiſſes, tantus omnis honeſtatis & vitæ integritatis cultor, in quo nihil deſiderare. Aurelius Victor, qui in Traiano à Principibus viris hæc tria requirebat: domi ſanctitatem, foris fortitudinem, vtrobique prudentiam. Deinde tantâ doctrinâ præditus, quantam ſuſpexit Roma, cùm Te publicè ſolenni ritu, Doctoris titulo exornaret: quantam item à futuris Epiſcopis Concilium Tridentinum exigit: ſcilicet, vt in Vniuerſitate Studiorum, Magiſtri ſiue Doctores, aut Licentiati in Sacra Theologia vel Iure Canonico, meritò

Iſai. 27. v. 9.

Seſſ: 22. cap: 2.

meritò sint promoti: aut publico alicuius Academiæ testimonio, idonei ad alios docendos ostendantur. Putare ergo Auditorum peccata, quia Te Ill^me PRINCEPS non pigebat, ista Te tam sublimis virtus, cum alijs non paucis virtutibus, quouis Sacrorum Antistite dignissimis, præsertim cum tam acri diuinũ honorẽ propagandi studio coniuncta, inaugurabat: ipsoq; Deo ita decernente, & cor Serenissimi Regis dirigente, ad celsissimum Episcopalis dignitatis gradum extollebat. Quem cùm iam omnium Regni Ordinum applausu ascenderis, omnes Tibi lætãti animo eum gratulamur: & vt cuncta faustè, feliciter, prosperéque eueniant, precamur.

Ill^mæ ac Rñd^mæ Celsitud^is Tuæ

in Christo seruus

Matthæus Varsauien.
Societatis IESV.

PROOEMIVM.

Quod inprimis horum verborum: Tempus Putationis aduenit. *Cant. 2. versu 12. sensum literalem indicat: deinde multiplicem illorum lectionem ponit: tum quomodo eadem verba nouæ legi conueniant, ostendit: postremò quidnam occasione eorundem scribendum sumatur, aperit.*

VErnum tempus *Canticorum 2.* describitur, cùm alijs, tum illis etiam *versu 12.* verbis: *Tempus Putationis aduenit.* Arbores enim & vites, ne sarmentis siluescant, & nimiâ fruticatione steriles fiant, commodè verno tempore in nonnullis, potissimùm autem in frigidis regionibus, putantur. Notauit hoc Columella, vbi indagans, vtrum tempus, vernumné an autumnale pro putatione sit melius: Melius est, inquit, vernum, antequam surculus progerminet: quoniam humoris plenus facilem plagam, & leuem, & æqualem accipit, nec falci repugnat. Deinde addit: Sed nec vbique verno tempore omnibus regionibus melior putatio est. Nam vbi cœlum frigidum est, ea sine dubio eligenda est: vbi verò aprica loca sunt mollesque hyemes, optima & maximè naturalis est autumnalis: quo tempore, diuinâ quadam lege & æternâ, fructum cum fronde stirpes deponunt.)†(Pro-

Colum lib. 4. de re rustic. cap. 1°.

Pro diuersitate cœli diuersum putationis tempus.

Proinde immeritò aliqui, cùm verno tempore arbores & vites posse vspiam fructuosè putari non sentirent, declinârunt in illo loco Canticorum vocabulum Putationis, & maluerunt legere: Tempus Cantillationis aduenit. Nec est, cur quis dicat, hanc lectionem ex ipsa notione vocis Hebraicæ ZAMIR erutam esse. Nam vox ista non solùm Cantum seu Cantillationem, sed etiam Putationem seu incisionem significat, vt Sanctes Pagninus in suo thesauro linguæ sanctæ, & M. Marinus in simili opere nonnullis exemplis ex sacra Scriptura desumptis ostendunt. Imò, vt annotauit Lorinus, radicis ZAMAR, a qua deriuatur nomen ZAMIR, prima significatio est amputare, posterior autem & translata est, cantare, quòd cantus mœstitiam & angores animi amputet. Vnde apparet, quòd potiùs vulgata versio primigenium etymon dictæ vocis Hebraicæ expresserit: vt etiam, præter paraphrastem Chaldæum, Septuaginta interpretes vocabulo τομῆς, & altero κλαδεύσεως Symmachus & Aquila expresserunt. Hæc enim nomina propriè sectionem, & teneriorum ramusculorum amputationem significant.

Pagnin & Marin. in ZAMIR.

Lorin. in Psal. 118. ℣. 4.

Neque tamen commemorati auctores à vulgata versione ita desciuerunt, quin & ipsi suo cantillationis vocabulo tempori verno faueant. Quod enim aliud tempus æquè ac vernum, est cantillationis tempus? Tunc enim cantillando agricola boui aratori (inquit S. Gregorius Nazianzenus) iugum innectit, dulcemque sulcum proscindit, ac spes lætas fouet. Tunc opilio & bubulcus fistulas aptant, ac pastorale carmen inspirant. Tunc aues cantu suo nemora implent, hominemque garritu demulcent. Tunc denique vniuersus mundus dulciter cantitare videtur: cùm sol sublimior magisque aureus: cùm lunæ orbis illustrior, & siderum chorus purior: cùm & fluctus cum littoribus, & nubes cum sole, &

Tempus cantillationis est ver.

Greg. Nazian. sub finem orat. 43.

le, & venti cum aëre, & terra cum stirpibus, & stirpes cum oculis in gratiam redeunt.]

Occurrunt hîc alij auctores, qui docent, posse illo loco Canticorum legi: Tempus collectionis aduenit. Id autem cùm docent, ad sententiam S. Gregorij Nysseni & Pselli alludunt. Hi enim ambo senserunt, de putatione florum Salomonem locutum esse, & indicatum ab eo idoneum temp⁹, quo flores carpantur & colligantur, sertaque nectantur. Verùm hæc sententia, cùm nec Hebraicæ, nec Græcæ voci innitatur, quomodo subsistet? Sed neque hi auctores suâ versione verno tempori quidquam officiunt. Planè enim collectionis tempus est ver, quo colligere licet (vt scripsit S. Ambrosius) purpurascentes violas, candida lilia, rutilantes rosas, alioque variorum colorum flores, in quibus nescias, vtrum species ampliùs an vis odora delectet.] Ita tunc post asperæ hyemis frigora, radijs solis calefacta & reuiuiscens terra, quæ cum voluptate & etiam cum vtilitate colligantur, affatim fundit.

Greg. Nyssen. Hom. 5. in Cant. Pssell. apud Theodoret. in Cant.

Tempus collectionis florum, est ver.

Ambr. lib. 3. Hexam. cap. 8.

Sunt etiam qui asserunt, posse eundem locum Canticorum ex Hebræo sic verti: *Tempus Plorationis aduenit.* Esset autem operæ pretium, inprimis, si quodnam suæ assertionis fundamentum in lingua Hebræa habeant, aperirent. Nam quod de illo liqueat, prorsus non inuenio. Deinde si ostenderent, quomodo verno tempori mirificè amœno & læto iniurius non sit, qui illud Plorationis tempus appellet? Potiùs appellatio talis congrueret hyemi, quâ (vt inquit Gregorius Nyssenus) & quæ germinârant, marcescunt, & arborum pulchritudo, quæ naturaliter suam venustatem ac decorem accipit à folijs, excidit à folijs, & miscetur terræ. Musicarum auium silet concentus, fugit luscinia, torpet hirundo, à nido peregrinatur turtur: imitantur omnia tristitiam mortis: interit germen, moritur herba.]

Franc. Mendoza in 1. Reg. c. 1. N. 11. annot. 9. sect. 2. Balth. Pæs. in 4. Lac. ℣. 9. § 6.

Greg. Nyssen. Hom. 1. in Cant.

Ver quo sensu sit plorationis tempus.

Si tamen aliquam plorationem verno tempori adscribere licet, illa, quæ putationem subsequi solet, non incommodè adscribi potest. Nam pleræque arbores, potissimùm autem vites, cùm putantur, eo in loco, in quo recisum est aliquid, humore stillant. Obseruauit hoc Plinius, sic de balsamo scribes: Inciditur vitro, lapide, osseisvé cultellis. Succus è plaga manat, quem opobalsamum vocant. Atque propter illas humoris sensim manantis stillas, per elegantem metaphoram possunt dici arbores ac vites illacrymari, seu plorare. Vtitur hac metaphorâ Columella, item Plinius, qui ex inciso balsami cortice decidentes guttas, aliquoties appellauit lacrymas. Quid quòd alijs etiam rebus planè inanimis, & ne hac quidem vitâ, qua arbores ac vites viuunt vigentque, præditis, adscriptam lacrymationem reperire liceat? Exemplo est illud Virgilij:

Plin. lib. 12. c. 25.

Colum. lib. 4. de re Rust. cap. 8. Plin. loco cit.

Virgil. Geor.

Et mœstum illacrymat templis ebur, æraque sudant.

Liber Canticorum mysterijs plenus.

Porrò cùm liber Canticorum magna contineat mysteria admirandæ Theologiæ plena, variarum tamen allegoriarum & ænigmatum inuolucris tecta, vt benè annotârunt S. Dionysius Areopagita & S. Augustinus, certum est, quòd etiam in verbis istis Tempus putationis aduenisse nuntiantibus, singulare mysterium lateat.

Dion. Epist. 9. ad Titum.

August. Tom. 9 lib. de Pastor. cap. 15.

Ne quis autem quidlibet commiscatur, præeunt cum sua doctrina Ambrosius, Hieronymus, Epiphanius, trium Patrum Commentarius apud Theodoretum, ipseq; Theodoretus, & alij multi tam Græci quàm Latini Patres, qui per *Tempus putationis*, tempus nouæ & Euangelicæ legis intelligunt. Nec immeritò sanè. Magna enim & memoranda Putatio tempore legis Euangelicæ est peracta, quando abrogata est Lex antiqua, quæ amplius, quàm mille & quingentos annos durauit. Putationem hanc prædicebat Deus, cùm per Ieremiam

Ambr in Psa. 118. serm. 6. Hieron lib. 1. adu. Iouin cap. 17. Epiph. hær. 59. cont Cathar. Theodor. in Cant.

Legis nouæ tempore lex vetus abrogata, & quando hęc abrogatio prędicta.

loque-

loqueretur: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israël, & domui Iuda fœdus nouum.* In quo loco per fœdus nouum lex noua seu testamentum nouum intelligi debet. Nam, quod benè obseruauit Ribera, moris est Scripturæ sacræ, vt lex frequenter appelletur fœdus, testamentum, pactum. Et certè S. Paulus eundem locum Ieremiæ Hebræis commemorans, pro fœdere testamentum posuit: imitando scilicet Septuaginta interpretes, quorum Græca vox διαθήκη, etiam testamentum sonat.

Ierem. 31. ℣. 31.

Ribera in 2. Malach. Num. 22.

Hebr. 8. ℣. 8.

Cæterùm maximè accommodatè vocem fœderis ibi vsurpauit Deus, vbi indicabat fore, vt lex noua legislatoris ipsius, id est Christi Domini, sanguine ac morte sanciretur. Antiquissimum enim fœderis statuendi ritum hunc fuisse sacræ & profanæ literæ testantur, vt, qui illud inter se faciebant, sancteque ac religiosè idem seruaturos se promittebant, ad iusiurandum sanguinem quoque ac cædem victimæ adiungerent. Et idcircò fœdus, præter hunc locum Ieremiæ, toties in sacra Scriptura vocatur BERITH a BARACH quod significat succidere seu cædere: & rursum idem BERITH copulatur cum verbo CARATH quod significat incidere seu excindere. Vt proinde modum loquendi Hebræum benè expresserit Latinus interpres, cùm vertit: Fœdus feriam. Iam verò per domum Israël, & per domum Iuda, intelligendos esse Gentiles & Iudæos, ex quibus coagmentata Christi Ecclesia creuit, scitè S. Augustinus docet. Quia enim domus Israël idololatriæ dedita fuit; at domus Iuda templum & cultum Dei retinuit: per illam Gentiles, per hanc Iudæi aptissimè designati. Ergo certò constat, quòd legem nouam Ecclesiæ suæ promiserit Deus, cùm fœdus nouum domui Israël & domui Iuda promitteret: ita vt etiam antiqui Hebræorum Rabbini & Thalmudistæ in dubium id vocare ausi non fuerint: quemadmodum libris ipsorum Petrus Galatinus probat.

Genes. 15. ℣. 9. 10. 17. 18.

Exod. 24. ℣. 8.

Ierem. 34. ℣. 18.

Liuius l. 1. Virgil. Æneid. 8.

August. lib. 15. de Ciuit. cap. 28. & lib. 22. cont. Faust. cap. 89.

Galat. lib. 10. c. 1. & lib. 11. cap. 7.

Sed non minùs constat, quòd legem nouam promittendo Deus, simul, vt dictum fuit, veteris legis putationem seu abrogationem prædixerit. Nam dicendo nouum, veterauit prius, siue vt verbum Græcum πεπαλαίωκε verti quoque potest, vetus esse declarauit. *Quod autem antiquatur & senescit, propè interitum est.* Sancti Pauli sunt hæc verba, quæ hanc sententiam continent: Cùm Deus legem, quam se daturum promittebat, appellârit nouam, satis docuit, quòd lex prior per Moysen Iudæis data, illâ etiam ætate, quâ vixit Ieremias, vetusta iam seneſcensque fuerit. Noua enim nonnisi veterum respectu dicuntur. Consectarium verò est, quòd illa eadem lex finem habitura & abroganda esset. Nam quod seneſcit, sensim ad interitum vergit: donec tandem propter vetustatem penitùs obsoleſcat, & in nihilùm recidat.

Hebr. 8. ℣. 13.

Lex vetus vsque ad Ioannem quo sensu dictum.

Eandem veteris legis putationem intelligebat Christus, cùm illa verba proferret: *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem* Quæ non ita protulit, quasi statim lex vetus cessârit, vt S. Ioannes Baptista in lucem editus comparuit. Communiter enim cum S. Thoma docent Theologi legem veterem tunc primùm valere desijsse, quando Christus cruci suffixus mortem occubuit: idque significatum esse, quando idem Christus, antequam extremum vitæ spíritum edidisset, dixit: *Consummatum est*: item cùm post mottem eius, *Velum templi scissum est*. Illud ergo, *vsque ad Ioannem* perinde nonnullis interpretibus sonat, atque si dictum fuisset, legem veterem cum suo vigore & robore vsque ad illud seculum perdurasse, quo & S. Ioannes extitit, & Christus vitam in cruce finiuit.

Luce 16. ℣ 16.

S. Thom. 1. 2. Q. 103. art. 3. & 3. Part. Q. 37. art. 1.

Ioan. 19. ℣. 30.

Matth. 27. ℣. 51.

Abrogatio veteris legis quomodo vocari potest putatio.

Iure autem veteris legis abrogatio, putationis vocabulo exprimitur. Sicut enim quando arbores vi-

teſque

teſque putantur, quædam in eis reſecantur, quædam prorſus intacta relinquuntur: ita cùm lex vetus abrogaretur, omnia quidem præcepta eius cerimonialia & iudicialia ſunt ſublata: & præcepta Decalogi moralia, vt illis omnium ſeculorum poſteritas ad omnem morum vitæque probitatem formetur, ſeruata. Nouerat hoc S. Auguſtinus, qui ita ſcripſit: Si diſcernimus duo teſtamenta, vetus & nouum, non ſunt eadem Sacramenta, nec eadem promiſſa, eadem tamen pleraque præcepta. Nam non occides, non mœchaberis, non furaberis, honora patrem & matrem, non falſum teſtimonium dixeris, non concupiſces res proximi tui, & non concupiſces vxorem proximi tui, & nobis præceptum eſt: & quiſquis ea non obſeruauerit, deuiat &c.] Idem nouerat S. Leo, cuius ſunt iſta: Chriſtus eſt finis legis, non euacuando ſignificationes ipſius, ſed implendo. Qui licet idem ſit auctor veterum, qui nouorum, figuratarum tamen promiſſionum Sacramenta mutauit, quia promiſſa perfecit, & denunciationibus ceſſationem impoſuit, quoniam denuntiatus aduenit. In præceptis autem moralibus nulla prioris teſtamenti decreta reprobata, ſed Euangelico magiſterio multa ſunt aucta, vt perfectiora & lucidiora eſſent dantia ſalutem, quàm promittentia Saluatorem.]

Auguſt. in Pſ. 73.

Leo ſerm. 14. de Paſſione Domini.

Lex vetus cur dicta æterna.

Vnde facilè intelligi poteſt, cur lex vetus in tam multis Scripturæ locis dicta ſit lex æterna. Nam præter alias cauſas, quæ videri poſſunt apud Barradium, ideò etiam ſic dicta ſecundùm D. Thomam, quia præcepta eius moralia non ſunt antiquata, nec antiquabuntur vnquam: ſed potiùs, quamdiu genus humanum erit, ſumma cum immutabilitate florebunt, omneſque nationes ſtabili nexu obligabunt. Hæc autem firmitas illorum & ſtabilitas tanta, inde potiſſimùm prouenit, quòd præcepta Decalogi moralia ad leges ipſius naturæ pertineant,

Exod. 31. ℣. 17. Baruch 4. à ℣. 1. Barrad. Tom 1. lib. 2. cap. 20. in Concord. Euang.

D. Thom. 1. 2. Q. 103. art. 3. ad 1m.

neant, tamque sunt hominum generi consentanea, vt (quemadmodum loquitur Caietanus) si nunquam essent lege aliquâ statuta, seruari tamen deberent ex naturali ratione, vel solâ, vel fidei lumine adiutâ. Ex dictis etiam intelligitur, quâ falce lex vetus sit putata. Quia enim, vt dictum est, non prius cessauit, quàm Christus in cruce moreretur, mors Christi falcis loco fuit.

Caiet t. 2. Q. 100. art. 1.

Christus quidem nouæ legis putationem fecit.

Habeat hîc locum altera illa putatio, quâ vsus est Christus, quando nonnullorum præceptorum moralium prauas interpretationes à Pharisæis & Scribis inuectas sustulit. Copiosè hanc putationem S. Euangelista Matthæus in Capite quinto descripsit. Probat quidem Maldonatus non cum Pharisæorum & Scribarum doctrinis negotium Christo ibi fuisse, sed cum ipsa lege, quam ille tunc, additis quibusdam, partim præceptis, partim consilijs Euangelicis, perfecit. Omnia tamen, quæ à Maldonato afferuntur, nihil morantur optimos quosque illius capitis explanatores, quò minùs cum S. Augustino, & S. Thoma, sentiant, ita ibi à Christo legem veterem certis præceptis & consilijs auctam & perfectam esse, vt simul corruptelæ legis, quarum præcipui auctores Scribæ & Pharisæi erant, sint sublatæ. Imò sententia est Bellarmini, quòd magis intenderit Christus has corruptelas tollere, quàm ad præcepta legis aliquid addere. Nititur Bellarminus illis etiam verbis, quæ Christus Pharisæorum & Scribarum doctrinam simulque vitam reprehensurus præmisit: *Nisi abundauerit iustitia &c.* Hæc enim ponderans Bellarminus ita scribit: Non ait Dominus: *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam legis & Prophetarum*: sed, *Plusquam Scribarum & Pharisæorum*: vt videlicet significaret, se non tàm addere velle ad onera præceptorum legis, quàm tollere de medio corruptelas Scribarum & Pharisæorum. Sed nihil interest, vtrum

Matth. 5.

Mald. in 5. Matth.

August. l. 19. cont. Faustum c. 23. & 24.

S. Thom. lib. 29. 107. art. 2.

Bellarm. lib. 4. de iustif. cap. 4.

Matth. 5. ℣. 20.

magis

magis præstare voluerit Christus: sufficit, si non dubitetur id ab eo factum, quod putationem vocare possimus.

Falx in ea putatione sunt illa verba: *Ego autem dico vobis*, sexies à Christo repetita, pro numero sex corruptelarum, quibus lex deprauata fuit. Qualis autem & quàm acuta huius falcis acies? Certè pronomine *Ego*, loqui videtur Christus: Ego ille, de quo per Ioëlem dictum fuit: *Filij Sion exultate & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem iustitiæ.* Vbi obseruauit Ribera in textu Hebraico, non sine magna energia positum esse Doctoris nomen. Non enim simpliciter dictum est MORECH sed HAMORECH cum HE cognitionis seu notificationis, vt Hebræi vocant, particula, quæ instar articuli Græcorum non quemuis Doctorem, sed insignem eximiumque Doctorem demonstrat. Sed & alterum pronomen *Vobis*, suam emphasim habet. Cùm enim Christus cum discipulis sermonem habuerit, eosque sal terræ, & lucem mundi appellârit, illud, *Vobis*, non minùs continet, quàm si in longiorem sermonem contextis verbis dictum fuisset: Vobis, quorum officium erit sale cœlestis sapientiæ homines insulsos, ne vitijs puteant, condire, & luce doctrinæ à me traditæ prauorum dogmatum tenebras, ne illis obcæcati homines in exitium ruant, dispellere.

Nouæ legis putatio quâ falce peracta.

Ioël 2. ℣. 23.

Ribera ibid.

Atqui præstat S. Chrysostomum, quæ sit huius falcis acies, referentem audire. Sic enim ad ista Christi verba: *Ego autem dico vobis*, inquit: Quis Prophetarum ita vnquam locutus est? quis iustorum? quis Patriarcharum? Nullus omninò. Nam illi per singula sæpiùs inferebant: Hæc dicit Dominus; sed non ita loquitur & Filius. Illi enim Domini verba; hic verò Patris annuntiat. Cùm autem dico Patris, sua vtique dico. *Mea enim*, inquit, *tua sunt, & tua mea.* Et illi conseruis suis loquebantur, hic seruis. Hæc Chrysostomus. Qui etiam aduer-

Chrysost. in cap. 5. Matth. Hom. 16.

Ioan. 17. ℣. 10.

Falx ad corruptelas quinti præcepti primùm admota.

tit hanc falcem, inprimis ad corruptelas quinti in Decalogo præcepti, Non occides, admotam, & inde putationem inchoatam esse. Idem aduertit auctor Operis imperfecti in Matthæum, & eandem cum S. Chrysostomo huius facti, sed clariùs & magis explicatè, rationem tradit. Vide, inquit, sapientiam Christi. Volens ostendere, quia ipse est Deus, qui aliquando locutus est, & qui nunc mandat in gratia, illud mandatum, quod ante omnia mandata posuit in lege, posuit & nunc, in principio mandatorum suorum. Inprimis scriptum est in lege; *Non occides*: ideò hîc statim ab homicidio cœpit, vt per concordiam mandatorum, ipse inueniatur dictator fuisse legis & gratiæ. Quomodo autem mandatum de vitando homicidio, in lege veteri, ante omnia mandata positum esse, is auctor cum S. Chrysostomo asserat, res est ad explicandum expeditissima. Nam inter mandata secundæ tabulæ, quæ certorum vitiorum actus prohibent, ideoque negatiua vocantur, mandatum de non committendo homicidio, primum locum obtinet. Quam collocationem meritò illi obtigisse S. Thomas docet; cùm per illud à grauissimo & maximè mortifero peccato homines auocentur. Ordinata enim esse ista præcepta secundùm ordinem grauitatis peccatorum illis oppositorum, annotauit is S. Doctor: siquidem grauius est, inquit, & magis rationi repugnans peccare opere, quàm ore, & ore quàm corde: & inter peccata operis, grauius est homicidium, per quod tollitur vita hominis iam existentis, quàm adulterium, per quod impeditur certitudo prolis nascituræ: & adulterium grauius est quàm furtum, quod pertinet ad bona exteriora.]

Auctor Oper. imp. in Matth. Hom. 11.

S. Thom. 1. 2. Q. 100. art. 6.

Præcepta diuina secundùm grauitatem oppositorum peccatorum collocata.

Putatio peccatorum in noua lege.

Tandem succedat variorum peccatorum putatio, quæ nouæ legis tempore, quòd prosperè peragenda foret, eisdem verbis Canticorum, quæ versamus, indicatum esse sentit Origenes. Primarius eorum putator

fuit

fuit Christus Dominus, iuxta illud præconium à S. Ioanne Baptista ei tributum: *Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccatum mundi.* Et ne putatio ista hominibus in varia peccata quotidie prolabentibus tantoperè necessaria cessaret; eam deinceps in Ecclesia rite peragendi mun⁹ Apostolis, & omnibus, quotquot illis legitimè succederent, Christus commisit, simulque ad putanda illa, planè idoneas falces, duo videlicet Sacramenta, Baptismum & Pœnitentiam reliquit. Per Baptismum enim quælibet peccata, id est Originale & omnia actualia putantur, & tolluntur, quæ commemoratus Origenes intellexit, sic scribens: Amputantur & exsecantur ab hominibus peccata, cùm in Baptismo donatur remissio peccatorũ.] Eadem intellexit S. Gregorius, cùm mare Rubrum figuram Baptismi fuisse docens, accommodatè ad illam inquit: Maris Rubri transitus, figura sancti baptismatis fuit, in quo hostes à tergo sunt mortui: sed alij contra faciem in eremo sunt inuenti. Sic quippe omnes, qui in sancto Baptismate tinguntur, eorum peccata præterita omnia laxantur: quia eis velut Ægyptij hostes à tergo moriuntur, sed in eremo alios hostes inuenimus: quia dum in hac vita viuimus, priusquàm ad promissionis patriam pertingamus, multæ tentationes nos fatigant, & ad terram viuentium tendentibus iter intercludere festinant. Qui ergo dicit peccata in Baptismate funditus non dimitti, dicat in mari Rubro Ægyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur Ægyptios veraciter mortuos: fateatur necesse est, peccata in baptismate funditus mori.] Postremò eadem peccata S. Thomas quæstioni subiecit, indagans, num omnia per Baptismum tollantur, & verè tolli asserens, S. Pauli testimonio hanc veritatem validè confirmat, qui cùm Romanis dixisset: *Quicunq; Baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius Baptizati sumus*: postea addidit: *Ita & vos existimate*

Origen. in Cant. Hom. 4. Ioan. 1. ℣. 29.

Pro putatione peccatorum præcipuæ falces Baptismus & Pœnitentia.

Origen. loco cit.

Mare rubrum figura Baptismi.

Greg. lib. 9. regist. Epist. 40.

S. Thom. 3. Part. q. 69. art. 1.

Per baptismum omnia peccata tolluntur.

Roman. 6. ℣. 3. ℣. 11.

mate vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo, in Christo Iesu Domino nostro. Certè si baptizari ex sententia Apostoli, est simpliciter peccatis mori, necessariò per baptismum omnia peccata tolluntur, vt nullum illorum supersit, per quod baptizatus viuat.]

Baptizatus post baptismum peccare potest & sæpè peccat: cui Sacramento pœnitentiæ opus est.

Cùm autem Baptismus non ita tollat peccata, quin post illum baptizatus alia peccata committere queat, & frequenter committat: ideò ad ista tollenda opus est sacramento Pœnitentiæ, quod etiam tantæ virtutis & efficacitatis est, vt nullum delictum, quantumuis immane & inexplicabile videatur, resistere illi possit.

Sacramentum Pœnitentiæ omnia peccata tollit.

Conc. Later. c. 1.

Traditum est hoc illis verbis Concilij Lateranensis Oecumenici: Si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper Pœnitentiam reparari.] & illis S. Cypriani: Quæcunq; necessitas cogat ad pœnitendum, nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio, excludit à venia.] Illis item S. Thomæ: Simpliciter dicendum est, quòd omne peccatum in hac vita per pœnitentiam veram deleripotest.]

Cypriam. de cœna Domini.

S. Thom. 3. Part. q. 86. art. 1.

Quæ auctor in hoc Opere scribenda sumat.

Atque hæc peccatorum putatio in præsenti loco Canticorum ab Origene agnita, mentem mihi iniecit hoc opus aggrediendi, & à sensu literali ad tropologicum declinando, hæc in illo declarandi: Primum, duas tantùm ab orbe condito felices & planè beatas vites extitisse, quæ nulla prorsus putatione indiguerint. Solæ enim hæ duæ personæ, Christus Dominus & Mater eius Sanctissima, quas appello vites, tantâ innocentiâ, & tam perfectâ vitæ morumque integritate erant, vt nihil vnquam habuerint, quod in vitio vel leuissimo poni posset, ac meritò corrigi deberet. Ambæ nimirum illâ omnibus numeris absolutâ sanctitate præstabant, quam S. Dionysius Areopagita his verbis descripsit: Sanctitas

Perfecta sanctitas in quo consistat.

Dionys l. de Div. Nom. cap. 12.

est,

est, ab omni peccato libera, perfectaque & penitùs incoinquinata puritas. Deinde omnes reliquos homínes esse etiam vites, sed plerumque vitiosas & sarmentosas, quæ idcircò sedulò & crebrò putari debeant. Posthæc quî fiat, vt in illis noxiorum sarmentorum tantâ copia pullulet. Ad extremùm quo potissimùm tempore, & quâ falce huiusmodi putatio peragenda sit. Quæ omnia, ex Elencho Capitum, quibus totum hoc Opus constabit, mox proponendo, melius patebunt.

SERIES

SERIES CAPITVM, quibus hoc Opus constat.

Pars Operis Prima.

Caput I. *Christus est Vitis.*

Caput 2. *Christū Vitē aliquot in sacris literis celebriores vites adūbrârūt.*

Caput 3. *Christus vitis ab omnibus quorumlibet peccatorum sarmentis liber fuit, & ideò nullâ vnquam putatione opus habuit.*

Caput 4. *Assertio præcedentis Capitis quibusdā Christi verbis cōprobatur.*

Caput 5. *Christus siue consideretur vt Viator, siue vt Comprehensor, siue vt Deus, necessariò nihil in se vitiosum habere debuit.*

Caput 6. *Christus vt humani generis & Magister, & Medicus, & Redemptor, ab omni labe peccati, liber esse debuit.*

Pars

Series Capitum.

Pars Operis Secunda.

Caput 1. *Virgo Deipara est odorifera vitis.*

Caput 2. *Virgo Deipara est fructuosa vitis.*

Caput 3. *Proponuntur & illustrantur duo Deiparæ nomina, quibus sancti Patres illam ab omni peccato liberrimam fuisse, & nullâ putatione opus habuisse, declarare solent.*

Caput 4. *Afferuntur duo alia Deiparæ nomina, quibus similiter perfectissima eius sanctitas declaratur.*

Caput 5. *Virgo Deipara est verè & propriè mater Dei & hominis Christi.*

Caput 6. *Tanti filij mater, munditiam corporis & animæ nullo peccato contaminatam, habere debuit.*

Pars Operis Tertia.

Caput 1. *Christiani sunt vites: Ecclesia Christi est vinea.*

Caput

Series Capitum.

Caput 2. *Quàm præstans sit Ecclesiæ vinea, verbis Christi demonstratur.*

Caput 3. *Antiqua Dei querela de vitiosis vitibus renouatur.*

Caput 4. *Altera Dei querela proponitur.*

Caput 5. *Omnes & singuli homines quòd sint vitiosæ vites, habeantq; quod in seipsis putent, probatur primò illo Salomonis dicto:* Septies enim cadet iustus & resurget. *Prouerb. 24. versu 16.*

Caput 6. *Eadē veritas probatur illis verbis à Christo traditis:* Et dimitte nobis debita nostra. *Mat: 6. ℣. 12.*

Caput 7. *Probatur tertiò auctoritate sanctorum Patrum.*

Caput 8. *Probatur quartò, propriæ singulorum hominū conscientiæ testimonio.*

Caput 9. *Probatur quintò, aliquot moralibus speculis nosmetipsos nobis repræsentantibus.*

Caput

Caput 10. *Probatur sextò, eorum, inter quos versamur, iudicio.*

Caput 11. *Probatur septimò, varijs plagis, quas Deus propter peccata immittit.*

Caput 12. *Enodatur difficultas, quæ hactenus dictis officere videtur.*

Pars Operis Quarta.

Caput 1. *Natura humana peccato originali vitiata, sarmentorum animæ siue peccatorum, Radix prima.* (*secunda.*

Caput 2. *Eorundem sarmentorum, Diabolus, Radix*

Caput 3. *Cur Diabolus tam studiosè peccata hominũ procuret, aliquot rationes proponuntur.*

Caput 4. *Peccatum commissum, aliorum peccatorũ subsequentium Radix tertia.*

Caput 5. *Proponuntur Capitalia peccata, quæ potissimùm aliorum peccatorum sunt radices, inchoatur autem à Superbia & Auaritia, veluti à quarta & quinta radice.*

Series Capitum.

Caput 6. *Luxuria & Ira, variorum peccatorum sexta & septima Radix.*

Caput 7. *Inuidia, Gula, Acedia, peccatorum variorum, octaua, nona, & decima Radix.*

Caput 8. *Ignorantia rerum cognoscendarum & agendarum, quæ à Theologis appellatur Vincibilis, vndecima pecatorum Radix.*

Caput 9. *Negligens custodia cordis, peccatorum duodecima Radix.*

Caput 10. *Negligens custodia oris, & linguæ, peccatorum decimatertia Radix.*

Caput 11. *Neglectio & defectus Orationis, decimaquarta peccatorum Radix.*

Caput 12. *Qualis Orationis neglectio & defectus, sit peccatorum Radix.*

Pars Operis Quinta.

Caput I. *Peccata tunc maximè idoneè putantur, cùm primùm nascuntur.*

Caput

Series Capitum.

Caput 2. *Ieiuniorum dies, pro putatione peccatorum idonei dies.*

Caput 3. *Festi dies, pro putatione peccatorum idonei dies.*

Caput 4. *Dies, quibus sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumitur, pro putatione peccatorum idonei dies.*

Pars Operis Sexta.

Caput I. *Diligens conscientiæ Examen pro putatione peccatorum, Falx prima.*

Caput 2. *Sacramentum Pœnitentiæ, Falx altera.*

Caput 3. *Memoria Mortis, Falx tertia.*

Caput 4. *Memoria Extremi Iudicij, Falx quarta.*

FACVL-

FACVLTAS.

Ego Staniſlaus Sczytnicki, Societatis IESV in Prouincia Poloniæ Prouincialis, poteſtate ad hoc mihi facta ab Admodum Rñdo. Patre noſtro Franciſco Piccolomineo, Præpoſito noſtro Generali, facultatem concedo, vt liber, qui inſcribitur *Vox Salomonis*, à Patre Matthæo Warſauienſe, noſtræ Societatis compoſitus, eiuſdemque Societatis Patrum iudicio approbatus, typis mandetur. Cracouiæ 11. Maij. 1650.

APPROBATIO.

Librum intitulatum VOX SALOMONIS, Adm. Rñdi. & Religioſi Patris Matthæi Warſauienſis, Societatis IESV, varia eruditione refertum, ad vtilitatem publicam, excudendum cenſeo, authoritate per Synodum conceſſa.

Stanislaus Rozycki, I.V.D. & Profeſſor, Vniuerſitatis Acad. Crac. Rector.

VOX

VOX SALOMONIS

Tempus putationis aduenit,

Cantic: 2. ℣. 12.

Pars Operis Prima.

Quæ demonstrat Christum Dominum esse præcellentissimam vitem, quæ vt nullo vnquam vitio deformata fuit, ita nulla putatione eguit.

CAPVT PRIMVM.

Christus est vitis.

CHristum esse vitem, notiùs & certiùs est, quàm vt in dubium vocari possit. Id ipsemet testatum esse voluit, quando dixit: *Ego sum vitis vera.* Veram se vitem nuncupauit, vt notum faceret, se non esse fictam & simulatam, sed sinceram & germanam vitem: non quidem per substantiam, sed per similitudinem: qualis etiam similitudo est, cùm ouis, agnus, leo, petra, lapis angularis, alijsq; id genus nominibus idem Christus vocatur. Totum id S.

Ioan. 15. ℣. 1.

Christus quomodo sit vitis vera.

Aug. tract. 80. in Ioan. Augustinus adnotauit, vbi simul docet, quòd ideò etiam veram se vitem appellârit Christus, vt se ab illa vite discerneret, cui dictum: Quomodo conuersa es in amaritudinẽ vitis aliena? Nam quo pacto est vitis vera, quæ expectata est, vt *faceret vuas, fecit autẽ spinas? &c.* Genti Hebręæ id dictum

Ierem. 2. ℣. 21.

Isaiæ 5. ℣. 4. fuit, quæ cùm rectæ fidei & bonorum operum dulces vuas afferre debuisset; instar fallacis vitis, idololatriæ & variorũ peccatorum amarissimas, diuinoque palato molestissimas baccas attulit. Huius ergo vitis se similem non esse, sed omnia, quæ Deo Patri grata esse nouerat, & quæ opus humanæ salutis postulabat, fideliter se præstitisse, vt ostenderet Christus, veram se vitem appellauit.

Vitis vnde sit dicta.

Varro libr 4. de lingua Lat. N. 63. & lib. 1. de rust. c 13.

Cæterum quamuis hac appellatione supersedisset, tamen vel ipsum etymon vocabuli Vitis suggereret, cur illi hoc nomen congruat. Vitis enim ex sententia Varronis dicta, vel quòd vinum proferat: vel quòd homines ad spem percipiendorum fructuum inuitet. Vtrumque Christo satis aptè quadrat. Nam quod ad primum attinet,

Vinũ gratiæ Christus protulit.

Aug. serm. 186. de temp. c. 2. Bern. in sentent. Matth. 9. ℣. 17. Christus est, qui gratiæ vinum protulit, quod S. Augustinus & S. Bernardus intellexerunt in illis verbis: *Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres.* Præclarum est hoc vinum, & omnibus, qui illud habent, præclaram sanctorumque propriam ebrietatem affert. Memorat illam Sanctus Thomas in suo super Isaiam Commentario, explicans illa verba: *Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim.* Ex-

S. Thom. in 28. Isaiæ ℣. 1.

peditis enim hominibus improbis, vino gratiæ carentibus, & exposita eorum pernicioſa ebrietate quadrupli-

Ebrietas Sanctorũ quadruplex.

ci, subdit: Sancti etiam inebriantur, primò lacrymis compunctionis, *Inebriabo te lacryma mea.* Secundò, calice compassionis, *Calix meus inebrians, quàm præclarus est.*

Isaiæ 16. ℣. 9. Psal. 22. ℣. 5. Cantic. 5. ℣. 1.

Tertiò, incentiuo amoris, *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Quartò, torrente felicis delectationis,

Psal. 35. ℣. 9. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.* Sic S. Thomas. Certè ad quamlibet talem ebrietatem, meritò acclamari posset

illud

illud S. Ambrosij: Hæc ebrietas sobrios facit: hæc ebrietas gratiæ, non temulentiæ est: lætitiam generat, non titubantiam.] Eiusdem ebrietatis à vino gratiæ procedentis meminit S. Bernardus, & multos eius effectus ostendit, cùm de amore Dei, qui ex gratia nascitur, sic ait: Inebriat amor Dei, ad contemptum mundi: calefacit, quia feruentes facit: acuit, quia erudit; facit audaces contra aduersa: fortes, à carne, mundo, & Dæmonibus inuincibiles: obliuiosos, eorum scilicet, quæ retro sunt, & in futura extentos: discretos, erudiens ad iustitiam: somnolentos, ad temporalia & tædiosos, & ad inuisibilia contemplanda pronos & promptos.] Omnia hæc illustrata exemplis, qui habere velit, legat eundem S. Bernardum, S. Augustinum, & S. Gregorium Nyssenum.

Amb. l. 1. de Cain & Abel, cap: 5.

Bern. serm. 4. super Salue Regina.

Vini gratiæ effectus varij.

Bern. de Nat. & dignitate amoris diuini, cap: 3.

Rectè autem vinum gratiæ vocatur nouum, quia eius auctor est homo nouus, vt S. Paulus Christum verissimè appellat. Quid enim, inquit S. Hieronymus, in homine, qui à Saluatore nostro assumptus est, non nouum fuit? Conceptus, natiuitas, partus, infantia, doctrina, vita, virtutes, & ad extremum crux & passio expoliantis in ea principatus, & contrarias fortitudines ostentui habentis: resurrectio quoque & ascensus ad cælum.] Ab hoc ergo tam nouo homine procedens gratia, quidni vocetur noua? præsertim cùm etiam ipse dixerit: *Ecce noua facio omnia.* & S. Paulus scripserit: *Vetera transierunt: ecce facta sunt omnia noua.*

Aug. de Temp. ser. 185.

Greg. Nyss. in Cant Hom: 10.

Ephes. 4. ℣. 23. Hieron. ibidem.

Vinum gratiæ cur dicatur nouum.

Apocal. 21. ℣. 5. 2. Cor: 5. ℣. 17.

Dicta etiam gratia noua, quòd cùm in testamento veteri latitârit velata, nouum illam è tenebris eduxerit, & notam omnibus fecerit. Obseruauit hoc S. Augustinus perpendens, quomodo Deus sanctificauerit sabbathum, quo omni opere seruili vt supersederent homines, diligenter mandauerat. Hoc enim mandando, obscurè docuit, ad obtinendam sanctificationis gratiam requiri, vt à peccato, quod verè est seruile opus, sit omnino feriatus homo, & quemadmodum per Isaiam dictum est, agere peruersè quiescat,

Aug. l. de Spir. & lit. cap: 15.

Exod. 20. ℣. 10.

Isaia 1. ℣. 16.

scat. Causam huius tam obscuræ doctrinæ assignans S. Augustinus ait: vt hoc ipso significaretur, tempus tunc fuisse occultandæ gratiæ, quæ nouo Testamento fuerat per Christi passionem, tanquam scissione veli reuelanda.] Addit: *Cùm enim transierit, auferetur velamen.* S. Paulum Augustinus citat, cuius verba sunt: *Cùm autem conuersus fuerit ad Dominum*, (scilicet populus Iudaicus) *auferetur velamen* Et sanè ablatum esse Christianis, constat, quibus gratiam Dei & clarè & persæpè sacræ noui testamenti paginæ sonant.

Matth. 27. ℣. 51.

2. Cor. 3. ℣. 16.

Abundantiorē gratiam lex noua habet, quam vetus.

Insuper, vinum gratiæ dicitur nouum, quia noua mẽsura, id est longè maiori, quàm antea, in nouo testamento datur. Quocirca S. Chrysostomus ad illa verba: *Gratiam pro gratia*, postquam interrogasset: Quam pro qua? Respondet, pro veteri nouam. Deinde in quo consistat hæc nouitas explicans, & homines nouę legis cum Patribus veteris testamenti comparans, ait: Gratiâ Iudæi salutem cõsequebantur. tum paucis interiectis: Nos autem, inquit, omnes salui quoq; facti sumus gratiâ, sed non eodem modo, neque eisdem de rebus, sed longè maioribus & excelsioribus. Non enim hæc nobis duntaxat gratia data est, venia scilicet peccatorum, quam cum illis communicamus, (omnes enim peccauerunt) sed iustitia, sanctificatio, adoptio, Spiritus S. gratia longè clarior, longè vberior.]

Chrys. Hom: 13. in Ioan.

Ioan. 1. ℣. 16.

Rom. 3. ℣. 23.

Etiam illius gratiæ quæ in veteri lege dabatur, Christus fuit auctor.

Quando autem asseritur Christum esse auctorem vini gratiæ, intelligi debet gratia, non ea tantum, quæ nunc datur, sed etiam illa, quæ olim antiquæ legis tempore dabatur. Indicat hoc S. Ioannes cùm dicit: *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* quasi diceret: Moyses quidem tanquam seruus Dei antiquam legem populo Israelitico dedit: atqui non Moyses, sed Christus ipse gratiam, quæ etiam olim concedebatur, fecit. Hic enim est, qui eam procreat, &, instar vitis omnibus palmitibus succum communicantis, omnium seculorum hominibus procreatam largitur. Idem indicatur à S. Paulo illis

Ioan. 1. ℣. 17.

verbis

verbis: *Bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus.* Priſci enim illi homines ſpiritualem gratiæ potum habebant à Chriſto firmiſſimâ petrâ, per illam adumbratâ, quæ Iudæis ſiti in deſerto laborantibus aquam ſufficientem dedit. *1. Corin. 10. ℣. 4.* *Num. 20. ℣. 11.*

Solus Chriſtus meruit gratiam, vt etiam olim hominibus daretur.

Nec eſt, quod quis multis percontetur: cùm tota SS. Trinitas operetur gratiam, cur effectio eius ſoli Chriſto tribuatur? Hoc enim ideò fit, quia cùm Pater & Spiritus ſanctus mereri non poſſint, ſolus Chriſtus eam meruit, vt hominibus etiam ante daretur, quàm carne humana indutus in mundo compareret. Hinc patet, quo ſenſu Apoſtolus dixerit, datam eſſe nobis gratiam in Chriſto IESV, ante tempora ſecularia. Verè enim ante tempora ſecularia, id eſt, ab æterno, data fuit gratia: quia ab æterno decreuerat Deus eam hominibus dare, propter Chriſti merita ab æterno præuiſa. *2. Timot. cap 1. ℣. 9.*

Vinum gratiæ nouum, nouos vtres requirit.

Porrò vt vinum gratiæ nouum eſt, ita nouos vtres requirit, veteres autem omnino reſpuit. Qui ſint veteres, facilè eſt conijcere, ei præſertim, quem non latet, peccata interdum debere intelligi, vbi ſacræ literæ vetera nominant. Exemplo ſit illud, quod dixit Anna Samuelis mater: *Recedant vetera de ore veſtro.* Verba enim ſuperbiæ & arrogantiæ plena, dicta ſunt vetera, vt intellexerunt Septuaginta interpretes, quorum verſio eſt: Non procedat μεγαλορρημοσύνη ſeu magniloquentia de ore veſtro. Hos præcunte Origine, ſecuti ſunt nonnulli Patres. Sanctus tamen Gregorius latiùs ſumit vetera, pro qualibuſcunque peccatis, quæ ore committi ſolent. Sic enim inquit: Vetera loquitur, qui poſtpoſitis ſanctæ ſcripturæ eloquijs, ſecularibus verbis occupatur. Quænam verba appellet ſecularia, explicans ſe, mox ea vocat otioſa, & de illis aſſerit, quòd cùm in eis loquentis animus per intentionem figitur, deuotionis ſuæ decore ſpolietur.] *1. Reg. 2. ℣. 3.* *Orig. hom 1 de Elcana.* *Greg. in 2. Caput 1. Reg.*

Libet aliquot rationes attingere, propter quas peccata appel-

ta appellantur vetera. Prima est S. Hieronymi, qui illud Psalmi: *Nolite loqui aduersus Deum iniquitatem*, ex Hebræo sic vertit: Loquentes in ceruice veteri. Ne quis autem in tali versione hæreret, & cur superborum ceruix dicta sit vetus, quæreret, præmisit: Quia veternosa atque antiqua in his quos Deus increpat, superbia est.] Quod autem de superbia, idem proculdubio de alijs etiam peccatis sanctus Doctor sensit: nimirum ea rectè veternosa seu vetera nuncupari, vtpote antiqua, & iam inde ab initio mundi nasci & propagari cœpta.

Hieron. in 39. Iob. Psal. 74. ℣. 6.

Proponuntur rationes, propter quas peccata vocantur vetera.

Secunda est S. Gregorij, quia sicut res veteres suam venustatem, quam habebant, cùm essent nouæ, deperdunt: ita etiam peccata, omni pulchritudine, qua virtutes illis oppositæ ornantur, carent, & loco eius execranda turpitudine scatent. Execrabatur eam S. Anselmus, cuius vox fuit: Si hîc peccati pudorem, & illic cernerem inferni horrorem, & necessariò vni illorum haberem immergi: priùs me in infernum mergerem, quàm peccatum in me immitterem. Mallem enim purus à peccato & innocens gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus cælorum regna tenere.

Gregor. loco cit.

Anselm. l. de simil. cap. 190.

Tertia est S. Augustini explicantis illud, quod dixit Dauid: *Inueteraui inter omnes inimicos meos.* Cùm enim affirmet ideo Dauidem sic locutum esse, quia vitia sunt veteris vitæ, & veteris hominis, quo exeundi sumus, vt induamur nouo: satis suggerit, vitia seu peccata meritò vocari vetera, quia proueniunt ab illo veteri homine, à quo S. Paulus retrahens homines, ait: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem, secundùm imaginem eius, qui creauit illum.*

Aug. in Psal. 6.

Psal. 6. ℣. 8.

Coloss. 3. ℣. 9. & 10.

Peccata inueterascendo roborantur *Cic. de Amicit.*

Cùm autem certum sit peccata inueterascendo roborari, rectèque Latinus Orator dixerit: Malum inueteratum, fit plerumque robustius: congruenter quisq; moneri

potest,

poteſt, vt admiſſum peccatum veteraſcere apud ſe non permittat. Si enim illud longa conſuetudine familiare ſibi fecerit, & in corde ſuo vt vetuſtatem contrahat permiſerit, plures & grauiores, quàm credidiſſet, in exturbando illo difficultates ſentiet. Audi S. Chryſoſtomum has difficultates exponentem, & aliquot ſimilitudinibus illuſtrantem. Tam bona, inquit, quàm mala, cùm fuerint plurimũ immorata, potentiora fiunt. Et planta quidem nuper humi conſita facilè reuellitur: per multùm verò temporis radicibus firmata, non itidem. Et ædificium recenter fundatum, à vexantibus facilè ſubuertitur: benè verò firmatũ, multa diruere conantibus præbet negotia. Et fera, quibus locis multum temporis eſt conuerſata, difficulter expellitur. Et ſicut febris ab initio aggreſſa, non magna ſiti laborantes exurit: poſtquam autem inualuerit, & flammam extulerit, iam ſitim inducit immedicabilem: etiamſi quis eis conceſſerit, vt potibus impleantur, non extinguit, ſed accendit fornacem. Sic & vitioſo accidit affectui. Si ſe circa primordia in animam noſtram inferentem non prohibuerimus, neque fores occluſerimus, ingreſſus iam inſanabilem morbum ſuſceptoribus infert.]

Chryſoſt. Hom. 86. ad Pop: Ant.

Vtres verò veteres ſunt quælibet grauiora peccata, quibus tantopere aduerſatur vinum gratiæ, vt ſimul cum illis neutiquam conſiſtere poſſit. Naturali quadam antipathia, vt Plinius refert, vinum ab hedera diſſidet. Si enim in vas hederaceum infundatur, continere ſe non poteſt, quin ſenſim ad orificium eius aſcendendo totum effluat. At longè maius inter peccatum & vinum gratiæ diſſidium eſt; cùm ne momento quidem temporis alterum ab altero tolerari queat. Expreſſit hoc diſſidium S. Hieronym⁹: Quomodo, inquit, dies & nox miſceri non queunt: ſic nec iuſtitia & iniquitas, peccatum & bona opera, Chriſtus & Antichriſtus. Si ſuſceperimus Chriſtum in hoſpitio noſtri pectoris, illicò fugamus Diabolum. Si peccauerimus, & per

Vtres veterẽs ſunt peccata præſertim grauiora.

Plin. l. 16. cap: 36.

Gratia Dei & peccatum graue ſimul conſiſtere non poſſunt.

Hieron. l. 2. adu. Iouinianum.

& per peccati ianuam Diabolus ingressus fuerit, protinus Christus discedit.] Protulit verò id Hieronymus, alludens ad illa verba S. Pauli: *Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial?*

2. Cor. 6. ℣. 14. & 15.

Alterum vinum cuius auctor Christus, est doctrinæ vinum.

Præclarum etiam vinum Beda & Remigius intellexerunt in illis eisdem Christi verbis: Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres; scilicet vinum doctrinæ, quâ Spiritus sanctus profundissima fidei Christianæ mysteria in die Pentecostes tradidit. Per vtres autem veteres intellexerunt Apostolos, quales erant tunc, cùm illis loquebatur Christus: *Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modò.*

Beda in 9. Matth. & in 2. Marci. Remig. apud S. Thomam in cat super 9. Mat.

Ioan: 16. ℣. 12.

Nec mirum, quòd ambo isti auctores per vinum intellexerint doctrinam, cùm eodem planè modo à Salomone appellatam viderint. Sic enim in suis Prouerbijs Rex ille, sapientiam homines alloquentem inducit: *Bibite vinum, quod miscui vobis. Relinquite infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ.* Vbi vinum, ex sententia nonnullorum, doctrinam significat, ad quam Sapientia omnes meritissimò inuitat. Nam vt scripsit S. Gregorius: Doctrina Sapientiæ & prædicatione pulchra est, & pura veritate conspicua: nec aliud se per fallaciam prætendit exteriùs, & aliud reseruat interiùs: neque in dictis suis pulchra videri appetit nitore sermonis, sed integritate veritatis.] Iure etiam eadem Sapientia affirmat, quòd suam doctrinam miscuerit, id est, ad captum & ingenium cuiusque temperauerit. Ad sapientiam enim pertinet, rationem auditorum habere, & vnicuique, quod capere possit, tradere. Ita faciebat S. Paulus, cùm informaret Corinthios, vt patet ex his, quæ ad illos scripsit: *Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis; adhuc enim carnales estis.* Ponderans hæc Origenes, inquit: Lactis cibus esse dicitur in scripturis

Prouerb. 9. ℣. 5. & 6.

Greg. lib. 18. Mor. cap: 30.

Sapientiæ est cuilibet quod capere potest, tradere.

1. Corinth. 3. ℣. 2.

Orig. Hom. 5. in l. Iudic.

scripturis sanctis, prima hæc moralis institutio, quæ incipientibus velut paruulis traditur. Non enim in initijs statim, discipulis de profundis & secretioribus tradendum est Sacramentis: sed morum correptio, emendatio disciplinæ, religiosæ conuersationis, & simplicis fidei, prima eis elementa traduntur. Istud est Ecclesiæ lac, hæc incipientib⁹ paruulorum prima sunt elementa.]

Ad exprimendam verò dictam temperationem doctrinæ suæ, aptè vsa est Sapientia verbo, Miscui, ab antiquâ consuetudine bibendi vinum desumpto. Nam vt vinum salubrius esset, pro varietate regionum & necessitate potantium, vel aquâ, vel alio vino, temperare illud, semper moris fuit. Et idcircò vinum linguâ Hebræâinterdum appellatur MESECH, id est, mistura vel mistio, vt videre licet in illo loco Prouerbiorum vbi asseritur, omnia mala euenire ingredientibus ad quærendam misturam, vt Pagninus vertit, vel, inuestigantibus domum mistionis, vt Chaldaica periphrasis habet.

Vinum Hebræi cur interdum vocent misturam vel mistionem. *Prouerb. 23. ℣. 30.*

Ad illud ergo cælestis doctrinæ vinum capiendum, vt discipuli Christi idonea vasa fierent, Spirit⁹ sanctus effecit: cùm antea simillimi essent veterib⁹ vtribus, in quos si vinū nouum seu mustum infundatur, vi ebullientis feruoris & acrimoniæ ipsius, rumpuntur. Effecit autem hoc Spiritus sanctus, quando in linguis supra Apostolos descendens, intellectum ipsorum expoliuit, & tenebras, quibus mentes eorundem circumfusæ erant, diuina luce dispulit. Fusè id tractat S. Augustinus, declarans, quàm hebetes, & rerum ad Fidem pertinentium rudes, ante Spiritus sancti aduentum, Apostoli fuerint: post illum verò, quàm docti, & ad omnes gentes erudiendas apti euaserint. Sic enim inter cætera de illis loquitur: Primùm cùm eum, scilicet Christum, supra tumentia maris dorsa vidissent substratis fluctibus ambulantem, & cùm aquarum iter instabile sub diuinis

Apostoli ad capienda omnia mysteria, facti à Spiritu Sancto aptissimi.

Aug. ser. 185. de temp.

Matth. 14. ℣. 26. solidaret vnda famula vestigijs, turbati sunt, dicentes: Phantasma est, & præ timore clamauerunt. Post infusionem verò Spiritus sancti, iam non dicunt, quia phantasma est, sed: In principio erat Verbum, & Verbum

Ioan. 1. ℣. 1. erat apud Deum, & Deus erat Verbum: & iterum: E-

Ioan. 1. ℣. 9. rat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.]

Christus omnis doctrinæ auctor. Atque huius etiam vini, quod cum supra memoratis interpretibus, vinum doctrinæ vocamus, Christum vitem esse auctorem, dubitare non licet. Quamuis enim præcipuis quibuscunque Fidei mysterijs & sublimibus doctrinis discipulos Christi à Spiritu sancto imbutos fuisse certum sit: Christus tamen est, qui promisso ac recepto satisfaciens, Spiritum sanctum è cælo misit, vt discipulorum, quos in terra reliquerat, Doctor esset, præstaretque, quod ab eodem Christo dictum fuit: *Cùm*

Ioan. 15. ℣. 26. *autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Quid quòd Spiritus sanctus ea tantum docuerit, quæ de infinita Christi sapientia acceperat, iuxta il-

Ioan. 16. ℣. 14. lud Christi dictum: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annunciabit vobis?* Cùm enim (inquit Barradius, hæc

Barrad. Tomo 4. l. 5. cap. 6. verba explicans) sapientia Spiritus sancti, & sapientia Filij, vna eademque sit sapientia: accipiens Spiritus S. de thesauro sapientiæ suæ, quæ Apostolos doceret, eadem etiam accepit de thesauro Christi, quia idem the-

Greg. Naz. Orat. de Fide Tolet. in Verba cit. saurus est.] Posset etiam dici cum S. Gregorio Nazianzeno, & Francisco Toleto, hoc sensu Spiritum sanctum de sapientia Christi accepisse, & Apostolis annuntiasse, quia cùm ab æterno diuinitatem suam non à Patre tantum, sed etiam à Filio accipiat (ab vtroque enim procedit) simul ab illo accipit sapientiam & doctrinam, ex qua promanârunt omnia, quæ Apostoli à Spiritu sancto didicerunt.

Præterire

Præterire nefas præstantissimum vinum sanguinis, quod Christus crucis torculari pressus protulit. Vinum, quod Assuerus Rex conuiuis suis bibendum dabat, scriptura sacra commendans, ait: *Vinum quoque, vt magnificentiâ regiâ dignum erat, abundans & præcipuum ponebatur.* O quàm potiori iure vinum sanguinis Christi idem præconium meretur! Hoc nempe vinum verè est magnificentiâ regiâ dignum, quia sanguis Christi, est sanguis planè regius, quem Verbum diuinum omnipotenti suâ magnificentiâ ad vnionem hypostaticam assumpsit. Ita plerumque docent Theologi, quibus patrocinatur S. Paulus illis verbis ad Hebræos: *Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem.* Pueros vocat homines, iuxta morem scripturæ, in qua frequenter, etiam qui sunt prouectioris ætatis, appellari solent pueri. Exemplo sunt, Abraham, Dauid, Prophetæ, principes Persarum, milites Dauidis, discipuli Christi, qui omnes dicti sunt pueri. Iosue etiam appellatus puer, cùm iam belli contra Amalechitas gesti dux fuisset, & quadragesimum annum excessisset. Carnem porrò & sanguinem vocat Apostolus naturam humanam, quæ carne & sanguine constat: prout etiam ab eodem Apostolo vocata est, in Epistola ad Galatas, & in Euangelio S. Matthæi ab ipso Christo. Sensus igitur verborum S. Pauli is est: quia homines, quos Dei Filius saluare statuerat, carne & sanguine constabant: ideò & ipse eisdem participauit, id est, carnem similiter & sanguinem assumpsit. Hoc sensu præmisso, facilè est videre, quomodo S. Paulus commemoratæ Theologorum multorum doctrinæ suffragetur. Cùm enim affirmet, quòd Dei Filius tam carni quàm sanguini participârit, necesse est vt dicatur, quòd æquè sanguinem ac carnem ad vnionem hypostaticam assumpserit: quia verbum nullo alio modo naturæ humanæ participauit. Legi potest Suarez, qui hoc fusè tractat.

Tertium vinum est vinum sanguinis à Christo in cruce effusi.

Esther 1. ℣. 7.

Vinum sanguinis Christi, est regia magnificentia dignum.

Hebr. 2. ℣. 14.

Pueri sæpè vocantur, qui sunt prouectioris ætatis.

Psal. 104. ℣. 4. & 17. ℣. 1. Act. 4. ℣. 25. Baruch. 2. ℣. 21. Esther 1. ℣. 3. 2. Reg. 2. ℣. 24. Ioan. vltimo ℣. 5. Exod. 33. ℣. 11.

Galat. 1. ℣. 16.

Mat. 16. ℣. 17.

Verbum carnem & sanguinem ad vnionem hypostaticã assumpsit.

Suar. Tomo 1. in 3. p. D. Thomæ disp. 15. sect. 6.

Idem vinum sanguinis Christi est Abundans, vt indicauit S. Ioannes in sua Apocalypsi illis verbis de Christo prolatis: *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Verbo enim, Lauit, magnam sanguinis copiam expressit, quæ etiam lauandis omnibus hominibus, & non tantum aspergendis suffecerit. Eandem copiam præuidebat Dauid, cùm diceret: *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Prorsus copiosa, ait S. Bernardus, quia non gutta, sed vnda sanguinis largiter per quinque partes corporis emanauit.] Eandem memorat Petrus Damianus, simulque præclaram eius causam attingit: Sufficeret, inquit, ad redemptionem orbis, vel vna pretiosissimi sanguinis gutta: sed data est copia, vt virtus diligentis in beneficij redundatione claresçat.] Adde, quod etiam prædicti vini abundantiam indicat, quia cùm hucusque omnia septem Sacramenta Ecclesiæ impleat, & omnibus pateat, semperque à tam multis hauriatur, nunquam tamen exhauriri & deficere poterit. Exhaustum fuit defeceratque vinum in nuptijs Canæ Galilææ, vt de inuitatis ad nuptias Virgo sanctissima diceret: *Vinum non habent.* At in Ecclesia nunquam id contingere potest, cuius Sacramenta sanguine Christi impleta sunt vsq; ad summum, id est, ad extremum vsque iudicij diem.

Apocal. 1. ℣. 5.

Vinum sanguinis Christi, est abundans.

Psal. 129. ℣. 7.

Bern. serm. 22. in Cant.

Damian. serm. de Exalt. Crucis.

Ioan. 2. ℣. 3.

Barrad. ibid.

Insuper vinum sanguinis Christi est Præcipuum: quia remissionis peccatorum præcipua & primaria causa est sanguis Christi, iuxta illud S. Ioannis: *Sanguis Iesu Christi Filij eius, emundat nos, ab omni peccato.* Peccatum nominauit, vt inter sanguinem Christi & sanguinem illum, qui in veteri lege ex animalibus Deo immolatis profluebat, discrimen statueret. Sanguis enim Christi, vi & efficientiâ suâ ad ipsas hominum animas pertingit, earumque peccata eluit: cùm sanguis animalium externam tantum corporum immunditiam à lege vetitam tolleret,

Vinum sanguinis Christi, est præcipuum vinum.

Ioan. 1. ℣. 7.

tolleret, ipsa verò peccata intacta relinqueret. Mentionem huius discriminis fecit S. Paulus, cùm in Epistola ad Hebræos dixit, quòd *sanguis hircorum & taurorum solitus fuerit inquinatos sanctificare, ad emundationem carnis*: de Christi verò sanguine affirmauit, quòd *conscientiam nostrã ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti*, emundet. *Hebr. 9. ℣. 13.* *Hebr. ibidem.*

Vinum sanguinis Christi, quos effectus producat?

Ideò etiam vinum sanguinis Christi, est Præcipuum vinum, quia præcipuè & singulariter sanguis Christi proprietates & effectus vini exprimit. Vinum si bibatur, *lætificat cor hominis*, vt diuinus Vates cecinit. Lætificauit etiam genus humanum sanguis Christi, & obliuisci fecit dolorum, quos patiebatur tyrannide Dæmonis pressum: ita vt illi conueniat, quod Salomon scripsit: *Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo: bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Adhæc vinum sanandis vulneribus prodest, vt docuit Samaritanus, qui in vulnera hominis grauiter sauciati oleum & vinum infudit. Quot verò & quanta animarum vulnera Christi sanguis curauit? quot semiuiuos, imò mortuos, ad vitam reuocauit? Aptè S. Augustinus & S. Gregorius, accommodant Christo verba illa: *Similis factus sum Pelicano solitudinis.* Dicuntur Pelicani (inquit S. Augustinus) tanquam colaphis rostrorum occidere paruulos filios suos, eosdemque in nido occisos à se, lugere per triduum. Postremò dicunt matrem seipsam grauiter vulnerare, & sanguinem suum super filios fundere, quo illi superfusi reuiuiscunt. Tum post pauca subdit: Habet hæc auis (si verè ita est) magnam similitudinem carnis Christi, cuius sanguine viuificati sumus.] Minimè his dissona S. Thomas habet, qui Christum Pelicanum in suo Hymno vocat, & sic orat: Pie Pelicane Iesu Domine, me immundum munda tuo sanguine: Cuius vna stilla, saluum facere, Totum mundum posset omni scelere.] Omissis alijs, vinum *Prouerb. 31. ℣. 6.* *Luca 10. ℣. 34.* Christus Pelicano similis. *Psal. 101. ℣. 7.* *Aug. in Psal. cit.* *Greg. super 4. pœnit.*

hominem calefacit, & vt ardua quæque aggrediatur, exacuit. Vtrumque multò feliciùs in animabus humanis sanguis Christi præstat. Calefacit enim illas, vt amore diuino ardeant, & quælibet earum dicat: *Introduxit me in cellam vinariam: ordinauit in me charitatem.* Exacuit etiam, vt, quod scripsit S. Augustinus, omnibus medullis conceptus Dei amor & tyranno, & carnifici, & dolori, & corpori, & sexui, & affectui resistat.] Pro viua huius rei imagine proponit in alio loco idem Augustinus Martyres, qui spirituali mero calebant, (verba sunt sancti Doctoris) quando abijcientes, & post se iactantes omnia seculi blandimenta, ibant ad passiones, obliuiscentes facultates & affectiones, patrimonia ac matrimonia sua, & vincentes armatam contra se paruulorum pignorum fletibus pietatem, vociferantes quidem parentes, puluerem mittentes in capita sua, & matres facies suas, auulsis crinibus, dilacerantes. Sed illi hæc omnia tanquam ebrij non videbant, nec cognoscebant suos.]

Cant. 2. ℣. 4.

Aug. l. 1. de morib. Eccl. Cath. cap. 23.

Aug. serm. 185. de temp.

Peropportunè hîc mihi elephanti illi veniunt in mentem, quos Rex Antiochus contra Iudæos pugnaturus in aciem eduxerat. Illi enim ad acriter pugnandum exacuebantur aspiciendo, & simul, vt ex tertio Machabæorum libro, licet apocrypho, apparet, bibendo rubrum vinum, quod Scriptura sacra, propter sanguineum colorem, sæpiùs appellare solet sanguinem vuæ. Atqui similiter Martyres diligenter sanguinem Christi contemplando, & præterea illo modo eum bibendo, quem S. Bernardus, vel alius eius nomine attingit, scilicet Christi passionem imitando, miram inuicti animi magnitudinem acquirebant: vt & ipsi inter varia tormentorum genera sanguinem suum lætantes funderent, & illum triumphum reportarent. de quo S. Hieronymus scripsit: Triumphus Dei est passio Martyrum, & pro

1. Machab. 6. ℣. 34.

Genes. 49. ℣. 11. Deut. 32. ℣. 14. Eccles. 50. ℣. 16.

Bern. serm. in Cœna Domini.

Ex sanguine Christi Martyrum fortitudo.

Hieron. ad Hedibiam.

Christi

Christi nomine cruoris effusio, & inter tormenta lætitia.] Hanc Martyrum fortitudinem ex sanguine Christi natam esse, sensit S. Augustinus rationem reddens illorum verborum: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius*, & quemlibet Martyrem sic alloquens: Quis tibi dedit imitari passiones suas, nisi qui propter te passus est prior? ideòque pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Emit eam sanguine suo, quem prior fudit pro salute seruorum, ne pro Domini nomine serui fundere dubitarent.] Sed cùm iterum in capite sequenti agendum sit de vino sanguinis Christi, pro salute nostra in cruce effusi, plura hîc de illo referre omitto.

Aug. in Psal. 15. ℣. 15.

Succedat Eucharisticum vinum, quod etiam nunquam satis laudata vitis Christus protulit: Vinum, inquam, eiusdem sanguinis, de quo nunc actum nonnihil, sed vulgaris vini specie in Sacramento Eucharistiæ obtectum. Summæ excellentiæ est, etiam hoc vinum, quam nulla, quantumlibet altè exaggerata oratio enarrare possit. Hoc enim vinum, varios morbos, quibus animæ humanæ frequenter vrgentur, depellit, vt Concilium Tridentinum declarat, affirmans voluisse Christum, vt Sacramentum corporis & sanguinis eius sumamus, tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruemur. Proinde meritò quisq; dixerit, Christum esse vitem vtiliorem illâ, quam laudat Plinius, & theriacam vocat, quòd, epotâ, inquit, virtute affusi ad radicem medicaminis, vuas & vinum singularis efficaciæ contra noxios morsus quarumlibet bestiarum gigneret.] Idem vinum, teste Zacharia Propheta, est *Vinum germinans virgines*, ideoque multùm ab illo discrepans, à quo S. Paulus tanto cum studio auocat homines, dicens: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Inebriat quidem & Eucharisticum vinum, sed fructuosè planèq;

Quartum vinum est, Sanctissimæ Eucharistiæ vinum ab eadem vite, scilicet Christo, productum.

Trident. sess. 13. cap. 2.

Christus vitis Theriaca.

Plinius l. 23. c. 21.

Zach. 9. ℣. 17.

Vinum germinans virgines, & salutariter inebrians.

Ephes. 5. ℣. 18.

Cyprian. in serm. de Cœna Domini.

sè planéque salutariter, vt annotauit S. Cyprianus, (si Cypriani ille est sermo) Quàm religiosa est, inquit, huius potus ebrietas, per quam excedimus Deo, & quæ retro sunt obliti, ad anteriora extendimur, non habentes sensum huius mundi, sed diuitis purpurati delicias contemnentes cruci hæremus, sanguinem fugimus, & intra ipsa redemptoris nostri vulnera figimus linguam.] Et paulò inferiùs: Hæc ebrietas non accendit sed extinguit peccatum: in hoc vino non est luxuria, nec mouetur ad ludum, post hunc potum, lasciuia.]

Idem vinum animas exhilarans, & ad laudes Dei excitans.

Non parum etiam ad commendationem eiusdem vini Eucharistici faciunt, qui docent in illo citato Zachariæ loco, pro, Germinans virgines, legi posse; *Cantare faciens virgines.* Verè enim hoc vinum, si dignè sumatur, multâ hilaritate replet homines, vt in magnis etiam ærumnis pleni lætitiâ cantitent, & nulla se vnquam tristitiâ contrahi permittant. Annotatum id ab auctore citato, qui ibidem ait: Mira sunt, quæ sentit: magna, quæ videt: inaudita, quæ loquitur: quem agnus iste Paschalis inhabitat: cuius animam meri huius fortitudo hilaritate inexplicabili lætificat & delectat.] Idem vinum ad laudes Dei, & gratias pro tanto Sacramento ei decantandas excitat. Exemplar huiusmodi decantationis propositum fuit iam inde à primis efflorescentis Ecclesiæ primordijs, quando antiqui illi Christiani, iuxta constitutiones Apostolicas sic orabant: Gratias agimus, Pater noster, pro sanguine Iesu Christi pro nobis effuso, & pro pretioso corpore eius, cuius hæc Sacramenta celebramus.] Penetrabant videlicet, cibi & potus Eucharistici præstantiam, quam & modò qui intelligunt, continere se non possunt, quin & ipsi in similem cantum erumpant. Vt meritò S. Cyprianus ibidem scripserit: Qui manducat ex hoc pane, vltra non esurit: qui bibit, vltra non sitit: quoniam mysterij huius sic sufficit-

Const. Apost. lib. 7. cap. 25.

Cyprianus loco supra citato.

ficit gratia, sic reficit intelligentia, vt cuicunque tantæ rei innotuerit plenitudo, omnis consummationis fine inuento, Christi baiulus ipsum ferat in pectore, ipsum gerat in mente, & omni tempore habitatori suo dicta & facta iubilatione consona, laudes resonent, & gratiarum actiones decantent.]

Vinum Eucharisticum à vetustate peccati liberis dandum.

Qualibus autem vasis tam nobile & præstans vinum committendum? Cùm Christ⁹ ipse hoc Eucharisticum vinum, nouum vinum appellârit, dicens: *Dico autem vobis; non bibam à modo de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei*: certè committi non debet veteribus vtribus, id est, hominibus illa vetustate peccati corruptis, de qua superiùs actum. Imitandum omnibus proponit S. Ambrosius serpentem, qui in sua latebra virus euomit & relinquit, cùm ad aquam sitim restincturus prodit. Idem enim cuilibet faciendum, qui pretioso vino sanguinis Christi refici velit, vir sanctus ait: virus scilicet peccatorum ex anima eijciendum, & vitam sanctitate renouandam. Ipsius S. Ambrosij verba si quis desiderat, hæc sunt: Serpens cùm venerit ad bibendum aquam, priusquam bibat, extra fontem euomit venenum suum, & postea bibit. Ita & nos, quando ad Altare Domini communicaturi accedimus, deponamus venenum pessimum, hoc est iracundiam, odium, inuidiam, falsitatem, iniquitatem, auaritiam, cupiditatem, superbiam, sacrilegium, furtum, luxuriam, falsum testimonium, discordiam, periurium: hæc sunt animarum venena. Ista priùs repellamus à nobis, & sic ad altare Domini corpore & sanguine eius satiemur.] Pauciſſimis verbis omnia hæc complexus est S. Paulus, vbi monuit: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Quid enim est hoc loco probare (inquit S. Gregorius) nisi

Matth. 26. ℣. 29.

Ambr. feria 2. post Dom. 1. Quadrag.

Serpens aquam bibiturus, priùs venenum euomit.

Sumpturi sanguinem Christi, serpentem imitari debemus.

1. Corinth. 11. ℣. 28.

Greg. lib. 2. in 1. Reg. cap. 1.

euacuatâ peccatorum nequitiâ, se probatum ad dominicam mensam & purum exhibere?]

Ioan. cap. 2.

Vinum in Cana Galilææ ex aquâ à Christo factum, fuit optimum.

Estne hoc postremo loco prædictis vinis annumerandum illud vinum, quod in Cana Galilææ à Christo factum esse S. Ioannes Euangelista testatur? Non dubito fuisse illud in suâ substantiâ optimum, quale nulla vnquam vitis creata genuit. S. Chrysostomus id persuadet, qui sic scripsit: Venit Iesus in Cana Galilææ, vbi fecit aquam vinum, neque simpliciter vinum, sed optimum. Eiusmodi enim sunt Christi miracula, vt, quàm quæ naturâ perfecta sunt, longè pulchriora melioraque reddantur.] Pende S. Doctoris verba: Cùm enim tria sint principia rerum, Ars, Natura, Deus, hoc discrimine, vt ars naturam, natura Deum, in perfectione suorum operum nunquam assequi possit: benè S. Chrysostomus vinum à Christo factum, cuilibet vino à naturâ facto prætulit. Ad confirmandum id, in promptu est, quod dixit Moyses: *Dei perfecta sunt opera:* & illud Sponsæ de Sponso: *Manus eius tornatiles.* Iuxta frequentem scripturæ phrasim, opera Christi vocantur manus, & non qualescunque manus, sed tornatiles, seu, vt Septuaginta habent, Tornatæ. Quali loquendi modo perfectio operum Christi exprimitur. Opus enim tornatum seu torno affabrè elaboratum, solet esse multò perfectius & elegantius, quàm quod est securi, vel aliquo simili instrumento factum.

Chrys. Hom. 21. in Ioan.

Tria principia rerum.

Dei perfecta sunt opera.

Deut. 32. ℣. 4.
Cant. 5. ℣. 14.

Neque his officit versio Vatabli & Pagnini, qui textum Hebræum interpretando legunt: Manus eius circuli. Nam cùm omnium Mathematicarum figurarum perfectissima sit circularis, antiquo vsu receptum fuit, vt quod in vnaquaque re perfectum videretur, id circulus appellaretur. Et ideò S. Dionysius cùm perfectionem diuini amoris describere vellet, circulum eum vocauit, qui initium in bono habuit, & in bonum tandem desinit.

Dionys. de diuinom. cap. 4.

Satis,

Satis, ne dicam nimis, multa suggessit prima interpretatio vocabuli Vitis, ad declarandum rectè Christum appellari vitem, quòd vinum præstans & multiplex protulerit.

Vitis sic etiam dicta, quòd ad spem fructuum inuitet.

Accedo iam ad alteram, cui videtur, vitem esse dictam, quia homines ad spem percipiendorum fructuum inuitat. Suggereret & hæc, ni restringeretur, plurima, vt similiter declaretur, etiam propterea Christum vocari vitem, quòd tam frequenter per Prophetas inuitârit genus humanum ad spem certò percipiendorum fructuum, quos illi suus in mundum aduentus allaturus erat. Talis inuitatio fuit illa, quam per Isaiam fecit, de se ipso loquens: *Spiritus Domini super me, eò, quòd vnxerit Dominus me: ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem: vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo nostro: vt consolarer omnes lugentes: vt ponerem lugentibus Sion; & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, &c.* Nam quòd ista de se ipso protulerit Christus, dubitare non permittit caput quartum S. Lucæ, in quo disertè omnia hæc Christus Synagogam Nazareth ingressus, de se ipso exposuit. Et omnino de solo Christo exponi possunt. Nam super illum verè Spiritus sanctus descendit, tum occultè & inuisibiliter, illo ipso instanti, quo mysterium Incarnationis peractum fuit: tum palàm & visibiliter in baptismo, quando, vt S. Lucas ait: *Descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum.*

Alterum hoc vitis Etymon, Christo conuenit.

Isaiæ 61. ℣. 1. 2. 3.

Lucæ 4. ℣. 18.

Lucæ 3. ℣. 22.

Præterea Christus est, quem Dominus vnxit, ideòque & in Græca & in Hebraica lingua, ab vnctione est dictus. Nam vox Christus deriuatur à verbo χρίω, quod significat vngo. MASSAH etiam Hebræis, à quo descendit MASSIAH, seu Messias, idem sonat, quod vngere, vt in aliquot Scripturæ locis videre licet. Benè autem S.

Christ⁹ & in Græca & in Hebræa lingua ab vnctione dictus.

Num. 35. ℣. 25. 1. Reg. 1. ℣. 34. & alibi.

Hier. in 61. Is. Tert. lib. de Bapt. cap. 7.

Hieronymus & Tertullianus monent, cùm agitur de vnctione Christi, spiritualem vnctionem intelligi oportere, non corporalem: deinde humanitatem Christi esse, ratione cuius fuit Christus vnctus: vnctus verò fuit ipsa sua diuinitate & vnione hypostatica, quando natura humana Verbo Dei in vtero Virginis coniuncta, facta est cum eodem Verbo persona vna. Postremò Christus est, qui tot & tanta commoda recensuit, quæ homines ex eius in hunc mundum aduentu percepturi erant: propterea autem recensuit, vt spe illorum inuitati & illecti mortales, legi sè eius subderent, abiuratisque erroribus Orthodoxam fidem admitterent.

Vnctio Christi qualis?

Occurrunt passim in diuinis veteris testamenti libris multæ aliæ inuitationes à Christo factæ, per quas, sicut & per istam ex prophetia Isaiæ adductam, tantum sui desiderium excitauerat, vt propter illud à Patriarcha Iacob appellat[9] sit, Expectatio gentium. Item, Desiderium collium æternorum, id est illorum antiquorum Patriarcharum, & multorum sanctorum virorum, qui collium instar, altitudine virtutum, & præcelsa vitæ sanctimonia inter alios eminebant. Quia verò multis annis præcesserunt Christum, colles æterni dicuntur. Nam, vt annotauit Franciscus Ribera, æternum non semper dicitur, quod principio vel fine caret, sed quod antiquissimum est, etiamsi aliquando cœperit, & quod diu duraturum est, etiamsi aliquando finem habiturum sit.

Christus expectatio Gentium, & desiderium Collium æternorum.

Genes. 49. ℣. 10

ibid. ℣. 26.

Ribera in 5. Mich. Num. 40.

Eodem pertinet illa Christi descriptio per Prophetam Aggæum facta: *Veniet desideratus cunctis gentibus.* Additum, Cunctis, quia, vt sentit Richardus Victorinus, semper in omni gente reperiebantur nonnulli, qui futuram Christi Incarnationem sibi reuelatam haberent, & vt quàm primùm fieret, ardentissimè optarent. Hinc illa inter diuersas gentes nascebantur vota, quæ Filium Dei è sinu Patris euocabant: hinc frequentatæ

Aggæi 2° ℣. 8.

Rich. Vict. p. 1. lib. de Incar. Verbi c. 8.

suppli-

supplicationes, & cælestium orbium prensationes; vt *cæli rorarent desuper, & nubes pluerent iustum*: hinc Prophetarum oracula, quæ aduentum eius magna cum hilaritate præcinebant: hinc illa solatia, quibus multiplices ærumnas, & varia vitæ incommoda, imò mortem ipsam lenire, multis vsitatum erat. *Isaia 45. ℣. 8.*

Ad eorum numerum pertinet S. Patriarcha Iacob, qui morti proximꝰ dicebat: *Salutare tuũ expectabo Domine.* Quæ verba sic illustrauit Paraphrastes Chaldæus: Non expecto salutare Gedeon filij Ioas, qui est salus temporalis, neque salutare Samson filij Manue, qui est salus transitoria: sed expecto redemptionem Christi filij Dauid, qui venturus est ad accersendum sibi filios Israel, cuius redemptionem desiderat anima mea.] Pertinet quoque Dauid Rex, cuius vox fuit: *A custodia matutina vsque ad noctem, speret Israël in Domino.* Rursus Chaldæum Paraphrastem adduco, id quòd à S. Rege prolatum est, ita exprimentem: Anima mea ardentiùs expectauit aduentum Domini, quàm vigiles nocturni aduentum matutinum. Postremò vt alios præteream, pertinet ille, cuius in suâ summâ Theologica S. Thomas meminit, & de quo Theophanes apud Baronium hæc tradit: Hoc etiam anno, id est Christi, 780. Constantini & Irenes matris eius Impp. primo, in longis Thraciæ muris, quidam homo fodiens, inuenit arcam lapideam, quam cùm expurgasset & releuasset, reperit virum iacentem & conglutinatas arcæ literas continentes hæc: Christus nascetur ex Virgine Maria. Credo in eum. Sub Constantino & Irene Imperatoribus, ô sol iterum me videbis. Increbuit sermo, inquit Baronius, Vatis alicuius eiusmodi fuisse sepulchrum, eiusdemque repertum in eo vaticinium scriptum diuinitùs reuelatum. *Genes. 40. ℣. 18.* Paraphrasis Chaldæa. *Psal. 129. ℣. 6.* *S. Thom. 2da. 2dæ. Q. 2. art. 7 ad 3.* *Theoph. apud Bar. in an. 780. num. 8.* Vatis cuiusdam sepulchrũ sub Constantino Imp. inuentum.

Ostendendum hîc esset, quomodo eadem vitis Christus tempore legis nouæ inuitet omnes ad spem

percipiendorum in cælo præmiorum, quotquot honestatem vitæ & virtutem coluerint. Sed cùm tales inuitationes nouum testamentum legentibus passim occurrant, eas enarrare omitto.

CAPVT SECVNDVM.

Christum vitem aliquot in sacris literis celebriores vites adumbrârunt.

Vitis, quam Regis Pharaonis Pincerna vidit, Christum adumbrauit.

PVlchra vitis Christi adumbratio, multis seculis ante, illa vitis præcessit, quam Regis Pharaonis Pincerna in carcerem coniectus secundum quietem vidit, & quam in hunc modum descripsit: *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores vuas matureſcere.* Nam inprimis, vt illa vitis cùm esset vna, tribus propaginibus constabat: ita vna Christi Persona tria hæc, Verbum, carnem, & animam continet. Quæ quidem tria S. Bernardus, tres essentias appellat, simulque magnam differentiam inter SS. Trinitatem & Christum notat. In illa enim tres sunt Personæ, essentia verò est vna: in hoc autem vna est persona; at essentiæ sunt tres. Mox in proximè subsequenti capite miram Dei potentiam prædicat, quæ tàm multùm dispares res in vna Christi Personâ copulârit, nempè, nouum, antiquum, æternum. Nouum, inquit S. Bernardus, animam, quæ de nihilo tunc creata creditur, cum infusa. Antiquum, carnem, quæ à primo vsque homine (id est ex Adam) traducta cognoscitur. Æternum, Verbum, quod ab æterno Patre coæternum illi genitum, indubitatâ veritate asseritur.] Similia & alibi habet. Cùm autem vitis illa, præter propagines, habuerit & gemmas, & flores, & fructus,

Genes. 40. ℣. 10.

Bern. l. 5. de Consi. cap. 9.

Eodem lib. cap. 10.

Serm. 3. in Vigil. Natiuit.

ctus, aptè Verbum cum gemmis conferri poteſt. Sicut enim in vitibus & arboribus gemma eſt principium florum & fructuum: ita Verbum eſt principium & prima cauſa omnium rerum, quæcunque creatæ extant. *Omnia enim per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Cum floribus verò concinnè comparari poterit anima Chriſti, quæ variarum virtutum afflabat odores, quorum ſuauitate capta Sponſa aiebat: *Poſt te curremus, in odorem vnguentorum tuorum.* Inſuper vuis ſimilis eſt caro Chriſti, quia plena fuit pretioſſimo vino, id eſt ſanguine, qui in torculari crucis expreſſus erat. Vnde interrogantibus Angelis: *Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum?* reſpondet Chriſtus: *Torcular calcaui ſolus.*

Ioan. 1. ℣. 3.

Cant. 1. ℣. 4.

Iſ. 63. ℣. 2. & 3.

Deinde vitis illa in ſomnis viſa, commemorato Pincernæ indicio fuit, quòd ex carcere emittendus, & in ſui Regis gratiam reſtituendus eſſet. Quis verò vſpiam extitit æquè horrendus carcer, ac fuit ille, ex quo vt humanum genus erueretur, Saluator noſter, non indicium ſiue ſignum aliquod exhibendo, ſed grauiſſimos labores & dolores patiendo effecit? Meminit huius carceris S. Propheta Zacharias, cùm noſtræ libertatis vindicem Chriſtum alloquitur: *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui, emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.* In quibus verbis per lacum intellexit carcerem, ideoque addidit: In quo non eſt aqua: vt ſic erroris admoneatur, ſi quis putaret vberiorem aquarum perennium collectionem lacus nomine vocatam. Proinde vocabulum lacus idem hîc ſonat, quod in pleriſque ſacræ Scripturæ locis, præſertim vbi ille magnâ caſtimoniâ præcellens Ioſeph explicans, quàm iniuriosè in carcerem conditus eſſet, concaptiuo Pincernæ paucos poſt dies in priſtinum dignitatis gradum reponendo ait: *Suggeras Pharaoni, vt educat me de iſto carcere: quia furto ſublatus ſum de terra Hebræorum, & hîc innocens in lacum miſſus ſum.* En

Carcer ex quo Chriſtus genus humanum eduxit.

Zach. 9. ℣. 11.

Geneſ. 40. ℣. 14. & 15.

carcerem

carcerem cùm nominasset, mox illum appellat lacum. Ratio appellationis est, quia plerumque carcer solet esse profundus, horridus, lutulentus, & instar lacus crassos & putidos vapores exhalantis fœtidus.

Porrò carcer, ex quo genus humanum à Christo emissum Propheta Zacharias testatur, iuxta doctrinam S. Hieronymi, S. Cyrilli, & aliorum multorum, fuit illa subterranea specus, in qua iam inde à primordio orbis conditi, omnium sanctorum Patrum animæ corporibus egressæ includebantur, & ibi vsque ad Christi aduentum detinebantur, qui virtute sanguinis sui in cruce effusi, omnes inde eduxit.

Alter carcer lex vetus.

Non prætereundum arbitror carcerem, quem in verbis Zachariæ nonnulli auctores intelligunt, carcerem (inquam) veteris legis, cui nouam cùm surrogauit Christus, verè genus humanum ex lacu, in quo non est aqua, extraxit. In illa enim lege non erat quidquam, præter infirma & egena elementa, vt loquitur S. Paulus, describens antiquæ legis cæremonias, quæ ad efficiendos homines iustos, nihil conferebant. Omissis alijs, posset cum Theodoreto commemorari carcer idolatriæ, qua obcœcati mortales commentitios & fictos Deos colebant. Nam & ex isto liberauit homines Christus, *qui visitauit nos oriens ex alto, illuminare his, qui in tenebris & in vmbrâ mortis sedent.*

Ad Gal. 4. ℣. 9.

Theodoret.

Tertius carcer idolatriæ.

Lucæ 1. ℣. 78. & 79.

Christus ergo humanum genus ex his carceribus erutum in libertatem vindicauit: & non vindicauit solùm, sed etiam in cælestis regis gratiam per mortem suã restituit. Expressit hoc S. Paulus, cùm ad Romanos scripsit: *Reconciliati sumus Deo per mortem filij eius.* Scitè autem S. Thomas, vt locus hic intelligatur, illustrans eum docet, quòd tripliciter mors Christi considerari possit. Primò secundùm communem rationem mortis, quæ in merâ separatione animæ à corpore & priuatione

Rom. 5. ℣. 10.

S. Thomas in 5. ad Rom. lect. 2.

Christi mors certo modo considerata, Deum hominibus reconciliauit.

tione vitæ ſenſuſque conſiſtit. Hoc autem modo conſiderata mors Chriſti, non fuit Deo ita accepta, vt per eam homines reconciliarentur. Teſte enim ſacra Scriptura, *Deus non lætatur in perditione viuorum.* Secundò, prout mors Chriſti ſonat impiam & ſacrilegam actionem, quâ ſcelerati homines vitam illi ademerunt. Sic verò tantum abeſt, vt per mortem Chriſti reditus ad gratiam Dei patuerit, vt potiùs nouum & maximum ad obtinendam illam impedimentum acceſſerit. Tertiò, quatenus mors Chriſti, proceſſit ex liberâ eius voluntate patiendi & moriendi: quæ quidem voluntas informata fuit, tum ab obedientia, quam Patri æterno præſtitit Chriſtus, iuxta illud S. Pauli: *Factus obediens vſque ad mortem*: tum â charitate, qua humanum genus, cum Chriſtus complexus eſſet, ſæuam mortem ſuſtinere non horruit. Vnde S. Paulus ſcripſit: *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis.* Atque hoc modo conſiderata mors Chriſti tam fuit Deo grata & accepta, vt ad reconciliandum illum hominibus, ſatis ſuperque habuerit.

Sap. 1. ℣. 13.

Ad Phil. 2. ℣. 8.

Ad Epheſ. 5. ℣. 2.

Altera vitis, quâ beatam & cæleſtem vitem Chriſtum adumbratum eſſe, non immeritò quiſque cenſuerit, fuit illa, cuius mentionem fecit S. Patriarcha Iacob, filio ſuo Iudæ benedicens: *Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, ô fili mi, aſinam ſuam. Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.* Docent hîc nonnulli auctores S. Patriarcham prædixiſſe, quòd in diuiſione terræ Chanaan, tribui Iuda ſorte obuentura eſſet miræ fertilitatis regio: nempè quæ tam grandes vites gigneret, vt ad quamlibet earum ſecurè quiſq; aſellum vel aſinam alligare poſſet: item quæ tantam vini copiam afferret, quanta non ad bibendum ſolùm, ſed etiam ad lauandas veſtes ſufficeret. Vinum enim per ſanguinem vuæ intelligi debet, vt etiam intelligitur in illis verbis à

Vitis, de qua egit Patriarcha Iacob, Chriſto accommodatur.

Geneſ. 49. ℣. 11.

Vinum, vocatur interdũ ſanguis vuæ.

Moyse prolatis: *Sanguinem uuæ biberet meracissimum.*
Deut. 32. ℣. 14. Ista autem vini periphrasis, non inde apud viros scientissimos emanauit, quasi vites ex effuso in terram Gigantum sanguine pullulasse, & iccircò amentiam & furorem vino inesse senserint. Mera hæc est fabula, cuius
Lib. 53. Hieregl. cap. 25. fabricatores erant sacerdotes Ægyptij, vt Pierius Valerius refert. Sed neque inde, quasi primus vini inuentor Noë plantans vineam, instillârit vitibus sanguinem quatuor animalium, scilicet leonis, agni, suis, & simiæ. Etiam hæc est fabula, quam gesta Romanorum symbolica, vt & alia multa æquè commentitia tradunt. Hoc tamen nomine meretur ista fabula laudem, quia expressit, quòd pro diuersa corporum temperatione, diuersa
Ebriosorum diuersa ingenia & studia. sint ingenia & studia ebriosorum, quo tempore se ingurgitant, & vino alioué potu obruunt. Tunc enim alij quidem solent esse iracundi, litigiosi, ad rixam & cædes conciti: potiùs feroces leones, quàm homines illos voceres. Alij agnellorum instar, fiunt blandi, mites, modesti, ad cultum Dei & omnem pietatem propensi: omninò illos antiquæ religionis exemplar esse crederes. Alij libidinosi, impuri, intemperantes, qui gaudent, si in cœno luxuriæ volutentur: planè lutulenti porci. Alij denique toti sanniones facti, perridiculè gesticulantur, nugantur, & illud Ennij dicere possunt:

Simia quàm similis turpissima bestia nobis.

Cur vinum dicatur sanguis uuæ. Vera ergo illius periphrasis origo hæc est, quia sicut liquor vini intra folliculos acinorum, ita sanguis intra corpus animantium continetur. Adde, quòd certis in
Columella l. 3. c. 2. locis sint vites rubellianæ, vt eas Columella vocat, quæ vinum rubellum, siue instar sanguinis rubrum suâ naturâ profundunt.

Iam verò omnes sancti Patres longè sublimiorem prophetiam in illis sancti Patriarchæ verbis agnoscunt, cùm eam de Christo Domino editam esse constanter asserunt.

serunt. Et sanè Christo Domino conuenit Hebræum vocabulum SOREK, quo Patriarcha Iacob vsus est, vbi vulgatus interpres simpliciter nominat Vitem. SOREK enim non quamcunque, sed lectissimam & præstantissimam vitem significat. Et idcircò apud Isaiam vineam suam vocans Deus Hebraicè SOREK, in Latina versione vocat eam Electam. Subscribit Symmachus, qui, vt aduertit S. Hieronymus, & S. Basilius, pro vocabulo SOREK substituit vocem ἐκκλεκτὴν, id est Electam. De qua versione tale iudicium dedit prior S. Doctor: Et plantauit eam vineam Sorek: quam solus Symmachus Electam interpretatus est, non verbum è verbo, vt mihi videtur, exprimens, sed sensum, qui tenetur in verbo. Aiunt enim Hebræi, SOREK genus esse vitis optimæ, quòd vberes fructus faciat, atque perpetuos. Denique, SOREK à quibusdam καλλικάρπῳ interpretatur: quod nos in pulcherrimos fructus vertere possumus.]

Christus vitis lectissima & præstantissima.

Isaiæ 5. ℣. 2.

Hieron. ibidem & Basilius.

Quæ verò vitis perinde selecta & præstans fuit, atque est vitis Christus? Præstantiam suam ipsemet significauit illis quoque verbis initiò positis: *Ego sum vitis vera.* Nam secundum Euthymium vitis vera est vitis eximia, cui si omnes aliæ vites comparentur, vitium nomine, indignæ erunt, & falsæ, fucatæ, atque inanes vites apparebunt. Deinde Christus Dominus est, qui ad vineam, id est, ad Ecclesiam, & ad vitem, id est, ad se ipsum, alligauit pullum, id est, populum gentilem, iugo legis nunquam ante domitum, item asinam, id est, populum Iudæorum dicto iugo assuetum: alligauit autem, sibi quidem per fidem, spem, & charitatem; Ecclesiæ verò per concordiam & pacem.

Christus quomodo ad vineam & ad vitem alligauit pullum & asinam.

Præterea Christus in vino sanguinis sui, stolam, id est, sanctissimum Corpus suum lauit. Quomodo enim corpus eius stola, & quidem elegans stola non vocetur? Licuit Dauidi *substantiam suam* siue corpus suum

Quomodo item in vino sanguinis sui, stolam suam idem Christus lauit, lauit & pallium.

Psal. 138. ℣. 15.

vocare RVKKAMTHI, id est, acu pictum, siue opere plumario factum, *in inferioribus terræ*, id est, in vtero matris suæ, vt ibi Chaldæus explicat. Atqui longè potiori iure Christus Dominus corpus suum eodem modo appellare potest, quòd Spiritus sanctus in vtero castissimæ Virginis ex purissimo eius sanguine composuit, concinnauit, & tàm pulchrum effecit, vt oculo prophetico videns illud S. Dauid exclamârit: *Speciosus forma præ filijs hominum.* Eadem pulchritudine recreati Angeli apud Isaiam exclamârunt: *Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ.* Illa verò eiusdem corporis toties & tàm abundè facta sanguine Christi perfusio, quidni appelletur stolæ lauatio? Præter stolam suam, lauit etiam Christ⁹ pallium suum, id est Ecclesiam suam: vt *eam exhiberet ipse sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata,* quemadmodum S. Paulus scripsit.

Chaldæus.

Corpus Christi pulcherrimum.

Psal. 44. ℣. 3.

Isaiæ 63 ℣. 1.

Ephes. 5. ℣. 27.

Confirmatur tota hæc de Christo explicatio verbis illis, quæ loco suprà citato Patriarcha Iacob addidit: *Pulchriores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores.* Cuius enim oculi pulchriores vino, si non oculi Christi, quorum venustatem laudans Sponsa ait: *Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residentiuxta fluenta plenissima.* Columbas lacte lotas, id est, candidas memorat, quia hæ semper pro pulchrioribus & gratioribus sunt habitæ: vsque adeò, vt Syri sanctitatem quandam in eis agnoscerent, easque vel tectis arcere, vel aliquo modo lædere, religioni haberent. Testantur hoc illi versus Tibulli: Quid referam, vt volitet crebras intacta per vrbes, Alba Palæstino sancta columba Syro? Cum albis ergo columbis Christi oculos Sponsa comparans indicat, nihil in illis non pulchrum, nihil non iucundum, nihil non amabile fuisse. Eorundem Christi oculorum venustatem S. Hiero-

Genes. 49. ℣. 12.

Oculi eius venustissimi.

Cant. 5. ℣. 12.

Columbæ candidæ pro pulchrioribus semper habitæ.

Hieronymus attigit. Nam cùm Porphyrius & Iulianus Augustus vitio darent Apostolis, quòd tam facilè adhæserint Christo, & relicto anteactæ vitæ instituto vestigijs eius institerint, respondit S. Doctor, non habuisse homines impios, quod in crimen vocarent: quia fulgor ipse & Maiestas diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie Christi relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu. *Hieron. lib 1. in Matth. cap 9.*

Vel certè oculi Christi sunt Prophetæ, qui oculis mentis omnia, quæ ad ipsum pertinebant, viderunt, & literis mandârunt. Ideoque S. Petrus dixit: *Omnes Prophetæ à Samuel & deinceps, qui locuti sunt, annuntiauerunt dies istos*, id est, dies Messiæ, & quæ sunt in illis peracta. Iuuat hanc appellationem Prophetis nunc datam, quòd tam sæpè in sacra Scriptura Prophetæ vocentur Videntes. Exemplo est illud Scripturæ: *Olim in Israël sic loquebatur vnusquisq; vadens consulere Deum: Venite, & eamus ad Videntem Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.* Quomodo ergo non appellentur oculi, qui appellantur Videntes? Apostoli etiam cur non vocentur oculi Christi, & illis septem oculis non exæquentur, de quibus scriptum est apud Zachariam Prophetam, quòd *sint oculi Domini, qui discurrunt in vniuersam terram?* Per Apostolos enim totum orbem terrarum lustrauit Christus, & quidquid ad obtinendam vitam æternam longè dissitis maximèque diuersis gentibus necessarium erat, diligenter prospexit. Siue Prophetæ, siue Apostoli, siue vtrique vocentur oculi Christi, eò maior pulchritudo illis adscribi debet, quò celebriori sanctitate præditi erant.

Oculi Christi fuerunt etiam Prophetæ: item Apostoli.

Actor. 3. ℣. 24.

1. Reg. 9. ℣. 9.

Zach. 4. ℣. 10.

Deinde cuius dentes sunt lacte candidiores, si non dentes Christi? Cùm enim ipse sit, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*, necessariò omnia eius dogmata, quæ dentium nomine accipi possunt, *Coloss. 2. ℣. 3.*

nunquam etiam minimi erroris nigrore infuscata erant.

Ecclesiæ Doctores sunt etiam dentes Christi.

Possunt ijdē Apostoli & varij Catholicæ Ecclesiæ Doctores Christi dentes vocari. Ita illos vocat S. Thomas circa illa verba Canticorum: *Dentes tui sicut greges tonsarum.* Per dentes (inquit) Ecclesiæ Doctores figurantur. Dentibus enim cibos commolimus & masticamus. Et sancti Doctores benè dentibus conformantur, quia spirituales cibos, quos simplices capere nequeunt, ipsi quodammodò exponendo comminuunt. Dens præcipuus Ecclesiæ erat Petrus, cui dictum fuit in visione: *Surge, & manduca.* acsi diceretur: hos quos ad fidem conuertis, occide ab eo, quod sunt, vt desinant esse peccatores; & manduca, hoc est, transfer in corpus Ecclesiæ.]

D. Thom. in 4. Cant. ℣. 2.

Ibidem.

Act. 10. ℣. 13.

Paulò latiùs proponit idem S. Gregorius Nyssenus: Quicunque, inquit, diuina mysteria, perspicua quadam enarratione quasi comminuunt, vt alimentum spirituale faciliùs accipi à corpore Ecclesiæ possit, hi dentium opus conficiunt, crassumque & consistentem Verbi panem suo ore sumentes, & per subtiliorem contemplationem, aptum esui reddentes animis eorum, qui suscipiunt. Exempli causa (meliùs est enim exemplis sensum exponere) Beatus Paulus nunc quidem simpliciter, & absque vlla præparatione, tanquam frustum quoddam non confectum, nobis proponit legis præceptū, dicens:

Greg. Nyssen. Hom. 7. in idem Cant.

1. Corinth. 9. ℣. 9. *Non obturabis os boui trituranti.* Rursus cùm id comminuisset per expositionem, facit, vt legis voluntas facilè possit accipi, dicens: Num boues curæ sunt Deo, an propter nos omninò scripta sunt? & alia multa eiusmodi.

Ibidem.

Galat. 4. ℣. 22. Vt, *Abraham duos habebat filios, vnũ ex ancilla, & vnum ex libera.* Hic panis est non confectus. Sed quando eum deinde comminuens, facit esculentum ijs, qui nutriuntur, ad duo testamenta transfert historiam: vnum quidem generans ad seruitutem, alterum autem liberans à seruitute.]

Iud. 9. Tertia vitis Christum adumbrans, sit illa in libro Iudicum

Iudicum descripta, quæ, cùm ei omnium arborum suffragijs deferretur regnum, constanter illud repudiauit, & potiùs vitam priuatam agere, quàm splendidum dominatum tenere maluit. Iudex Debora propter magnam sublimium honorum despicientiam, sub illa allegoria vitis laudata repræsentauit Christum, de quo S. Ioannes scripsit: *Iesus ergo cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Fugam hanc expendens S. Augustinus, sic ait: Non erat Rex, qui timebat fieri Rex? Erat omninò. Nec talis Rex, qui ab hominibus fieret, sed talis, qui hominibus regnum daret.] Expendamus & nos S. Augustini verba.

Vitis respuens regnum oblatum, repræsentat Christũ honores fugiẽtem.

Ioan. 6. ℣. 15.

August. tract. 15. in Ioannem.

Asserit inprimis Christum iam tunc fuisse Regem, cum quinque millium turba quinque panibus hordeaceis, & duobus piscibus saturata, Regem illum creare vellet. Quæ assertio prorsus nihil dubitationis habet. Christus enim non tantum quà Deus, sed etiam quà homo à primo Incarnationis puncto fuit Rex: vt etiam illi tres Reges, Deo suggerente, clarè indicârunt, qui Ierosolymis cùm paululùm substitissent, liberè interrogabant: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* Ecce Regem pronuntiant eum, qui paucos ante dies in lucem editus erat, & cum Regia dignitate illum ex vtero materno prodijsse insinuant, cui adhuc in cunis iacenti regia munera oblaturi, & imperium eius in se suosque omnes accepturi veniebant.

Christus ẽtiam quâ homo ab instanti Incarnationis fuit Rex: sed non talis, quales solent esse terreni reges.

Matth. 2. ℣. 2.

Asserit secundò S. Augustinus, Christum non talem fuisse Regem, quales communiter solent esse, qui regnis terrenis præsunt. Etiam hæc assertio in controuersiam vocari non potest. Reges enim terreni insignibus regijs, equitum peditumque turmis, auri & argenti copia, sumptuosarum ædium magnificentia, alijsque rebus ad gloriam & splendorem pertinentibus abundare solent.

re solent. At verò Christus, cùm hæc omnia pro nihilo duceret, paupertatem adamauit, talemque vitam, quæ omnem fastum & pompam respuebat, duxit. Prædixerat hoc Propheta Zacharias illis verbis: *Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.*

Zach. 9. ℣. 9.

Christus pluribus titulis fuit rex nobilissimus.

Accedit quòd Christus nobiliori iure sit Rex, quàm terreni Reges soleant esse. Nam vt passim Theologi docent, Christus est Rex propter vnionem Hypostaticam. Quia enim ille homo Deus est, & humanitas Diuinitatem sibi coniunctam habet, ideò in omnes res creatas potestatem & perfectum dominatum possidet. Est etiam Rex iure hæreditatis. Quia enim Christus, etiam quà homo, est naturalis filius Dei, paternam hæreditatem necessariò obtinet. *Si enim Filius & hæres,* iuxta S. Paulum. Hæc autem hæreditas est, omnium rerum creatarum Dominum & Regem esse. Ipse Pater æternus hoc indicauit. Cùm enim Filio dixisset: *Filius meus es tu: Ego hodie genui te*: statim subiunxit: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Præterea est Christ⁹ Rex titulo Redemptionis, vt S. Ioannes agnouerat, quando ei filius Dei apparuit habens in vestimento sanguine respersо, & in femore suo scriptum: *Rex regum, & Dominus dominantium.* Demonstratum enim fuit, quòd non tantùm propter Incarnationem per femur indicatam, sed etiam propter passionem vestimento sanguine conspersо expressam, factus sit Christus Rex regum & Dominus dominantium. Eodem pertinet illud Isaiæ: *Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est Principatus super humerum eius.* Chaldæus quidem Paraphrastes per Principatum intelligit legem, quàm Christus quia impleuit; ideò illam super humerum portasse à Propheta dicitur. At longè meliùs Tertulliano, Iustino, Cyrillo Alexandrino,

Roman. 8. ℣. 17.

Psal. 2. ℣. 7.

Apocal. 19. ℣. 13. & 16.

Isaiæ 9. ℣. 6.

Quis principatus Christi fuit super humerum eius.

drino, Ambrosio, Hieronymo, Augustino & alijs Patribus, Principatus significat crucem, quam Christus in montem Caluariæ suis humeris portauit. Atque hæc crux vocatur Principatus, quia per illam nos redimendo Christus, factus est *Princeps Regum terræ*, vt in Apocalypsi legimus. Postremò Rex est Christus iure meriti. Meruit enim Christus, vt Rex esset & Dominꝰ omnium, quia mira sui contemptione, & morte dedecoris ignominiæque plenâ, æterno Patri peccatis hominum læso cumulatissimè satisfecit. Hoc sonant illa verba S. Pauli: *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.*

Apocal. 1. ℣. 5.

Philip. 2. ℣. 8. & 9.

Quandoquidem ergo Christus tot & tam præclaris nominibus ab initio statim Incarnationis fuit nobilissimus Rex, quis miretur, repudiatum esse ab illo regnum, ad quod illi offerendum homines iam iam venturi erant? Certè repudiando illud, magnum euitauit malum, cuiusmodi esset, si duntaxat pro Rege tali, qualis humanis suffragijs fieri solet, mundus eum haberet. Quocirca id tunc ipso opere præstitit, quod antea verbo docuit, cùm apud Psalmistam dixit: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo.* Nam secundùm doctrinam Caietani, propterea addidit, quòd *Ab eo*, id est, à Deo Patre constitutus sit Rex, ne quis opinari possit, quòd fauore hominum, vel siderum efficientia adiutus, ad regiam dignitatem peruenisset. Alluſit Caietanus ad Genethliacos, qui natalitia sidera obseruant, & ad obtinendas quantascunque dignitates plurimùm ea conducere affirmant. Addo, quòd regnum terrenum declinando Christus, præclara documenta suis sectatoribus dederit. Ex eorum numero est, quod S. Gregorius sic proponit: Quis principari hominibus tam sine culpa potuisset,

Psal. 2. ℣. 6.

Caietan.

Christus declinando regnum terrenũ, plura documẽta suis tradidit.

Greg. 1. Past. cap. 3.

quàm is, qui hos nimirum regeret, quos ipse creauerat? Sed quia idcircò in carne apparuit, vt non solùm nos per passionem redimeret, verùmetiam per conuersationem doceret, exemplum se sequentib⁹ præbens Rex fieri noluit: ad crucis verò patibulum sponte peruenit: oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis appetijt: vt membra eius videlicet discerent fauores mundi fugere, terrores minimè timere.] Alia documenta apud Sebastianum Barradium legi commodè possunt.

Barrad. Tom. 2. l. 10. cap. 2.

CAPVT TERTIVM.

Christus vitis ab omnibus quorumlibet peccatorum sarmentis liber fuit: & ideò nulla vnquam putatione opus habuit.

ALiquid putatione dignum in vite Christo quærere, maioris insipientiæ est, quàm antiquis fuit: Nodum in scirpo quærere. Christus enim perfectam & omnibus numeris expletam sanctitatem habuit: & nulla vnquam in moribus, & in vita eius, etiam tenuissima labecula, quam expiare opus foret, inueniri potuit. Hanc eius tantam sanctitatem, multæ veteris legis figuræ præmonstrârunt. Huiusmodi fuit agnus Paschalis, quem vt sibi quotannis decima quarta Martij immolarent Iudæi, præceperat Deus. Is porrò agnus, vt ibidem præscribitur, debuit esse ab omni macula liber, vel, vt textus Græcus loquitur, ἄμωμος, id est, nulli reprehensioni obnoxius. Ne quis autem suæ negligentiæ in notandis maculis excusationem aliquam prætenderet, iusserat Deus, vt quisque quatriduo ante, domi suæ

Sanctitas Christi figuris veteris testamenti adumbrata.

Exod. 12.

mi ſuæ agnum haberet, quàm ad immolandum illum accederet. Cuius interpoſitæ moræ hanc nonnulli Rabbini aſſignant cauſam, vt ſi quod occultum agni vitiũ ſtatim non aduerteretur, ſaltem intra tot dies deprehendi poſſet. Agno Paſchali illum ſerpentem æneum adiungo, quem Moyſes de alta arbore ſuſpenderat. Nam vt ille ſpeciem quidem ſerpentis habuit; at veneno ſerpentibus innato caruit: ita *Chriſtus in ſimilitudinem quidem hominum factus, & habitu inuentus vt homo;* peccatum tamen, quo hominibus frequenti vſu nihil eſt coniunctius, nullum vnquam commiſit. Addo & Arcam fœderis, quæ fabricata fuit, ex lignis corruptioni minimè ſubiectis, vt verſio Septuaginta ſonat, vbi Latina verſio vocat illa Setim. Nam & illam Arcam fuiſſe typum admirabilis innocentiæ Chriſti, affirmat S. Hilarius, & S. Cyrillus Alexandrinus: quia Chriſtus nullam admiſit corruptionem, cuiuſmodi eſt peccatum, quod ſanitatem animæ corrumpit, & concentum virtutum deprauat. Propterea S. Paulus ab hac noxia corruptione Epheſios auocans, & ad incorruptionem, ſeu ad integritatem vitæ excitans, ſuam ad illos epiſtolam ſic claudit: *Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in incorruptione.* Quæ verba in ſuo commentario ponderans S. Chryſoſtomus, inquit: Omne enim peccatum corruptio eſt. Et quemadmodum virginem corrumpi dicimus, ita & animam.] Ibidem quemlibet hominem peccatum parui facientem monet: Ne corrumpas animam, quod enim corrumpitur, putredine plenum eſt. Audi Prophetam dicentem: *Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ.* Si illò, id eſt, ad diuinum iudicium abierimus, ita corruptionem animæ habentes incorruptibilem, & perpetuam corruptionem habebimus. Ardere enim, & per vermem perpetuò conſumi, corruptio eſt incorruptibilis.] Hæc ibi &

Numer. 21.

Philip. 2. ℣. 7.

Exod. 25. ℣. 10.

Hilar. in Pſal. 131.
Cyrill. Alex. l. 4. in Ioan. cap. 28.

Epheſ. 6. ℣. 24.

Chryſoſt. ibidem.

Peccatum corruptio animæ.

Pſal. 37. ℣. 6.

plura S. Chryſoſtomus. Placet nonnullis, vt etiam inter figuras perfectiſſimæ ſanctitatis Chriſti numeretur
2. Reg. 14. ℣. 25. Abſalom, de quo ita ſacræ literæ loquuntur: *Sicut Abſalom, vir non erat pulcher in omni Iſraël, & decorus nimis: à veſtigio pedis vſque ad verticem non erat in eo vlla macula.* Nam & hic, licet animam tot & tantorum peccatorum maculis notatiſſimam habuerit, tam eximia ſui corporis pulchritudine, non malè adumbrabat Chriſtum, *ſpecioſum forma præ filiis hominum,*
Pſal. 44. ℣. 3. qui propter decorem & interiorem, & exteriorem, tam venuſtum ſpectaculum
1. Petr. 1. ℣. 12. toti cœlo exhibet, vt veriſſimè S. Petrus ſcripſerit, Chriſtum eſſe; *In quem deſiderant Angeli proſpicere.*

Sed omnes iſtæ, quas attulimus, & aliæ ſimiles figuræ, obſcurè perfectam Chriſti innocentiam teſtantur. Clariùs teſtatus eſt eam æternus Pater, quando per
Daniel. 9. ℣. 24. Angelum Gabrielem, Prophetæ Danieli, & vniuerſo generi humano aduentum filij ſui, in hunc mundum promittens, *Sanctum Sanctorum* illum appellauit. Hac enim appellatione docuit, Chriſtum longè multumque omnibus alijs Sanctis antecellere: ſiquidem illi ſanctimoniam vitæ cum aliquibus ſemper vitijs permiſcebant: Chriſtus autem puriſſimam & omninò mundiſſimam innocentiam ſuam conſeruauit. Non omittendus hîc Hebræus textus, in quo Chriſtus non Sanctus Sanctorum, vt vulgata verſio Latina habet, ſed *Sanctitas*
Pagnin. ibidem. *Sanctitatum*, iuxtâ interpretationem Pagnini, vocatur. Et meritò. Chriſtus enim non tam Sanctus, quàm ipſa Sanctitas, & quidem omnium ſanctitatum maxima ſanctitas fuit. Proinde ad declarandam excellentiam ſanctitatis eius, magis illi nomina abſtracta, vt Dialectici
Salmer. Tom. 1. proleg. 14. form. 9. loquuntur, quàm concreta, ſeruiunt. Annotauit hoc Salmeron, vbi ſcripſit: Nomina abſtracta, quando tribuuntur Deo aut Chriſto, maiorem energiam habent, & magis ei quadrant ob latitudinem ſuam & infinitatem,

Chriſtus omnes Sanctos antecellit ſanctitate.

tem, quàm concreta, quæ finitum quid & determinatum designant: ideoque magis nobis conueniunt. Non paucis Scripturæ sacræ exemplis id confirmat, quę Christo tam multa abstracta nomina, qualia sunt, desiderium collium æternorum, sapientia, iustitia, sanctificatio, redemptio, reconciliatio, propitiatio pro peccatis nostris, lux, & alia similia, tribuit.

Præclarum etiam admirabilis suæ sanctitatis testimonium habuit Saluator noster, quando Angelus Gabriel, cælesti legatione fungens, Virgini castissimæ dixit: *Quod nascetur ex te Sanctum.* Testimonium hoc *Luca 1. ℣. 35.*
ita S. Bernardus considerandum proponit: Attende, *Bern. de Aduentu Hom. 4.*
inquit, quæso, quàm reuerenter dixerit: [Quod nascetur ex te Sanctum. Vt quid enim ita simpliciter Sanctum, & absque additamento? Credo, quia non habuit, quid propriè digneué nominaret illud eximium, illud magnificum, illud reuerendum, quod de purissima videlicet Virginis carne cum sua anima, vnico Patris erat veniendum. Si diceret, sancta caro, vel sanctus homo, vel sanctus infans, quidquid tale poneret, parùm sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinitè Sanctum: Quia quidquid illud sit, quod Virgo genuit, Sanctum proculdubiò ac singulariter Sanctum fuit, & per Spiritus sanctificationem, & per Verbi assumptionem.] Similia his
sunt illa Ruperti: Non dixit Angelus, Qui nascetur ex *Rupert. lib. 1. de oper. Spir. S. c. 10.*
te Sanctus, sed, Quod nascetur ex te Sanctum. Etenim multi quidem sancti vel sanctificati dicuntur, vnum autem est Sanctum, id est sanctitas, qua Sancti omnes sanctificantur. Hoc sanctum est, iste Sanctus Sanctorum, quem non in delicto præuaricationis Adæ conceptum vel natum sanctitas accidens sanctificauit, sed essentialiter Sanctum Virgo incorrupta de Spiritu S. concepit.]

Magni momenti, pro eadem Christi perfectissima sanctitate, est etiam illud S. Pauli testimonium: *2. Corinth. 5. ℣. 21.*

Orig. l. 3. in Epist. ad Rom. *Aug. lib. 2. de cons. Euang. cap. 30.*

Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit. Vbi statim obseruandum occurrit, quod etiam Origenes & S. Augustinus obseruârunt, moris esse scripturæ, vt in vno eodemque sermone, vnum idemque verbum, propriè & figuratè ponat. Sanctus enim Paulus affirmans de Christo, quòd is sit, qui non nouerat peccatum, peccatum propriè pro omni delicto ponit. Cùm verò addit, quòd eum cælestis Pater pro nobis peccatum fecerit, vocabulum peccati, figuratè pro hostia vsurpat. vt sit sensus: Christum, qui non nouerat peccatum, fecit Deus pro nobis hostiam, vt suo sanguine & morte peccata nostra expiaret. Duo ergo S. Paulus de Christo dicit: Et quòd peccatum non nouerit, & quòd peccatum pro nobis sit factus.

Christum pro nobis peccatum factũ esse, quomodo intelligendum.

Quod ad primum attinet, potuitné Apostolus de Innocentia Christi significantiùs loqui, quàm dicendo, quòd peccatum non nouerit? Simplici quidem notitiâ intellectus, seu speculatiuè nouerat Christus peccatum: sed practicè non nouerat, quia ipsa iustitia existens, vt S. Chrysostomus ait, nullum vnquam peccatum commisit. Præterea nouerat Christus peccatum, quia malitiam eius & acerbitatem expertus erat: quando *Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrûm.* Prophetæ Isaiæ sunt hæc verba, quæ Pagninus ex Hebræo sic vertit: Dominus fecit occurrere in eum iniquitatem omnium nostrûm. Qualis versio docet, peccata nostra instar tetrarum & immanium belluarum in Christum incurrisse. Incursum istum planè funestum, deplorans idem Propheta, inquit: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra:* vel vt ex Hebræo nonnulli vertunt: Vulneratus est à præuaricationibus nostris, attritus ab iniquitatibus nostris.

Isaiæ 53. ℣. 6. *Pagninus.* *Isaiæ ℣. 5. 6. eod.*

At verò non nouerat Christus peccatum, quia illi nunquam fauit, sed vt rem maximè detestabilem,

execrari

execrari & reprobare illud, nunquam destitit. Quod autem execratur & reprobat Deus, id ille phrasi scripturæ ignorare dicitur: vt cùm in Euangelio ait Christus: *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam noui vos.* Similiter cùm per Prophetam Hoseam loquitur Deus: *Ipsi regnauerunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognoui.* Quod S. Gregorius illustrans, ait: Quos tamen, internus iudex & prouehit & non cognouit: quia quos permittendo tolerat, profectò per iudicium reprobationis ignorat.]

Matth. 7. ℣. 23.

Hos. 8. ℣. 4.

Greg. 1. par. Past. cap 1.

Quod attinet ad secundum, quamuis Christus innocentissimus fuerit, eum tamen à Deo Patre pro nobis peccatum, id est, hostiam factum esse S. Paulus dixit: dixit autem imitando nonnulla scripturæ loca, in quibus similiter peccatum, hostiam pro peccato significat. Vnicum illum locum ex Prophetia Hoseæ attigisse sit satis: *Peccata populi mei comedent*, id est, hostias pro peccatis oblatas comedent. Istum sensum huius loci interpretes passim agnoscunt, inter quos est S. Thomas, qui etiam alibi tres causas assignat, propter quas Apostolus affirmat, quòd Deus Pater Christum fecerit peccatum, & illi licet filio proprio & sanctissimo, non pepercerit, sed *pro omnibus nobis eum tradiderit*, vt alibi idem Apostolus loquitur. Secundùm tria, inquit S. Doctor, Deus Pater tradidit Christum passioni. vno quidem modo, secundùm quod sua æterna voluntate præordinauit passionem Christi ad humani generis liberationem, secundùm illud, quod dicitur Isaiæ 53. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrùm*: & iterum: *Dominus voluit conterere eum in infirmitate.* Secundò, inquantum inspirauit ei voluntatem patiendi pro nobis, infundendo ei charitatem. Vnde ibidem sequitur: *Oblatus est, quia ipse voluit.*

S. Thom. 3. p. Q. 47. art. 3.

Rom. 8. ℣. 32.

Quibus modis Pater cæleftis tradidit Christum in passionem.

Isaiæ 53. ℣. 6.

Ibidem ℣. 10.

Ibidem ℣. 7.

Tertiò,

Tertiò, non protegendo eum à passione, sed exponendo persequentibus. Vnde & legitur Matth: 27. quòd pendens in cruce Christus dicebat: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* quia scilicet potestati persequentium eum exposuit, vt Augustinus dicit de gratia noui Testamenti. Sic D. Thomas.

Matth. 27. ℣. 46.

Est quoque pro Christi perfecta & admirabili innocentia non leue argumentum, quòd in tanto capitalium eius hostium numero, nullus vnquam sit inuentus, qui eum alicuius etiam minimi peccati conuicerit. Multi quidem illum multorum criminum accusabant, sed nullius conuincebant: cùm tamen omnia iudicia eum, qui in crimen vocatur, conuinci iure optimo velint: ne si secùs fiat, omnes falsis criminationibus pateant. Bonam non bonus Iulianus Imperator ea de re sententiam tulit. Nam vt scripsit Ammianus Marcellinus, cùm Delphidius Orator Numerium Narbonensis prouinciæ gubernatorem peculatus accusaret, Numerius autem omnia negatione expediret, post multam concertationem exclamauit Delphidius: Ecquis florentissime Cæsar nocens esse poterit, si negare sufficit? Cui Imperator: Ecquis innocens esse poterit, si accusare sufficiet? Ipse etiam Christus in his, quæ sibi objciebantur conuinci voluit, cùm dixit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Græcus textus id melius declarat, in quo verbum ἐλέγχει pro quo Latinus habet, Arguet, demonstrationem requirit, vt hæc sit propositio Christi: Quis ex vobis demonstrat & conuincit, quòd aliquam culpam aliquando contraxerim? Vim huius verbi, quia S. Augustinus nouerat, ideò cùm in epistola ad Hebræos vidisset, fidem dici argumentum non apparẽtium, Græcè autem ἔλεγχον, vocem hanc Græcam interpretando, non Argumentum, sed Conuictionem vertit.

Christus nullius vnquam peccati etiam minimi conuictus.

Amnian. lib. 18.

Ioan. 8. ℣. 46.

Aug. l. 13. de Trinit. cap. 1.

Hebr. 11. ℣. 1.

Quantum verò momenti his, quæ nunc afferuntur

tur accedit, quòd non solùm in aliquo peccato Christum aduersarij eius, non conuicerint, sed etiam claris verbis innocentiam ipsius diuulgârint? Fecit hoc domesticus sanctitatis eius spectator, idemque fraudulentus hostis Iudas, cuius vox illa fuit: *Peccaui tradens sanguinem iustum.* Fecit iniquus Iudex Pilatus, qui aiebat: *Innocens ego sum à sanguine iusti huius.* Fecit & Diabolus, qui clamabat: *Sine, quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos? scio te quis sis, Sanctus Dei.* Quis ad probandam Christi innocentiam & sanctitatem maioris efficacitatis testimonia deposcat? Multos & efficaces modos, quibus homines se purgare solent, si quis eis falsum crimen obiectet, enumerat Martinus Delrio, & exemplis illustrat. Verùm omnibus illis vnum hunc præcellere, ægrè negari potest, si alicuius innocentiæ manifesti hostes subscribant, & vitæ ipsius morumque integritatem vltrò suis testimonijs comprobent. Illa est enim vera, inquit diuus Irenæus, & sine contradictione probatio, quæ etiam ab aduersarijs ipsis singula testificationis profert.] Simile est illud S. Hieronymi: Scribunt seculi literæ animantium cæca esse iudicia. Nunquam de amicorum iudicio glorieris. Illud verum testimonium est, quòd ab inimica voce profertur.] Causa cur inimicorum testimonijs tantum tribuatur, hæc est: quòd inimicus quilibet sit diligens, & sagax in indagandis etiam minimis vitijs eius, cum quo illi inimicitiæ intercedunt. Audi Plutarchum: Inimicus, inquit, perpetuò vigilans res tuas infensus obseruat, circuitque vitam tuam, vndequaque ansam nocendi captans. Neque tantum per quercum visu, vt Lynceus penetrat, aut per lapides vel testas, sed & per amicos, famulos, familiares quoscunque, quid rei geras, pro virili explorans, & quid consilij capias, per cuniculos inquirens ac perscrutans. Maximè autem peccatis inhæret inimicus, eaque inue-

Aduersariorum Christi de illius innocentia multiplex testimonium.

Matth. 27. ℣. 4.

Ibidem ℣. 24.

Luca 4. ℣. 34.

Delrio in Disquis. Mag. Tom. 2. lib. 4. cap. 4. Q. 3.

Irenæus lib. 4. contra hæres. cap. 14.

Hieron. Epist. 61. ad Pammachium.

Causa cur inimicorum testimonijs multùm tribuatur.

Plutarch. de capienda ex inimicis vtilitate.

stigat: & sicut vultures ad odorem corruptorum putredine cadauerum feruntur, pura & sana non sentientes: ita inimicum vitia vitæ malæque affectiones mouent: ad hæc assiliunt maleuoli, eaque arripiunt & laniant. Hæc Plutarchus. Si ergo contingat, vt tàm solertis & perspicacis inimici testimonio, alicuius innocentia firmetur, vt firmata est innocentia Christi, quomodo fieri potest, vt ea pro exploratâ & indubitatâ innocentiâ non habeatur?

CAPVT QVARTVM.

Assertio præcedentis capitis quibusdam Christi verbis comprobatur.

NON parùm inter se discrepant interpretes, quis ille sit flagellis grauiter cæsus, & planè excarnificatus, qui sic apud Psalmistam loquitur: *Congregata sunt super me flagella, & ignoraui.* Nam Theodoretus & Euthymius, & alij non pauci, verba hæc Dauidi ascribunt: qui tot flagellis cædi videbatur, quot iniurias à suis inimicis factas patienti animo ferebat. At longè meliùs Sanctus Hieronymus, & Sanctus Augustinus sensu principali verba hæc Christi esse asserunt, & illam flagellationem, quàm in domo Pilati columnæ alligatus Christus pertulit, ab eo commemorari sentiunt. Et sanè, illa tàm atrox Christi flagellatio, verè fuit flagellorum congregatio. Multiplicia enim verba passus est Christus, vt inter cæteros B. Vincentius docet, affirmans, priùs quidem virgis spineis & vepribus, deinde flagellis nodosis & aculeatis, postremò catenis hamatis Christum cæsum esse. Sed fortè non tàm varietatem verberum, quàm atrocitatem illorum Saluator noster

Psal. 34. ℣. 15.

Theod. & Euth. ibidem.

Hieron. & August. ibidem.

Christi crudelem & atrocem flagellationem fuisse, ostenditur.

Vincent. serm. in die Paras.

noster illo modo loquendi exprimere voluit. Tot enim & tantis vulneribus erat concisus Christus, vt omnibus vndique congregatis flagellis flagellatus videretur. Et quidem commemoratus Beatus Vincentius octingenta viginti octo vulnera Christo tunc inflicta fuisse, & singulis ossibus, quæ ille ex sententia Anatomicorum ducenta septuaginta sex numerat, terna vulnera respondisse tradit. Neque vllus huic vulnerum numero contradicet, qui nouit esse non paucos scriptores, qui etiam vltra quinque millia, in numerandis Christi vulneribus procedant. Præterea Christum non fuisse flagellatum iuxta consuetudinem Hebræorum, quibus in cædendo aliquo reo quadragenarium plagarum numerum excedere non licuit: sed iuxta morem Romanorum, qui vt nullis legibus diuinis parere didicerant, ita si quem verberando, contra omne ius & fas excruciassent, religioni non habebant. Quid quòd à pluribus satellitibus Christus sit flagellatus, vt etiam in illo ipso Psalmo declarat Hebræus textus, quem in Latinum transferens S. Hieronymus, loco horum verborum; *Congregata sunt super me flagella* legit: Collecti sunt aduersum me percutientes. Quomodo ergo fieri potuit, vt non plurima vulnera acciperet Christus, cum multi essent, (sex fuisse B. Vincentius docet) qui eum, bini binis succedentes, flagellarunt? Addo, quòd Pilatus flagellationem imperando, placatos per eam, & benè contentos Iudæos dimittere studuerit: ne mortem eius deposcerent, quem tàm crudeliter flagellatum vidissent. Nam & hinc facilè conijcere licet, flagellationem illam grauissimam, & ad adspectum horribilem fuisse: cum pauculis & leuibus plagis, iracundia & odio ardens animus exaturari non soleat. *Deut. 25. ℣. 3.*

Hac igitur & tali flagellatione commemorata Christus, statim subiungit: *Et ignoraui.* Vbi talem quæ-

Hieron. ibidem.

stionem S. Hieronymus proponit: Quid non cognouerit, quæritur? Mox respondet: Quidam putant dolorem vulnerum, quæ patiebatur in Cruce. Sed meliùs ad peccata refertur, quòd non habuerit conscientiam peccatorum, quare crucifixus sit.] Ita S. Hieronymus, iustè corrigens omnes, qui aiebant, quòd Christus ignorauerit; id est, non senserit dolorem, cum flagellaretur, vel cruci suffigeretur. Constantissimè enim Theologi cum S. Thoma docent, fuisse in Christo dolorem sensibilem: quia in eo fuit vera læsio corporis, & verus sensus læsionis: cum & corpus eius passibile ac mortale fuerit, & anima omnes potentias naturales perfectissimè habuerit. Accedit, quòd Propheta Isaias de Christo dixerit: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores ipse portauit.* Ex quo perspicuum est, inquit ibi Hieronymus, sicut corpus flagellatum atque laceratum signa iniuriæ in vibicibus ac liuore portauit, ita & animam verè doluisse pro nobis: ne ex parte veritas & ex parte mendacium credatur in Christo.] Nota hæc vltima Sancti Doctoris verba, quibus ad auctoritatem verborum Isaiæ, hanc etiam pro veritate Catholica rationem annectit, quòd, si Christus cum flagellis corpus eius laceraretur, extrinsecus tantum vulnera accepisset, interea autem doloris acerbitatem non sensisset, specie assimulatæ passionis nos omnes elusisset, & patiendo, verè passus non fuisset. Vera enim passio sine vero dolore non potest esse.

S. Thom. 3. Par. Q. 15. art. 5. & Q. 46. art. 6.

Isaiæ 53. v. 4.

Hieron. ibidem.

Christus ignorauit peccata, id est, nulla commisit.

Quamobrem illud quòd dixit Christus: *Et ignorauit*, meritò S. Hieronymus ad peccata retulit, tanquam si Christus dixisset: Congregata sunt super me flagella, tametsi nullum peccatum commisi. Ignorare enim idem est hîc, quòd non commitere, planè ad normam eorum, quæ paulò ante allata sunt circa illa S. Pauli verba, *Qui peccatum non nouit.* Patheticè autem Christus

ſtus dixit: *Et ignoraui.* Nam, vt benè inquit S. Thomas: Dolor in innocente augetur ex innocentia, in quantum apprehendit nocumentũ illatum, vt magis indebitum. Vnde etiam & alij magis ſunt reprehenſibiles, ſi ei non compatiantur, ſecundum illud Iſaiæ: Iuſtus perit, & non eſt, qui recogitet in corde ſuo. Hæc D. Thomas. *S. Thom. 3. Par. Q. 46. art. 8.* *Iſaiæ 57. ℣. 1.*

Solent etiam nonnulli, illis verbis Chriſtum de ſua innocentia loquentem inducere: *Violenta ſagitta mea abſq; vllo peccato.* Vt ſagittam appellet omnia, quæ paſſus eſt, tormenta, præſertim verò quinque vulnera in Cruce ſibi inflicta. Quamuis autem verba hæc ſint Eliu, iniquè S. Iobum perſtringentis, poſſunt tamen commodè Chriſto accommodari, cuius dicta quinque vulnera, ſunt verè ſagitta, & quidem præſtantior illâ ſagittâ, quàm in cœlo ex quinque ſtellis compoſitam Mathematici oſtendunt. In præſtantiori enim cœlo, id eſt, in ſacroſancto Regis cœlorum corpore, fixa fuit hæc ſagitta: vt idcirco regia planèque cœleſtis ſagitta dici, & in magno honore haberi debeat. Præſtantius etiam lumen, quàm vlla ſtella porrigit. Humanum enim intellectum illuſtrat, vt videat, quanta ſint peccatorum vulnera, quæ nonniſi tantis Chriſti vulneribus potuerint curari. Ideò S. Bernardus: Agnoſce, inquit, ô homo, quàm grauia ſunt vulnera, id eſt peccata, pro quibus neceſſe eſt Dominum Chriſtum vulnerari. Si non eſſent hæc ad mortem, & mortem ſempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. *Iob 34. ℣. 6.* Vulnera Chriſti, ſunt ſagitta, & præſtans quidem ſagitta. *Bern. ſerm. 3. de Natiuit.*

Eadem ſagitta mortiferum vulnus cordi Diaboli inflixit. Faceſſat Herculis ſagitta, qua cor Plutonis transfixum fuiſſe, comminiſcuntur Mythologi. Laus hæc debetur ſagittæ quinque vulnerum Chriſti, quæ planè cor ipſum Tartarei Plutonis traiecit, & aſſeclis eius ſempiternum exitium comparauit, ſecundùm illud ſancti Leonis dictum: Claui illi, qui manus Domini Sagitta vulnerum Chriſti cor Diaboli transfixit. *Leo ſerm. 10. de Paſſione cap. 4.*

pedesq; transfoderunt, perpetuis Diabolum fixêre vulneribus: & Sanctorum pœna membrorum, inimicarum fuit interfectio potestatum.]

Eadem sagitta salutem humano generi attulit.

Eadem sagitta vniuerso hominum generi salutaris fuit. Sagittam, quam Ioas Rex Israël arcu iecerat, *Sagittam salutis Domini, & sagittam salutis contra Syriam* Propheta Eliseus vocauit. Atqui potiori iure sic vocanda est vulnerum Christi sagitta, quæ non corporum tantum, sed etiam animarum salutem nullo vnquam tempore terminandam dedit, secundum illud S. Pauli pronuntiatum: *Et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.*

4. Reg. 13. ℣. 17.

Hebr. 5. ℣. 9.

Eadem fortitudinẽ animi generat.

Eadem sagitta hominibus miram animi firmitatem, & in benè cœptis perseuerantiam conciliat. De Quinto Cicerone Polydorus narrat, quòd, cùm in arce quadam à Gallorum exercitu intercluſus teneretur, ne propter obsidionis angustias deditionem moliretur, animatus fuerit adminiculo sagittæ, quam Iulius Cæsar intra muros arcis, cum tali inscriptione inijci iusserat: Cæsar Ciceroni fiduciam optat. Expecta auxilium.]

Polydor. lib. 8. & comment. Iulii Cæs. de bello Gallico l. 5.

E vulneribꝰ Christi sancti Martyres fortitudinem sumpserunt.

Dicite inuicti athletæ Christi, dicite strenui Martyres, vnde vobis, si non à sagitta vulnerum Christi, tanta fortitudo, vt vos nulla vis tormentorum expugnare, nullæ quantumuis formidolosæ mortis machinæ labefactare potuerint? Respondet vestro nomine Sanctus Bernardus, vbi illa Sponsi verba explicans: *Columba mea in foraminibus petræ*: & per foramina petræ vulnera Christi intelligens, inquit: Stat Martyr tripudians & triumphans, toto licet lacero corpore; & rimante latera ferro, non modò fortiter, sed & alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem. Vbi ergo tunc anima Martyris? nempè in tuto, nempè in petra, nempè in visceribus Iesu, vulneribus nimirum patentibus ad introëundum. Si in suis esset visceribus, scru-

Bern. serm. 61. in Cantic.

Cantic. 2. ℣. 14.

tans

tans ea ferrum profectò sentiret, dolorem non ferret, succumberet, & negaret. Nunc autem in petrahabitans, quid mirum, si in modum petræ duruerit?] Sed & vos magni bellorum administratores dicite, quoties vobis eadem vulnerum Christi sagitta admirandam animi magnitudinem & robur attulit, vt in omnem dimicationem fidenter veniretis, & meliùs animati, quàm parati, hostiles exercitus deleretis?

Vel ex solius Alfonsi Portugaliæ Ducis exemplo, quid sentiendum sit de alijs, conijcere liceat. Is, vt Thomas Bozius refert, contra quinque Saracenorum Reges pugnaturus, cùm animo non parum trepidaret, secundum quietem à Christo confirmatus fuit, iussusq; in aciem descendere, ac signum attollere, in quo quinque eius vulnera depicta essent. Dicto audiens cùm id feciſſet Alfonsus, velut alter Iosue, magnas omnium quinque Regum copias fudit. *Bozius lib. 17. de signis Eccl. cap. 7. an. 1112.*

Vulnera Christi hostem profligant.

Eadem sagitta animas hominum inflammat, vt amore exardescant erga Seruatorem suum, qui amore nostri captus ad toleranda talia vulnera de cœlo descendit. Gloriabatur de vulnere ab hac sagitta susceptò Sponsa, quæ iuxta Septuaginta dicebat: *Vulnerata charitate ego sum.* Gloriabatur cum alijs & S. Augustinus, Deumque collaudans aiebat: Sagittaueras tu cor nostrum charitate tua. Nec inanis fuit talis gloriatio. Pulchrum enim est, inquit Origenes, & decorum à charitate vulnus accipere.] Addo etiam consolatorium id esse, & ad vitam æternam in bona spe habendam, plurimùm conferre. Dicebat olim Ionathas Dauidi: *Si dixero puero: ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi est, & nihil est mali, viuit Dominus.* Idem sibi dici putet, intra quem sagitta vulnerum Christi hæret, & ita operatur, vt Saluatorem suum vnicè diligat, à quo se diligi, vulnera eius intuendo, dubitare non potest.

Sagitta vulnerum Christi, cor hominum inflammat.

Cantic. 5. ℣. 8.

August. l. 9. Confes. cap. 2.

Origen. Hom. 2. in Cantic.

1. Reg. 20. ℣. 22.

Talis

Talis enim pace æterna fruetur, nihilque patietur malorum, quibus obruentur omnes, quotquot contra nominatam sagittam dictamnum quærunt, vel etiam tangi ab ea nolunt. Prudenter ergo citatus Origenes monet: Alius iaculum carnei amoris excepit: alius terreno Cupidine vulneratus est: tu nuda membra tua, & præbe te iaculo formoso.]

Origen. citatus.

Sagitta vulnêrum Christi, bellum peccatis indicit.

Pierius lib. 42.

Postremò sagitta vulnerum Christi bellum indicit, modo non dissimili, illius, cuius meminit Pierius Valerius, cum refert in more Ægyptiorum Sacerdotum fuisse, vt quoties bellum impendens significare vellent, armatum hominem arcu contento sagittam emittentem figurarent. Bellum autem, quod à sagitta vulnerum Christi indicitur, est cum omnibus peccatis bellum. Huius belli ita Christianum quemlibet S. Augustinus commonefacit: Bellum tibi indicitur, in quo enitescas pugnando, vt ad plenam pacem triumphando peruenias. Non contra vnum dimicabis: multi enim contra te exient aduersarij. Pugnabis enim cum vitijs, & vt B. Martyr Cyprianus ait, Si depresseris auaritiam, exurget libido; quod si libidinem superabis, succedet ambitio: & si ambitio à te fuerit deuicta, ira, zelus, æmulatio, inuidentia, superbia, ebriositas, cum cæteris suis pestiferis socijs in vnum contra te dimicantia constituent castra.]

Homini Christiano contra omnia peccata pugnandum.

August. tract. 4. de catech. cap. 1.

Porrò sagittâ hac quinque vulnerum, confixus fuit Christus *Absq; peccato.* Patientissimum in omnibus Iobum, non absque peccato multæ grauium ærumnarum confixerant sagittæ, quas intelligebat cum diceret: *Sagittæ Domini in me sunt.* Si enim ab omni peccato liber fuit, cur Deo dicebat: *Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis?* Non etiam absque peccato sensit Dauid immissas à Deo multiplices sagittas, quas commemorat, sic alloquens Deum: *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.*

Christo omnia vulnera absque vllo peccato inflicta.

Iob 6. ℣. 4.

Cap. 14. ℣. 16.

Psal. 37. ℣. 3.

mihi. Si enim, vt videtur nonnullis, per sagittas intellexit mortem filij ex Bethsabee susceptí: stuprum filiæ Thamar, à fratre eius Amnon per vim illatum: cædem eiusdem Amnon: coniurationem per Absalom contra se factam: suam è regno expulsionem, & alia id genus: omnia hæc contigerunt post tot Dauidis peccata, præsertim post iniustam Vriæ occisionem, & adulterium cum Bethsabee patratum. Achab quoque Regem Israël sagitta in incertum à quodam militum iacta grauiter vulnerauit, & vita priuauit: at non absque peccato. Cum enim Septimus Israëlitarum Rex esset, & viginti duobus annis Regnum administrasset, peccata peccatis cumulare nunquam destitit, & omnes præcedentes Reges improbitate superauit. Scriptura Sacra id testatur: *Fecit, inquit, Achab filius Amri malum in conspectu Domini super omnes, qui fuerunt ante eum.* Sed & ciuitas Ierusalem vndique se sauciatam dolens, aiebat: *Posuit me quasi signum ad sagittam.* At non absque peccato. Illa enim fuit, cuius proteruam malitiam cum intueretur Christus, tenere lacrymas non potuit, & dixit: *Ierusalem Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt.* Solus & vnicus Christus est, qui verè *Absque peccato* vllo sagitta tantorum vulnerum confectus fuit: ideoque solus planè ad veritatem dicit: Violenta sagitta mea, absque peccato.

3. Reg. 22. ℣. 34.

Ibid. cap. 16. ℣. 30.

Threnor. 3. ℣. 12.

Luc. 19 ℣. 41.
Matth. 23. ℣. 37.

Sed præstat occupari verbis, quæ manifestè sunt propria solius Christi, qualia sunt illa: *Venit enim Princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.* Princeps mundi huiꝰ vocatur Diabolꝰ, quia ille, vt sentiunt nonnulli, ætate Nemrot seu Beli, circa annum à diluuio ducentesimũ, idololatriam in mundum inuexit, & honorem Deo debitum, vt sibi obcæcati homines deferrent, effecit. Quamuis multi, etiam ante diluuium idololatriam in mundo extitisse, sentiant. Cùm enim homines ad audendum

Ioan. 14. ℣. 30.

Cur Diabolꝰ princeps mundi huius appellatur.

dendum quidlibet, ita tunc proiecti essent, vt se omnibus flagitijs contaminarent, quæ nonnisi vniuersali cataclysmo elui poterant, verisimile est, in idololatriam quoque multos illorum prolapsos fuisse. Confirmatur hoc illis verbis Geneseos, de Enos scriptis: *Iste cœpit inuocare nomen Domini.* Quorum interpretatio hæc à quibusdam datur, quòd Enos peculiarem quendam modum colendi Deum inuenerit, vt idololatriam, quæ radices agere cœperat, exstirparet. Ob hanc ergo idololatriam, à tot seculis natam, & in mundo mirificè propagatam, nomen hoc obtinuit Diabolus, vt, qui vbique terrarum & gentium, loco Dei colebatur, Princeps mundi vocetur.

Genes. 4. ℣. 26.

Cæterum S. Augustinus per vocabulum Mundus non hanc molem varias rerum creatarum species complectentem, quàm sol quotidie obit, sed homines mundo deditos simulque improbos & lethalibus culpis obstrictos, intelligit. Horum enim omnium principatum Diabolus tenet, præcipuè verò superborum, secundum illud Iob: *Ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ.*

Iob 41. ℣. 25.

Hic igitur Princeps mundi in commemoratis hominibus præter principatum, plurima habet. Nàm, vt alia taceam, habet in eis domicilium suum, quòd sibi struit ex illis trabibus, quarum Christus meminit, & per quas lethalia peccata intellexit. Declaratur hoc exemplo Iudæ, in quem, teste Sancto Ioanne Euangelista, *post buccellam introiuit Satanas.* Prius intrauerat, inquit S. Augustinus, immittendo in cor eius cogitationem, qua traderet Christum, talis enim iam venerat ad cœnandum: nunc autem post panem intrauit in eum, non ad hoc, vt alienum tentaret, sed vt proprium possideret.] Huc etiam pertinet exemplum illius hominis diuitis & auari, qui magnam frugum suarum vbertatem videns, interrogabat: *Quid faciam, quia non habeo, quò con-*

Improbus diaboli sedes.

Matth. 7. ℣. 3.

Ioan. 13. ℣. 27.

August. tract. 62. in Ioan.

gregem

gregem fructus meos? Quem interrogat? Respondet S. Basilius, quòd interroget seipsum, malum vtique & imprudentem consiliarium: cuius sententiæ ne quis multùm confidat, monet Spiritus Sanctus: *Ne innitaris prudentiæ tuæ.*] Diuus verò Chrysologus censet, quòd interrogârit Diabolum, quem intra se habitatorem habuit. Interrogantis, inquit, vox est, Quid faciam? Et quem putas interrogabat iste? Erat in illo alter: quia ad eius penetralia iam Diabolus possessor insederat.]

Basilius Hom. 6. in auaros diuescentes.

Prouerb. 3. ℣. 5. Chrysol. serm. 104.

Iam verò in omnibus, qui nonnisi leuiora peccata committunt, habet ille idem princeps festucas, prout talia peccata, trabibus illa opponendo, Christus appellauit. Iure autem appellauit. Quia licet hæc peccata, propter leuitatem non ita obesse soleant, sicut priora propter suam grauitatem obsunt: tamen si multa coaceruentur, possunt animæ non contemnenda mala creare. Hinc natum illud S. Chrysostomi monitum: Fugiamus modica mala, magna siquidem ab illis nascuntur. Quisquis enim ad quodlibet delictum, dicere didicit consuetum illud; Nihil erit ab hoc damni, paulatim omnia perdet.] Præterea sicut festucæ solent interdum esse alimentum alicuius, quamuis non diuturni ignis: ita & leuiores culpæ, nisi in hoc mundo expurgentur, in altero, igne purgatorio per aliquantulum tempus expiandæ erunt. Hoc etiam significatum illis verbis S. Pauli. *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc (Christum Iesum) aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusq; opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit: quia in igne reuelabitur: & vniuscuiusq; opus, quale sit, ignis probabit.* Idem docetur à Sancto Gregorio Nysseno asserente, quòd in purgatorio, pro varietate culparum, diuersæ irrogentur pœnæ. Pro modo, inquit, ac quantitate materiæ, vel longiore vel breuiore temporis spatio, illa flamma dolorifica,

Matth. 7. ℣. 3. & 4. 5.

Peccata venialia fugienda.

Chrysost. Hom. 12. in 7. ad Roman.

1. Corinth. 3. ℣. 12. & 13.

Nyss. in disput. de animæ & resur.

Peccata venialia sunt tormenta bonæ conscientiæ.

quamdiu fuerit id, quod eam alat, accendetur.] Insuper sicut tenuissima etiam festuca, si in oculum sanum incidat, magnam illi molestiam & dolorem affert: ita si in bonam conscientiam, quæ minimam Dei offensiunculam horret, leue aliquod peccatum irrepat, multùm illam torquet. Experiebantur id plurimi, inter quos

Hieron. Epist. 27. fuit B. Paula Romana, quæ, vt S. Hieronymus dicit, ita leuia peccata plangebat, vt illam grauissimorum criminum ream esse crederes.] In omnibus ergo hominibus semper aliquid Diabolus habet. Solus Christus est,

Ioan. 14. ℣. 30. ex cuius ore vox ista verissimè prodijt: *Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.*

Quia ergo, vt in hoc, & in præcedenti capite, demonstratum est, perfectissimæ & ab omni peccato liberrimæ sanctitatis Christus fuit, meritò ei coronidis

Psal. 44. ℣. 8. loco, cum Dauide Rege cani illud potest: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Quia enim Christus omnis iniquitatis expers fuit, & factus obediens, vsque ad mortem, sanctitatem coluit, propterea illum vnxit Deus oleo lætitiæ, id est, vt explicat Bellarminus, glorificauit eum, & exaltauit eum ad dexteram suam, donauitque illi nomen, quòd est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Atque hæc talis glorificatio rectè dicitur vnctio lætitiæ, quia per eam omnis dolor finem accepit. Addit Bellarminus rectè etiam dictum. *Præ consortibus tuis.* Quamuis enim, etiam Angeli glorificati sint, & homines glorificabuntur, nemo tamen exaltatus vel exaltandus est ad dexteram Patris, & nemo habet vel habiturus est nomen, quale Christus habet, qui solus est caput hominum & Angelorum, atque simul Deus & homo. Vide

Christus ob vitæ innocentiam & sanctitatē ad dexteram patris exaltatus.

apud

apud eundem Bellarminum plura, quæ ibidem doctè, & solidè tradit. Nobis etiam non negligamus canere illud S. Dionysij Areopagitæ: Oportet nos, si ad Christi aspiramus societatem, diuinam ipsius in carne vitam intueri assiduè, sanctamque ipsius inpeccantiam imitando, pro viribus ad sacratiorem habitum exactissimamq; recurrere intelligentiam.] *Dionys. lib de Eccles. Hierarch. c. 3.*

CAPVT QVINTVM.

Christus, siue consideretur vt Viator, siue vt Comprehensor, siue vt Deus, necessariò nihil in se vitiosum habere debuit.

FRequens est apud Theologos & Viatorum, & Comprehensorum mentio. Viatores illi vocantur, qui per bona opera & merita ad æternam beatitudinem tendunt. Tales viatores, vt Corinthij essent, optabat S. Paulus, cùm eos ad constanter in via salutis currendum hortaretur: *Sic currite vt comprehendatis.* 1. Cor. 9. v. 24. Comprehensores autem appellantur, qui commemoratam beatitudinem iam possident, & quòd alij comprehensuros se sperant, hoc illi iam comprehenderunt.

Consimili modo etiam Christum Viatorem simulque Comprehensorem fuisse, constans est ac explorata doctrina. Fuit enim Comprehensor, quia in primo illo momento, quo conceptus erat, anima eius lumine gloriæ prædita, essentiam diuinam videre cœpit, ideoque beatitudinem habuit. Sed cùm eadem Christi anima adhuc passibilis fuerit, corpus etiam eius passibile & mortale: ideò Christus fuit simul Viator, quia per me-

rita & passionem suam tendebat, ad gloriam corporis & ad beatitudinem perfectam seu consummatam, qualis in anima & simul in corpore consistit. Idem Christus fuit verus Deus, vt inter omnes lumine Catholicæ fidei illustratos, sine vlla dissensione constat.

Ista hîc congruè præmittuntur, vbi ostendendum est, quomodocunque consideretur Christus, siue vt Viator, siue vt Comprehensor, siue vt Deus, necessarium fuisse, vt perfectam eius sanctitatem, nullum prorsus vitium inquinaret.

Christus dux viatorum.

Isaiæ 55. ℣. 4.

Daniel. 9. ℣. 25.

Et quidem consideratus Christus vt Viator, omnium Viatorum Dux fuit. Æternus ipse Pater hoc illum titulo ornauit, per Prophetam Isaiam dicens: *Ecce testem populi dedi eum, Ducem ac Præceptorem Gentibus.* Similiter per Danielem, in cuius prophetia numerantur hebdomades sexaginta nouem ad Christum Ducem: non quem sibi insulsè impij Iudæi comminiscuntur, sed ad Christum Iesum, qui solus Sanctus Sanctorum vnctus fuit, præuaricationem consummauit, finem peccati fecit, iniquitatem deleuit, iustitiam sempiternã adduxit, visiones & prophetias impleuit; in summa illesolus omnia præstitit, quæ ibi Deꝰ per Angelũ suum recensuit.

Hebr. 10. ℣. 20.

Quòd autem nihil eorum, quæ ad bonum Ducem spectant, ex parte Christi defuerit, dubitari non potest. Nam Christus, vt S. Paulus scripsit, *Initiauit nobis viam nouam & viuentem.* Initiauit verò, quia cùm passim homines viam, qua itur ad cœlum, ignorarent, & propterea in interitum ruerent, ipse eam ostendit, inculcans illud Isaiæ: *Hæc est via, ambulate in ea: & non declinetis, neq; ad dexteram, neq; ad sinistram.* Ipse etiam primus eam iniuit, opere exequens omnia, quæ alijs facienda præscribebat. Vt idcircò posset conferri cum illo Aminadab, de quò à nonnullis Rabbinorum & à Lyrano traditum est memoriæ, quòd, cùm per diuisi maris

Christus ostendit viam qua itur ad cœlum.

Isaiæ. 30. ℣. 21.

Lyran. in 1. Matt.

rubri

rubri fundum, ire non auderent educti ex Ægypto Iudæi, primus ille arrepto vexillo inter tumentes vtrinque vndas progredi cœperit, omneſque vt idem facerent, ſuo exemplo excitarit. Pari enim ratione, cùm viam virtutum, quæ ducit ad cœlum, horrerent homines, multaſque eius ſalebras pertimeſcerent, primus Chriſtus in eam ſe dedit, & omnes eius aſperitates non difficulter ſuperari poſſe, monſtrauit. Planè vt decuit Ducem & vexilliferum illum, qui futurus erat in ſignum populorum, & leuaturus ſignum in nationes, & congregaturus profugos Iſrael, & diſperſos Iuda à quatuor plagis terræ collecturus, quemadmodum prædixerat Iſaias, per ſignum intelligens vexillum, vt & Pagninus ex Hebræo vertit. Præterea primus Chriſtus per dictam viam ad cœlum peruenit, portaſq; eius per aliquot millia annorũ clauſas aperuit: vt iam per omnes duodecim portas apertas, & S. Ioanni Euangeliſtæ oſtenſas, cælorum domicilia vniuerſis hominibus intrare liceat.

Iſaiæ 11. ℣. 10.

Apocal. 21. ℣. 25.

Hinc apparet cur citatus S. Paulus, viam ad cœlum ducentem, & nouam, & viuentem appellauerit. Eſt enim noua, quia ante Chriſtum nullus illam ita iniuit, vt ad cælum penetraret. Eſt etiam viuens, quia eò ducit, *vbi Iuſti in perpetuum viuent, & vbi mors vltrà non erit.* Vtramque appellationem complexus eſt S. Hieronymus illis verbis: Terram viuentium ante aduentum in carne Domini Saluatoris, nec Abraham, nec Iſaac, nec Iacob, nec Prophetæ, & alij iuſti viri conſequi potuerunt.] Benedictus ſit æternus Pater, cuius beneficio talem Ducem habemus. Apage cum tuo Iano & Mercurio innumeris erroribus obcœcata Gentilitas, quorum alterum vt viarum indicem, alterum vt earundem Ducem impiè coluiſti. Faxit Chriſtus Dux verus, vt illum ſequamur, & in numero eorum non ſimus, dequibus S. Bernardus queritur; Domine Ieſu, quàm pauci ſunt,

Sapien. 5. ℣. 16. Apocal. 21. ℣. 4.

Hieron. Epiſt. 129. ad Dardanum.

Bern. ſerm. 21. in Cant.

ci sunt, qui post te venire volunt, cùm ad te, nullus sit, qui peruenire non vult; cupientes consequi, sed non sequi.] Faxit idem, vt in nobis effectum suum sortiatur illud S. Pauli monitum: *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesum.*]

Ad Hebr. 12. ℣. 2.

Non solùm autem Dux, sed etiam Regula nostra Christus Viator fuit. Solent Architecti habere regulam, quâ opus, quod fabricantur, examinant, nè quid in eò sit distortum & prauum. Hæc porrò regula debet esse recta: tum vt nomini suo respondeat, quòd à rectitudine accepit: dicta enim est regula quasi rectula, vt Sanctus Isidorus annotauit: tùm ne artificem fallat, & fabricam vitiosam reddat. Hoc volunt illa verba Sancti Thomæ: Oportet primum regulans torqueri non posse: quia alias esset error in omnibus, quæ ad ipsum regulantur. Item illa Pôetæ: Si praua est regula prima, omnia mendosè fieri atque obstipa, necessum est.]

Christus Regula virtutum & actionum humanarum perfectissima.

Isid. lib. 19. Orig. cap. 18.

S. Thom. Tom. 7. in 3. sent. dist. 12. Q. 2.

Rectissima verò regula omnium virtutum & actionum humanarum Christus Viator fuit, vt benè Sanctus Ambrosius expressit: Omnis, inquit, actio, omnis item sermo Saluatoris nostri Iesu Chrsti, excolendæ pietatis virtutisque obeundæ regula est. Propter hoc enim etiam humanam naturam suscepit, vt in se velut in tabula quadam, veram nobis pietatem ac virtutem depingeret, eamque omnibus nobis maribus simul ac feminis, ante oculos statutam, vnicuique pro viribus imitandam, ceù Archetypon proponeret.]

Ambr. in Constit. Monast. cap. 12.

Quid quòd ipse Christus talem regulam semper se fuisse declarauerit, quando Prophetæ Ezechieli vnâ manu funiculum lineum, vel, vt habent Septuaginta, funiculum ædificatorum; alterâ calamum mensuræ tenens apparuit? Nàm & per funiculum, & per calamum debere intelligi regulas, quibus Architecti vtuntur, vt rectum ædificium assurgat, certum est. Porrò

Ezech. 40. ℣. 3.

Porrò ſicut vtrumque, ſcilicet & Dux, & Regula humano generi Chriſtus Viator erat: ita vtrumque, vt Chriſtus nullum vnquam peccatum committeret, requirebat. Si enim vel minimum commiſiſſet, omninò de via, quæ ad cælum ducit, nonnihil deflexiſſet, & à norma perfectæ innocentiæ aliquantùm aberraſſet. Ratio eſt, quia ſola Diuina lex, ſi exactè conſeruetur, quemlibet ad æternam vitam tendentem, ab omni errore vindicat, vt inſinuauit Dauid illis verbis: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* *Pſal. 118. ℣ 1.* Atqui etiam exiguum peccatum, eſt contra legem Dei, teſte S. Auguſtino, qui agens contra Fauſtum Manichæum, ſic peccatum generatim definit: Peccatum eſt factum vel dictum vel concupitum aliquid, contra æternam legem; lex verò æterna eſt ratio Diuina vel voluntas Dei.] Confirmatur idem teſtimonio S. Bernardi, qui eadem minutiora peccata contra mandatum Dei eſſe affirmat, vbi ſcripſit: In hoc genere tranſgreſſionis ſunt nonnulla ſtultiloquia, ſeu vaniloquia, & quæque otiosè dicta, facta, & cogitata. Huiuſmodi enim nunquam, niſi contra mandatum, & Dei mandatum vſurpantur. Peccata quippe ſunt, & Deus prohibet omne peccatum, & tamen venialia non criminalia reputantur.] Neque his contradicunt Theologi, cum docent peccata venialia non eſſe Contra, ſed, Præter legem Dei. Nam, vt benè annotauit Gregorius de Valentia, cum hoc docent, tantum ſignificant, ea non ita legi repugnare, vt repugnent fini legis, nempe charitati & amicitiæ diuinæ, atque adeò vt impedimento ſint, quo minùs quis beatitudinem acquirat.

Omne peccatum aduerſatur legi Diuinæ.

Auguſt. con. Fauſt. Manich. l. 22. c. 27.

Bern. in Tract. de præc. & diſp. c. 14.

Greg. de Valent. in 1. 2dæ. diſp. 6. Q. 18. punct. 1.

Deinde ſi Chriſtus aliquod peccatum contraxiſſet, humanarum actionum bona & perfecta regula neutiquam fuiſſet. Nunquid hoc, non aſſereret Dauid, qui in ſuo Pſalmo cum præmiſiſſet: *Rectus Dominus Deus noſter* *Pſal. 91. ℣. 16.*

noſter, mox ſubdidit: *Et non eſt iniquitas in eo.* Quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet: ideò rectus eſt Deus, quia in eo non habet iniquitas locum, quæ rectitudinem tollit. Nunquid idem non affirmaret S. Gregorius, qui ſcripſit: Nequaquam veraciter rectus eſt, qui adhuc à prauitatis deſiderio liber non eſt.] Numquid idem non approbaret S. Chryſoſtomus, cuius ſunt illa verba: Rectum eſt, quod Deus vbique maximè requirit? Talis etiam eſt virtus, nempè plana & expedita: quemadmodum improbitas eſt quid peruerſum, varium & quòd non habet exitum,] Omnes enim hi Sancti viri ita de peccato loquuntur, vt illud eſſe quid diſtortum & obliquum dicant, ſimulque rectitudinem cum illo non poſſe conſiſtere doceant. Neque putandum, quòd ſolùm grauia peccata intelligant. Certè S. Bernardus expreſſe de vanis & otioſis verbis agens, homines propter illa non eſſe rectos pronuntiat. Sermo, inquit, vanus non erit abſque iudicio: quia ab omni rectitudinis ſtatu decreunt, qui per verba vana dilabuntur.]

S. Greg. lib. 9. Moral. cap. 31.

Chryſoſt. in Pſalm. 124.

Bern. de inter. domo, cap 43.

Iuſtè ergo nullum vnquam peccatum Chriſto adhæſiſſe, conſtanter aſſeritur, vt ſic eum omnis ſanctitatis & innocentiæ rectiſſimam regulam eſſe agnoſcamus. Planè ad inſtar materiatæ regulæ, quæ vt recta eſſe cenſeatur, medium extremis eius reſpondere, & omnis diſtortio ab illa abeſſe debet. Nàm vt ſcripſit Seneca regulam quâ rectum probari ſolet, ſi flectes, quidquid ex illa mutaueris, iniuria eſt recti.]

Seneca Epiſt. 71.

Vtinam cùm fructu commemorata ſit exacta regula Chriſtus. Ad hanc tu magne Doctor Gentium congruenter tuum illud inclamares: *Quicunq; hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos & miſericordia.* Sequuntur autem illam, qui adlaborant, vt omnes animi prauitates euitent, & recto eſſe corde valeant, ſcientes prauum cor & diſtortum conformari illi & adaptari non poſſe.

Galat. 6. ℣. 16.

posse. Bellè id S. Augustinus illustrauit, cum scripsit: Quomodo distortum lignum, etsi ponas in pauimento æquali, non collocatur, non compaginatur, nec adiungitur, semper agitatur & nutat, non quia inæquale est, vbi posuisti, sed quia distortum est, quod posuisti: ita & cor tuum, quamdiu prauum est, & distortum, non potest collineari rectitudini Dei, & non potest in illo collocari, vt hæreat illi, & fiat rectum.] *August. in Psal. 31. enarrat. 2.*

Iam verò si consideretur Christus vt Comprehensor, etiam sic, & longè quidem clariùs apparet, necesse fuisse, vt ab omni etiam tenuissimi peccati labe immunis esset. Nàm, vt ad initium huius capitis attigi, Christi anima, statim vt creata est, fuit Beata, & essentiam Dei perspicuè videbat. Ipsemet Christus indicauit hoc illis verbis: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo.* In quibus interpretes scripturæ in primis aduertunt, quòd verbum, Ascendit, non sit præsentis temporis, sed præteriti, vt constat ex Græco ἀναβέβηκεν. Deinde quærunt, quomodo Christus, cum hæc in terra degens loqueretur, iam ascenderat in cælum, & in cælo fuit? Qui autem ad præsens institutum respondet, est Caietanus, dicens Christum locutum esse, non de corporeo in cælum ascensu, sed de diuinæ essentiæ conspectu, quo anima eius, adhuc mortali corpori coniuncta, non desistebat frui. Sunt nonnulla alia Christi verba adductorum similia, vt sunt illa: *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum ego, illic & minister meus erit.* item illa: *Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum.* Nam & his, quando suam in cælo præsentiam commemorat, vtique eam intelligit, quàm non tantum secundùm diuinam naturam, sed etiam secundùm animam habuit, quæ tunc etiam, cum Christus in terra cum hominibus versaretur, in gloria, erat Deumque videbat: & quidem

Christi anima ab ipsa statim sua creatione clarissime Deum intuebatur.

Ioan. 3. ℣. 13.

Ioan. 12. ℣. 26.

Ioan. 17. ℣. 24.

multò clariùs videbat, quàm omnes Beati, tum homines, tum Angeli videant. Anima enim Christi, cùm sit arctissimè coniuncta Verbo Dei, scilicet in persona, ideò præ omnibus beatis perfectius & vberius lumen gloriæ, quo Deum videret, ab illo accipiebat. Atque hoc præter S. Thomam docuit Richardus Victorinus, illis verbis: Ab ipsa hora conceptionis suæ, Christus repletus est totius dulcedinis & totius suauitatis plenitudine. De hoc torrente voluptatis cæteri potantur, sed in patria: Christ⁹ hoc ipso potat⁹ est, etiam in peregrinatione sua.]

Richard. l. 2. de mman. cap. 23.

Quorum omnium, cum non possit conuelli Veritas, quis Christum vel aliquando peccasse, vel peccare potuisse, absque impietate sentiat? Omnes enim vniuersè, qui Deum vident, hac felicitate potiuntur, quòd eorum voluntas tantam rectitudinem habeat, vt ad peccatum nullo prorsus modo inflecti possit. Pluribus in locis est ea de re S. Augustini doctrina, præsertim in Enchiridio, vbi ait: Sic oportebat priùs hominem fieri, vt & benè velle posset & malè, nec gratis, si benè, nec impunè, si malè: postea verò sic erit, vt malè velle non possit.] Eandem doctrinam tradit S. Thomas, qui ad perfectam beatitudinem in visione Diuinæ essentiæ consistentem, commemoratam voluntatis rectitudinem omnino requirit, & ex natura talis beatitudinis eam promanare asserit.

Augusti. in Enchir. cap. 105 & lib. 22. de Ciuit. cap. 30.

S. Thom. 1. 2. Q. 4. art. 4.

Et sanè is est Deus, vt si eius essentia clarè ab intellectu quocunque videatur, non possit voluntas ab eo resilire. Nam inprimis cum bonum sit, quòd omnia appetunt, iuxta definitionem ab Aristotele datam, quam D. Dionysius sequitur, & D. Basilius laudat: quidni voluntas Deum, qui se ipsum omne bonum vocauit, ardenter appetat, & vbi eum possederit, perpetuò illi adhæreat? Adhuc Dauid, seipso teste, *collocatus in obscuris*, ad Deum clarè videndum admissus non erat, quando

Aristot. l. 1. Ethic. c. 1. Dion. c. 4. de Diu. Nom.

Basil. in Psal. 44.

Psal. 142. ℣. 4.

quando dicebat: *Adhæsit anima mea post te.* Adhuc Sanctus Paulus per speculum & in ænigmate eundem videbat, audacter tamen scripsit: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* & paulò post: *Certus sum enim, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia, poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Quanta ergo animarum ad Deum adhæsio erit, quando ex hoc caliginoso loco & vmbrâ mortis euolutæ, conditorem suum facie ad faciem videbunt? Præterea voluntas est, quæ deserere non solet, quod ad explenda sua desideria idoneum esse iudicat. Et in tanta quidem rerum creatarum varietate nihil tale reperiri potest, vt experientia tot seculorum probat, qua duce & magistra pulchrè grauis auctor scripsit: Cor paruum est, & magna cupit: Vix ad vnius milui refectionem sufficere posset, & totus ei mundus non sufficit.] Solus Deus verè & abundè explendis omnium desiderijs sufficit, ideoque in sacris literis inter decem nomina, quæ S. Hieronymus enumerat, hoc etiam conuenienter habet vt SSADDAI id est Sufficiens vocetur. Hanc sufficientiam eius cum animo præuideret Dauid, mirè exhilaratus in illas voces prorumpebat: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.*

Psal. 62. ℣. 9.

1. Corin. 13. ℣. 12.

Roman. 8. ℣. 35. 38. 39.

Idem supra cit.

Hugo lib. 3. de anima.

Solus DEVS omnium desiderijs sufficit, qui omnium rerum desiderabilium perfectiones continet.

Hieron. Epist. 136. ad Marcellam.

Psal. 16. ℣. 15.

Ratio autem huius sufficientiæ est hæc, quia cum infinitus sit Deus, omnium rerum desiderabilium perfectiones, excellenti & eminenti modo in eo continentur: secundum illud S. Pauli: *Ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia*: item illud S. Dionysij: Deus non quidem hoc est, hoc autem non est, sed omnia est & omnium causa:] item illud, quòd ipse Deus in Leuitico protulit: *Ero Deus vester, vos; eritis populus meus,* vel vt S. Paulus hunc

Rom. 11. ℣. 36.

Dionys. cap. 5. de Div. Nomin.

Leuit. 26. ℣. 12.

2. Corin. 6. ℣. 16. hunc locum citat: *Ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Ad quæ verba S. Augustinus inquit: Quid hoc

August. lib. 22. de Ciuit. cap 30. est aliud, nisi, ego ero vnde satientur: ego ero, quæcunque ab hominibus honestè desiderantur, & vita, & salus, & virtus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona: sic enim & illud rectè intelligitur, quod

1. Cor. 15. ℣. 28. ait Apostolus, *Vt sit Deus omnia in omnibus.* Ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Hæc Sanctus Augustinus.

Ad hunc ergo Deum videndum, cum anima admissa fuerit, & omnium rerum, quæ optari possunt, affluentiâ frui cœperit, quò tandem modo illum deserere, aut posset aut vellet? De animâ hominis probi, quæ

Basil. Hom. 4. de grat. act. nondum hac beatitudine potitur, & adhuc in mortali corpore moratur, scripsit S. Basilius: Anima, quæ semel se modis omnibus desiderio astrinxit sui conditoris, iamque insueuit oblectare se tantæ illius pulchritudinis contemplatione, prorsus non sinet vehemens illud gaudium, animique sui iucundissimam diffusionem intercipi, aut immutari, per multitudinem & succedaneam carnalium affectionum mutationem.] Quid tandem sentiendum de anima beata, quæ statim, ac Deum videre incipit, omnibus modis illi se astringit, cantans illud

Cant. 3. ℣. 4. Canticorum: *Tenui eum, nec dimittam,* & ex contemplatione diuinæ pulchritudinis inexplicabilia oblectamenta percipit, illud S. Dauid repetens: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quàm abscondisti timentibus te?*

Psal. 30. ℣. 11. Verendumne, vt tanta felicitate per omnem æternitatem frui velit: præsertim cum ab omnibus affectionibus prauis sit libera, noritque alienationem à Deò (vt

Basilius in reg. fusius disput. resp. ad interrogat. 2. commemoratus S. Basilius scripsit) auersionemque, cui modo ea contigerit malum esse omnibus, quæ in gehenna expectantur, intolerabilius, veluti oculo priua-

tio

tio luminis, etiamsi dolor non adsit, itemque animanti ademptio vitæ.] Missis alijs, securè iam cuilibet animæ, tàm magno, tàm bono, tàm suaui Deo fruenti, dicamus cum S. Augustino: Aliud desidera, si maius, si melius, si suauius inueneris. *Augustin. in Psalm. 26. enarr. 2. in fine.*

Succedit tertius modus considerandi Christum, vt est Deus: modus certè, ad id, quod ostendendum suscepimus, apprimè aptus, & multùm efficax. Nullus enim, nisi insanissimus, audeat sentire, Deum peccare, aut peccare posse. Quomodo enim peccaret, quem Propheta Habacuc alloquebatur: *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris?* Quomodo peccaret, de quo Rex Salomon scripsit: *Similiter autem odio sunt Deo, impius & impietas eius?* Quomodo peccaret, qui dixit: *Mendacium fugies: insontem & iustum non occides: quia auersor impium?* Quomodo peccaret Omnipotens, si quidem peccatum ex impotentia & infirmitate procedit? Docet hoc S. Dionysius: Fieri inquit malum non virtutis. sed infirmitatis est. S. item Thomas qui scripsit: Posse peccare, est posse deficere in agendo, quod repugnat omnipotentiæ. Et propter hoc Deus peccare non potest, qui est omnipotens.] Quomodo peccaret summum bonum, cum peccatum sit summum malum, & propriè dictum malum: cuius comparatione omnia, quæ mala pœnæ vocantur, solùm videntur esse mala, cum verè non sint. Audi S. Basilium: Malum, inquit, propriè peccatum, hac verè dignum appellatione à nostra voluntate pendet: propterea quòd in nobis situm est, vel abstinere à malitia, vel malum committere. Reliqua verò quæ appellantur mala, partim ad exercendos dantur bonos, & declarandum fortitudinem (quemadmodum Iob filiorum priuatio, totius substantiæ breui tempore amissio, corporis plagæ ac cicatrices) partim vt medela eorum, qui delique-

Grandis insania dicere Deum peccare. *Habac. 1. ℣. 13.* *Sap. 14. ℣. 9.* *Exod. 23. ℣. 7.*

Peccatum ex infirmitate ac impotentia nascitur. *Dion. Areop. l. de Diu. Nom. cap. 4.* *S. Thom. 1. par. Q. 25. art. 3.*

Basil. Hom. 9. Quod Deus non sit auctor malorũ.

deliquerunt: ſicuti Dauidi accidit domus confuſio, iniuſtæ cupiditatis pœnas danti.]

Peccatum ignorantia nuncupatur & inſipientia.

Poſtremò quomodo peccaret infinita ſapientia, quandoquidem peccatum eſt mera ignorantia, ſtultitia, inſipientia, vt legenti diuinas literas patet, quæ peccatum his nominibus frequenter vocant. Neque enim aliæ ignorantiæ, niſi peccata intelliguntur, cum tertio capiti Habacuc talis titulus præfigitur: *Oratio Habacuc Prophetæ pro ignorantijs.* Timens enim Propheta, ne propter Iudæorum peccata, promiſſionem ſuam de venturo in mundum Chriſto, differret Deus, petitionem inſtituit, vt ea illis condonaret, & potiùs datæ fidei, quàm peccatorum ignorantis populi, rationem haberet. Simillimo dicendi modo vſus eſt Dauid, orationem ſuam ad Deum conuertens: *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Vbi verbum Hebræum PHESSAGHAI Pagnino quidem ſignificat Præuaricationes meas, alijs ſcelera mea: ſed vulgatus interpres ſecutꝰ eſt Septuaginta, & vocem eorum ἀγνοίας, propriè vertit, Ignorantias. Non aliam etiam ſtultitiam, niſi peccatum, intellexit Thamar, cùm fratri ſuo Amnoni diceret: *Noli facere ſtultitiam hanc.* Hinc factum, vt omnes qui peccatum committunt, ſtulti vocentur, præſertim in textu Hebræo, ex quo ſatis ſit vnicum illud exemplum adducere: *Non ſtabunt ſtulti coram oculis tuis.* Sic enim ille ſonat, vbi communiter legitur: *Neq; permanebunt iniuſti coram oculis tuis.* Occurrunt & in Latino textu non diſſimilia exempla, inter quæ eſt illud: *Ne impiè agas multùm, & noli eſſe ſtultus: ne moriaris in tempore non tuo.* Peccatum etiam ſuum intellexit Dauid, cùm inſipientiam nominauit, dicens: *Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ.* Ad quæ verba Origenes: Rectè autem, inquit, peccatum inſipientiam nominauit. Nemo enim ſapiens id aliquando committit.]

Habac. 3. ℣. 1.

Pſalm. 24. ℣. 5.

2. Reg. 13. ℣. 12.

Pſalm. 5. ℣. 6.

Eccleſ. 7. ℣. 18.

Pſal. 37. ℣. 6.

Origen. ibid.

Meritò

Meritò ergo ſolent docere Theologi, Peccatum non poſſe committi, quin error in intellectu præcedat. Meritò & Ariſtoteles dixit: Omnis prauus ignorat, quæ agere oporteat.] *Ariſt. 3. Ethic. c. 4.*

Atqui Deus peccaſſet, ſi Chriſtus aliquando peccaſſet. Quia enim perſonam Chriſti diuinam eſſe agnoſcimus, & vt loquitur Concilium Lateranenſe, propriè & ſecundùm veritatem ex duabus naturis ſubſtantialiter vnitis, inconfusè & indiuisè vnum eundemque eſſe Dominum & Deum Ieſum Chriſtum confitemur: ſi is peccaſſet, vtique Deus peccaſſet. *Concil. Later. ſub Mart. 1. conſult. Vit. Gano. 8.*

Nec eſt, quòd quis dicat, Chriſtum per naturam humanam peccare potuiſſe. Peccare enim, non eſt naturæ, ſed perſonæ. Deinde cùm Anima & Corpus Chriſti fuerit quaſi organum Deitatis, vt S. Damaſcenus & S. Thomas pluribus in locis docet, pertinebat ad Deitatem, ita animam regere, vt ad eam omnes aditus peccato intercluderet, & nullâ eam labe inquinari permitteret. *Damaſc. l. 3. Orthod. fidei cap. 15. & 19. S. Thom. in 3 ſent. diſt. 12. q. 2. art. 1. 1a. 2æ. q. 112. art. 1. ad 3 alib*

Quodſi hoc neglexiſſet, peccatum quodcunque commiſſum fuiſſet, in Deitatem & in voluntatem diuinam redundaſſet. Explicatè id tractat Franciſcus Suarez, vbi inter alia ſic ait: Quando plures naturæ & voluntates eandem perſonam componunt, ad officium ſuperioris voluntatis, ſpectat, inferiorem appetitum ſeu voluntatem in officio continere, atque ad id, quod honeſtum eſt dirigere, ſi poteſt. Hoc igitur negligere ſeu prætermittere, defectus eſſet ipſius ſuperioris voluntatis. Cùm ergo natura Diuina & humana vnam perſonam Chriſti componant, ad Diuinam voluntatem, quæ ſuprema eſt, & poteſt inferiorem, ſcilicet humanam, ita dirigere, vt ſemper & ſine defectu honeſtè operetur, pertinet ad illam hoc munus præſtare, & ad rectitudinem eius ſpectat ita facere: & ideò ſi aliquis defectus in hoc *Suarez in 3. Part. D. Thom. Tomo 1. diſp. 33. ſect. 2.*

committeretur, in illam redundaret. Exemplo hominis id illustratur. Sunt enim in homine duo appetitus, inferior & superior, & ad superiorem pertinet moderari inferiorem. Vnde si aliquis defectus moralis est in inferiori appetitu, qui possit à superiori præueniri & vitari, & non fiat, imputatur ipsi voluntati.]

CAPVT SEXTVM.

Christus vt humani generis & Magister, & Medicus, & Redemptor, ab omni labe peccati liber esse debuit.

PRæter illa, quæ attigi, cùm in superiori capite de Christo Viatore egi, tria erant, quæ potissimùm in mundo præstanda susceperat Christus, scilicet vt humanum genus doceret: vt peccata eius tolleret: postremò vt in cruce moriendo à misera captiuitate illud redimeret. Quæ omnia continentur in illis verbis, quibus Propheta Isaias sic loquentem Christum inducit: *Ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam.* Suas enim doctrinas, cùm traderet Christus, verè annuntiauit ea, in quorum ignoratione, cum magno damno mundus versabatur. Peccata etiam tollendo, medebatur contritis corde, cùm peccata sint graues animæ morbi, quibus sanandis opus fuit ille medicus, quem Christus intellexit (seipsum autem intellexit) cùm diceret: *Non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus.* Insuper moriendo in cruce prædicauit captiuis indulgentiam, siue libertatem, quam ibi verbum Hebraicum DEROR, propriè significat. Tunc enim Deus humano generi indul-

Triplex officium Christi erga homines.

Isaiæ 61. ℣. 1.

Matth. 9. ℣. 12.

indulgentiam tribuit, & ex diuturna captiuitate erutum in libertatem vindicauit.

Quod spectat ad docendi munus, hoc planè conueniebat Christo ratione vnionis hypostaticæ, quia ratione huius fuit caput omnium, vt S. Paulus tradit in Epistola ad Ephesios inquiens: *Ipsum dedit (scilicet Pater) caput super omnem Ecclesiam.* Sicut ergo humani capitis est, in totum corpus influere, & motum sensumque illi tribuere: ita Christi fuit influere in totam Ecclesiam, &, vt illi etiam doctrina scientiaque necessaria non deesset, prouidere. Præterea ratione eiusdem vnionis, Christus est Summus Sacerdos & Pontifex, attestante ipso Deo Patre: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech,* & Sancto Paulo in Epistola ad Hebræos: *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetrauit cælos, Iesum Filium Dei.* Pontificis autem est, conuenientibus doctrinis suos excolere, vt monstrauit Deus, quando præscribens ornatum, quo in veteri lege Summus Pontifex vteretur, iussit poni in Rationali iudicij, Doctrinam & Veritatem, quæ in pectore Aaron gestaret.

Christus caput Ecclesiæ.

Ephes. 1. ℣. 22.

Psal. 109. ℣. 4.

Hebr. 4. ℣. 14.

Exod. 28. ℣. 30.

Et verò habet humanum genus, cur sibi Magistrum & Præceptorem Christum gratuletur. Alexander Magnus cùm natus esset, incredibili lætitiâ efferebatur Philippus Pater, non tam ideò quòd Regni sui hæredem haberet, quàm quòd tempore Aristotelis in lucem illum prodijsse videret. Sperabat enim fore, vt suus filius, talem Præceptorem nactus, moribus & disciplinis imbueretur, quales decerent eum, cuius singularis indoles maiora quæq; pollicebatur, quàm vt Regni Macedonici finibus contineri possent. At quantulus Aristoteles ad Christum? Christus enim est quem alloquens Nicodemus, dixit: *Scio, quia à Deo veniſti Magister.*

Habet humanum genus, cur sibi Præceptorē Christum gratuletur.

Ioan. 3. ℣. 2.

Verè enim à Deo venit Magister Christus, primò quidem, quia per æternam generationem procedens à

Tolet. ibidem.

Coloss. 2. ℣. 3. Patre, sicut substantiam, ita & sapientiam ab eo accepit, suntque in ipso omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Patris, imò ipse est infinita sapientia Patris. Secundò, quia missus à Patre in mundum, eodem instanti, quo carnem assumpsit, omni scientia & sapientia animam illam sibi vnitam impleuit: vt quo temporis momento factus est homo, eodem Magister à Deo venerit. Tertiò, quia non discendo, & alicuius præceptoris operâ vtendo, sed per redundantiam diuinitatis, quæ vnita erat humanitati, suam scientiam Christus habuit. Quod cum ignorarent Iudæi, pleni admiratione dicebant: *Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit?*

Ioan. 7. ℣. 15.

Præterea Christus est, de quo S. Lucas scripsit: *Cœpit Iesus facere & docere.* En Magister, cui quadrat antiquorum Ægyptiorum pictura, quibus, hominem sapientem, cum manu ad os & linguam admota pingere vsitatum fuit. Quod enim ore dicebat Christus, hoc opere exequebatur, deuitans notam mali & insipientis Magistri, à Salomone sic descripti: *Abscondit piger manum sub ascella sua, & laborat, si ad os suum eam conuerterit.* Ad quæ verba S. Hieronymus inquit: Per manum quippe operatio; per os verò locutio designatur. Pigro labor est, ad os suum manum suam porrigere: quia desidiosus quisque prædicator, non vult hoc operari, quod docet. Manum quippe ad os porrigere, est voci suæ prædicationis, opera concordare.

Act. 1. ℣. 1.

Christus quod docuit ore, declarauit opere.

Prouerb. 26. ℣. 15.

Hieron. ibid.

En Magister Christus, cui illud meliùs, quàm Dauidi congruit: *Pauit eos in innocentia cordis sui: & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.* Equidem in innocentia cordis sui, omnes qui in sua ditione essent, instar boni pastoris pascebat Dauid, quia non sibi, sed illis prodesse cupiebat, & in vniuersis rebus, non suam, sed Dei gloriam propagare, sincero corde optabat. Idem Dauid populum suum in intellectibus manuum suarum

Psal. 77. ℣. 72.

dedu-

deducebat, quia cùm temeritatem, quorumlibet negotiorum peſtem eſſe certiſſimam ſciret, omnia cum conſilio, & iuxta id quod ſapientis Regis cogitata ratio poſtularet, agebat. At meliùs, vt dixi, verba commemorata competunt Chriſto, qui veriſſimè cum innocentia cordis, qualem nunquam habuit Dauid, ſalubribus doctrinis homines pauit, & in intellectibus manuum ſuarum eoſdem deduxit: ſiquidem quod linguâ docebat, ad hoc manus admouebat, quæ conuenienter tunc intellectu dicuntur præditæ, cùm opere expletur, quod ore docetur.

En Magiſter, & doctrinâ & vitâ vigilans, diſſimilis illorum, de quibus S. Gregorius ſic ſcripſit: Magiſtri ſcientia vigilantes, ſed vitâ dormientes, auditores ſuos, quos per vigilias prædicationis nutriunt, dum quod dicunt, facere negligunt, per ſomnum torporis occidunt, & negligendo opprimunt, quos alere verborum lacte videbantur.] Alludit S. Doctor ad illam mulierem, de qua ſacra Regum hiſtoria narrat, quòd noctu dormiens, filium ſuum, quem imprudenter ad latus ſuum poſuerat, oppreſſerit, & loco lactis, quod datura erat, mortem ei attulerit. Atque cum hac muliere comparat S. Gregorius, Magiſtros omnes, qui prauis exemplis ſuos diſcipulos corrumpunt, & mortem animæ illis accerſunt, quos lacte doctrinæ alendos ſuſceperant.

Greg. lib. 21. mor. cap. 8.

3. Reg. 3.

Adhæc Chriſtus eſt, qui nouam ſcholam aperuit, qualem nunquam antea humanum genus habuit. Fuit quidem ſtatim à condito mundo docendis hominibus accommodata ſchola, totum illud tempus, quod vſque ad Moyſen per bis mille quadringentos & quinquaginta annos durauit. Huic ſcholæ præfuit lex naturalis, ſeu lex mentibus hominum ab ipſa natura indita, docuitque, quid amore proſequi, vel odio habere, quid agere,

Noua ſchola Chriſti in qua ipſemet docuit.

vel cauere vnuſquiſque deberet. Succeſſit deinde altera ſchola, nempe totum illud ſpatium, quod à Moyſe vſque ad Chriſtum protendebatur. In hac docuit Lex vetus, quam S. Paulus appellat pædagogum, quòd inſtar pædagogi ſuis pueris rudimenta proponentis, & pro Magiſtro ſublimiora docente illos præparantis, humiliores, & ipſas doctrinas hominibus tradiderit, & promiſſo Meſſiæ in altioribus diſciplinis inſtituendos reſeruârit. Quocirca Theodoretus ponderans iſta verba Apoſtoli, *Itaq; lex pædagogus noſter fuit in Chriſto*, inquit: Neceſſariò lex etiam data eſt: nobis enim pædagogi officio functa eſt. Cùm autem Dei cognitionem docuiſſet, veluti ad quendam doctum Doctorem ac Magiſtrum docuit nos, Chriſtum Dominum: vt perfectas diſciplinas ab eo diſcamus, & iuſtitiam, quæ eſt per fidem, acquiramus.]

Galat. 3. ℣. 24.

Lex vetus pædagogus.

Theodoretus in hac verba.

Ad Gal. 3. ℣. 24.

Tandem Chriſtus tertiam aperuit ſcholam, cuius propylæum aptè illud inuitamentum inſculptum ſibi habuiſſet: *Appropiate ad me indocti, & congregate vos in domum diſciplinæ.* Nam ipſemet Chriſtus in hac ſchola Magiſter fuit, & non quaſlibet, ſed vtiliſſimas inprimis, & maximè neceſſarias doctrinas hominibus tradidit, ad quarum ſingulas locum habebant illa verba per Iſaiam prolata: *Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia.* Docens enim Chriſtus non hoc curabat, vt delicatis auribus blandiretur, quales etiam illi voluptarij habebant, qui Prophetis acriter peccata arguentibus dicebant: *Loquimini nobis placentia.* Potiùs hoc ſpectabat, vt omnes ad omne virtutis munus inſtrueret, & ad vitam laudabiliter peragendam informaret. Proinde doctrinis ſuis nulla blandimenta admiſcebat: planè vt decebat *aſſimilatum in manu Prophetarum*, quemadmodum apud Hoſeam ſcriptum eſt, id eſt, adumbratum per Prophetas, inter quos Iſaiæ non ſine myſterio dictum

Eccleſ. 51. ℣. 31.

Chriſtꝰ vtiliſſimas & neceſſarias doctrinas tradidit, non vanas & curioſas.

Iſaiæ 48. ℣. 17.

Iſaiæ 30. ℣. 10.

Hoſ. 12. ℣. 10.

ctum fuit: *Quasi tuba exalta vocem tuam.* Hosee autem: *In gutture tuo sit tuba.* Nempe nolebat Deus, vt Prophetæ, instar citharæ vel alicuius alterius instrumenti musici suauiter sonantis, auditores suos verborum lenocinijs mulcerent; sed potiùs omni acrimoniâ illos percellerent, & quasi classicum canendo ad bella cum vitijs gerenda accenderent. Hoc mysterium in adductis verbis latuisse, annotauit S. Augustinus: Scitis, inquit, quòd tuba non tam oblectationis esse soleat, quàm terroris: non tam delectationem præferre, quàm inferre formidinem.] Tuba itaq; peccatoribus necessaria est, quæ non solùm aures eorum penetret, sed & cor concutiat; nec delectet cantu, sed castiget auditu, & strenuos quosque hortetur in bonis, & remissos terreat pro delictis.]

Isaiæ 58. ℣. 1.
Hos. ℣. 1.
August. serm. 186. de temp.

Similiter non curabat docendo Christus vt palato curiosorum seruiret. Odit ille curiosos, & securè quisque de illo affirmauerit, quod de suis Dijs Euclidem affirmasse Maximus narrat. Interrogatus enim, quales Dij essent, & quibus potissimùm rebus oblectarentur. respondit: Cætera quidem ignoro; at curiosos illis odio esse, certò scio. Simile dictum S. Augustini doctus auctor refert. Nam cùm Afer quidam quæreret, quid occupationis habuerit Deus, antequam mundum condidisset; responsum tale à S. Doctore retulit: Infernum his parabat, qui tam curiosa proponerent. Vtramque responsionem iuuat Sanctus Chrysostomus, cuius est illud: Curiosus & nimius rerum diuinarum perscrutator nihil proficit, nihil inuenit, præter vltimum supplicium.]

Maxim. serm. 21.
Cornel. in 1. ad Thessal. c. 4. ℣. 11.
Chrysost. Hom. 28. in Ioannem.

Vtilitati doctrinarum Christi, certitudinem earundem adnecto. Nulla enim vnquam reperta, de cuius certissimâ veritate dubitari posset: ita vt illi ipsi Pharisæi & Herodiani, in explorandis quà dictis quà factis Christi

Veritas doctrinæ Christi indubitata.

Christi valde solertes hostes, cogerentur dicere : *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Quidni verò certa docuisset Christus, qui non ex opinione, sed omnia ex plenè cumulatèque perfecta scientia docuit, iuxta illud, quod de se ipso protulit: *Quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur.* Scientiæ simulque visus meminit, quia Christus vt Deus, omnia sciebat in semetipso; vt homo autem, in essentia diuina, omnia quæ loquebatur, mysteria videbat. Sic ibi Toletus, qui etiam cum D. Cyrillo Alexandrino, & aliquot alijs notat, plurali numero locutum esse Christum: Scimus, vidimus, quia Patrem, inquit Cyrillus, ac Spiritum in seipso Saluator naturaliter habet, plurali numero personas testantium protulit: vt quodammodo secundùm Moysis legem, in ore duorum vel trium, omne verbum firmetur.]

Matth. 22. ℣. 16.

Ioan. 3. ℣. 11.

Toled. in 3. Ioan.

Cyril. lib. 2. in Ioan. cap. 48.

Deut. 19. ℣. 15.

Inde liquet, quantùm interfit inter Christum, & antiquos illos Philosophos, quorum doctrinam mundus suspicere solebat, & quod omnium rerum diuinarum atque humanarum naturam causasque noscerent, credebat. Cùm enim non scientia, sed opinionum commentis plerumque niterentur, & ipsi in graues errores inciderunt, & ijsdem mentes aliorum implicarunt. Quocirca rectè à Tertulliano Patriarchæ Hæreticorum, à Deo autem per Isaiam Sirenes vocantur. Nam illa verba, *Glorificabit me bestia agri, dracones & struthiones*, D. Cyrillus, iuxta versionem Septuaginta, sic legens: Laudabunt me bestiæ agri, sirenes & filiæ struthionum; per Sirenes intellexit præcipuè antiquos Philosophos, qui disputationum subtilitate, & sermonis elegantia, vt suos auditores oblectabant, ita illos in pernicioſos errores inducebant. Omninò Sirenum instar, quæ marina monstra versibus Pòëtarum celebrata, præternauigantes nautas dulci suo cantu sopiebant, sopitos autem naufragioq; demersos vorabant. Magna

Tert. lib. aduersus Hermog.

Isaiæ 43. ℣. 20.

Cyrillus.

Magna & hæc doctrinarum Christi præstantia, quòd cælestes sint, & omnes, qui ad earum regulas congruè viuunt, à terrenis rebus auulsos ad cælum dirigant. Hæc est illa præstantia, quam etiam insinuauit Deus, cùm per Isaiam dixit: *Fundabo te in Sapphiris.* Quæ verba S. Hieronymus in Ecclesia noui testamenti impleta esse, meritissimò asserit. Verè enim ista fundata est in sapphiris, quando fundata est in Christi Apostolis, iuxta illud S. Pauli Ephesios alloquentis: *Estis ciues Sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum.* Apostoli namque sapphirorum cælestis coloris lapidum sunt similes, quòd per cogitationes cælestes, & per vitam cælestem, & per spem cælestium, cælestes homines fuerint, in cæloque, vt S. Paulus scripsit, conuersationem suam, vel, vt Tertullianus verbũ Græcum πολίτευμα vertit, municipatum suum habuerint: ac propterea singulis illa verba Socratis ex Aristophane à S. Hieronymo translata quadrârint: Scando àerem, solemque despicio.]

Isaiæ 54. ℣. 11.
Hieron. ibid.
Fundata Ecclesia in Apostolis, & in Christi doctrina.
Ephes. 2. ℣. 19. & 20.
Philip. 3. ℣. 20.
Tertull. lib. de Corona militis.
Socrat. Hier. in 54. Isai.

Est etiam fundata Ecclesia in sapphiris, id est, in doctrinis Christi cælestibus, quarum comparatione omnes omnium hominum doctrinas, humiles & terrenas esse, S. Ioannes Baptista indicauit. Illa enim eius verba: *Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur: qui de cælo venit, super omnes est,* hunc sensum plerisque auctoribus continent, quòd omnis homo, vt est de terra ortus, & in terra natus, ita humiles & terrenas doctrinas proponit, si conferantur cum doctrinis Christi, qui solus quia de cælo venit, propterea etiam solus verè sublimia atque cælestia dogmata dedit.

Ioan. 3. ℣. 31. & 32.

Hîc iam videndum, quàm perfecta & ab omni peccato libera sanctitas necessaria fuerit Christo, ne eius tam præcellentes doctrinæ nullum effectum sortirentur, & penitùs irritæ fierent. Multæ enim illarum val-

dè erant arduæ, quas opere exequi, humana voluntas horreret, ideòque ad respuendas illas expeditissima esset. Non paucæ etiam Fidei Mysteria continebant, tantis obscuritatibus inuoluta, quantas rationis & intelligentiæ humanæ naturale lumen penetrare nequaquam posset. Idcircò illa Sanctus Paulus vocauit ænigma, quando dixit: Videmus nunc per speculum in ænigmate. Cùm autem ænigmati (quemadmodum scripsit Martinus Del Rio) obscuritas sit intrinseca, vt si ab eo, cui proponitur, intelligatur, vel si proponens, quasi quid ab auditoribus intellectum proponat, simul ænigma esse desinat: summam obscuritatem doctrinis Fidei à Christo propositis inesse, S. Paulus vocabulo ænigmatis docuit, simulque innuit, omnes illas ænigmaticas quæstiones, quas Sphinx in alto scopulo apud Thebas sedens prætereuntibus proponebat, eosque illis, iuxta etymon sui nominis, stringebat, merè pueriles tricas fuisse.

Mysteria fidei obscura.

1. Cor. 13. ℣. 12.

Martin. del Rio in proleg. Adag. sacr.

Quomodo ergo id effectum, vt talibus Christi doctrinis homines adhæresceren, in captiuitatem secundùm S. Paulum redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi? Miraculis id effectum aliquis dixerit? Equidem miracula, multùm ad id conducebant: vtpote veluti quædam sigilla, quæ testabantur Christum à Deo Patre fuisse missum Doctorem, cui omnes proprium intellectum subderent, verbisque eius constanter crederent. Hæc sigilla nonnulli intelligunt in illis verbis Christi: *Hunc enim Pater signauit*, vel vt Græcum verbum ἐσφράγισεν verti etiam posset, Sigillauit Deus. Σφραγίζω enim significat, signo, sigillo, notam imprimo: sicut & nomen σφραγὶς idem est, quod signum, sigillum, & plerumque vsurpatur pro signo, quod annulo imprimitur epistolæ, vt, sitne adulterina necne, dignosci queat. Miraculorum igitur sigillo fuit insignitus

2. Cor. 10. ℣. 5.

Miracula faciebant fidem Christum fuisse missum Doctorem e cœlo.

Ioan. 6. ℣. 27.

gnitus Christus, quod ostendebat, dignum illum fuisse, cuius doctrinis iudicium suum omnes submitterent. Quamobrem scienter S. Chrysostomus scripsit: Christus propterea miracula fecit, vt, cum fide dignus crederetur, ad se homines attraheret, & virtuosè viuere persuaderet.] *Chrysost. in 13. Matth. Hom. 47.*

Verùmtamen cùm miraculis Christi tam multùm tribuitur, non minùs, imò plus efficientiæ sanctitati eius adscribi debet. Sanctitas enim potissimùm, verbis eius auctoritatem conciliabat, & auditoribus, ne de veritate doctrinarum eiusdem in dubium venirent, persuadebat. Appositè id dicitur ad sententiam Sancti Chrysostomi, qui sanctitatem vitæ miraculis efficaciorem esse, satis disertè docuit, quando de Apostolis asseruit, quòd non miraculorum, sed omnium virtutum, quibus sanctitas vitæ comparatur, splendore effecerint, vt tot gentes, à veritate & religione diu aberrantes, tandem salutaribus doctrinis assensum præberent, & impia dogmata eiurarent. Nisi enim Apostoli, inquit S. Chrysostomus, verum & non simulatum gloriæ atque pecuniæ contemptum habuissent: si passionibus veluti nos seruiuissent: etiamsi à morte innumeros homines suscitassent, non solùm nihil vtilitatis fecissent, verùm etiam seductorum atque deceptorum nomen non effugissent.] Sanctitas vitæ præstat miraculis. *Chrysost. ibidem.*

Appositè etiam illud idem ad mentem S. Thomæ dictum, qui generatim omnes, verbo tenus bona alijs documenta tradentes, sed vitam vitijs contaminatam viuentes, comparat cum Vria, qui literas simulque mortem sibi in illis structam ad Ioab tulerat: tum doctrinas eorum integritate vitæ destitutas, literas sine sigillo appellat: insuper quem fructum omnium laborum, quos docendo tolerant, apud suos auditores metant ostendit, subdens: Et ideò non creditur eis. Si *S. Thom. in præf. sup. Epist. Canonicas.* *2. Reg. 11.*

enim non creditur eis, quorum doctrina non concordat cum vita: necesse est, vt credatur illis, qui & sanctorũ operum exemplo prælucent, & salubrium doctrinarum magisterium exercent.] Quin etiam subscriberet dictis Aristoteles, qui enumerans ea, quæ conciliant in dicendo fidem, potissimùm virtutem ponit. Facilẽ enim ijs (ait ibidem eius interpres) credimus, qui probitate præstant: quia probos viros mentiri non solere, certum habemus.] Xenocratis id exemplo confirmat, cui propter probitatem præcipuè, plus iniurato iudices, quàm cæteris iuratis crediderunt. Cùm enim aliquando testimonium dicere coactus fuisset, & ad aram more Athenienſium iurandi gratia accessisset, vniuersi iudices consurrexerunt, & eum iurare prohibuerunt; quòd in eo nulla esset omnino mendacij suspicio. Fidenter ergo repeto, perfectissimam sanctitatem omnino necessariam fuisse Christo, quia hanc potissimùm cùm intuerentur homines, doctrinas eius amplexabantur, & à tantæ probitatis magistro, nullas fallacias potuisse prodire, ratum fixumque habebant.

Arist. 2. Rhetor. cap. 2.

Ant. Maior ag.

Alterum munus, ad quod exequendum, iuxta Isaiam initio huius capitis commemoratum, venerat in hunc mundum Christus, fuit peccata hominum tollere. Et quidem feliciter illud quòd sit executus Christus, testabatur S. Ioannes Baptista, cùm ad Christum intendens digitum, aiebat: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Plura in his verbis considerari possent, sed hæc sufficiant pauca. Primum, quòd Christus sit Agnus. Est autem agnus propter plures causas, quæ à Sanctis Patrib⁹ afferri solent. Ex præcipuis est hæc, quòd primaria in veteri testamento Christum adumbrans figura, fuerit Paschalis agnus, vt etiam supra in capite tertio attigimus, & vt docet S. Iustinus: Mysterium, inquit, solennis sacrificij, quo in Paschæ festo mactatur agnus

Ioan. 1. ℣. 29.

Causæ propter quas Christus nomen Agni obtinet.

Iustin. in dial. cum Tryphone.

agnus ex oraculo, figura Christi erat: cuius sanguine fideles freti vngunt domos suas, id est semetipsos. Cõmemorat S. Martyr illud factum, quando Iudæi dicto Dei audientes, ædium suarum postes & sanguine agni Paschalis aspersérant, & à funesta plaga, quam Ægyptijs inflixerat Angelus, se suosque immunes reddiderant: simulque docuit, nostras itidem animas sanguine Christi aspersas, liberas fieri, ne eas ira Dei pessundet, & in sempiternum exitium trahat. Ibidem S. Iustinus meminit modi, quo agnus Paschalis, cùm assaretur, formam & supplicium crucis, quæ Christo vitam ademit, exprimebat. Quin & illud, inquit, quòd agnus totus assari iubetur, crucifigendum Christum significabat: siquidem agnus ille in crucis formam expansus assatur. Alter enim rectus paxillus ab imo vsque ad caput traijcitur: alter item transuersus per occiput, cui armi agni alligantur.] *Exod. 12.*

Ad præcipuas etiam dictæ appellationis causas pertinet illa, quam S. Hieronymus attingit, cùm de Christo ait: Hic agnus est, qui non solùm sanguine suo nos redemit, sed & lanis operuit, vt algentes infidelitate, sua veste calefaceret, & audiremus Apostolum nobis loquentem: *Quicunq; enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Et in alio loco: *Induimini Dominum Iesum Christum.* Patet, quid S. Hieronymus dicat. Dicit enim Christum ideò etiam vocari agnum, quòd eius merita animas nostras ornent, & diuino amore calefaciant, instar vestium ex lana agni confectarum, quibus corpora ornari & calefieri solent. *Hieron.* *Galat. 3. ℣. 27.* *Roman. 13. ℣. 14.*

Secundum, quòd Christus sit agnus Dei. Familiare est Hebræis, vt quæ sunt magna, & excellentis præstantiæ, ea Dei esse dicant. Sic Cedri altissimæ, vocantur cedri Dei. Sic exercitus numero amplissimus, & omni apparatu bellico instructissimus, vocatur exercitus Dei. *Psal. 79. ℣. 11.* *1. Paral. 12. ℣. 22.*

Zach. 14. ℣. 16. Apud Zachariam etiam, in textu Hebraico, Christus Rex Dei dictus, id est, Rex potentiâ & regni amplitudine præcellentissimus. Iuxta hanc ergo phrasim, quando Christus à S. Ioanne appellatur agn⁹ Dei, perinde est, ac si appellaretur præstantissimus, & maximè eximius agnus. *Theophil.* Aliter Theophylactus adductam Christi appellationem expendit. Ait enim Christum agnum Dei vocatum, vel quòd Deus Pater mortem eius pro nostrâ salute acceptârit, vel quôd eum pro nobis morti tradiderit.] Posteri⁹ hoc illustrat: Quemadmodum, inquit, dicere solemus⁹, sacrificiũ hoc illius est, id est, ille sacrificium hoc obtulit: sic Christus dicitur agnus Dei, eò quòd Deus Pater propter charitatem suam erga nos, illum dederit ad mortẽ.]

Tertium, quòd S. Baptista non sine mysterio vsus sit verbo præsentis temporis Tollit, non autem præteriti, Sustulit. Mysterium autem in hoc consistit, quòd virtus Christi ad tollenda quæuis peccata etiam num duret, durabitque ad finem mundi, quandiu videlicet homines committent, quæ necesse sit tollere. Ad hoc autem indicandum, aptum fuit verbum præsentis *Tolet. annot. 68. in 1. Ioan.* temporis, Tollit. Nam, vt inquit Toletus, perpetuas⁹ rerum naturas & indeficientes earum virtutes, rectè verbis præsentis temporis exprimimus, vt cùm dicimus, ignis calefacit, aqua humectat. Totum hoc obseruatum etiam fuit à S. Chrysostomo, qui ad eadem S. Ioannis verba scripsit, propterea dictum esse de Christo, quòd peccata tollat, vt quotidie ea tollere intelligatur, tum addit: Non enim, cùm passus est solùm, nostra abstulit peccata, sed ex illo hactenus tollit. Non semper crucifigitur, vnum namque pro peccatis obtulit sacrificium, sed semper per illud nos purgat.]

Chrysost. Hom. 17. in Ioan.

Quartum, singulari numero dixisse Sanctum Baptistam Peccatum, pro plurali, Peccata. Neque hoc loquendi modo minùs, quàm res postulabat, dixit.

Nam

Nam & sæpè & benè tota species singulari numero exprimitur: vt cùm dicitur homo ex paradiso eiectus, totum genus humanum eiectum intelligitur. Consimilem dicendi formam vsurpat Propheta Daniel, vbi aduentum Christi mundo promittens, & causam eius reddens, ait: *Vt consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum.* Nam & is peccatum pro peccatis posuit, quamuis eum non latuerit, quòd Christus venturus esset, vt omnium peccatorum finem faceret, & illa propitiatio fieret, de qua Sanctus Euangelista Ioannes scripsit: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.*

Daniel. 9. ℣. 24.

Ioan. 1. Epist. c. 2. ℣. 2.

Qui ergo in tollendis totius mundi peccatis tantæ efficacitatis fuit, vtique necessariò summam, & omni ex parte perfectissimam sanctitatem habuit. Necessitatem istam S. Ioannes Baptista indicauit, quando priùs Christum Dominum appellans agnum Dei, innocentiam eius, & sanctitatem planè diuinam expressit: postea verò, quòd peccatum mundi tollat, asseruit. Eandem necessitatem S. Paulus non obscurè innuit. Cur enim, postquam dixisset Christum esse, *qui saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis,* cur inquam, statim subiunxit: *Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, &c.* An non ideò, vt ostenderet, nihil Christo ad saluandos homines, & ad delenda eorum peccata defuisse, cùm sanctitatem, quæ ad hunc effectum requirebatur, habuerit? Non neglexerunt & alij eandem necessitatem declarare, inter quos est S. Chrysostomus, cuius est illud: Qui aliorum tollit peccata, vtique immunis est peccati omnis, nec potest peccare.] Est etiam S. Bernardus, qui scripsit: Quis peccata meliùs tolleret, quàm is, in quem peccatum non cadit? Iste sine dubio lauare me potest,

Hebr. 7. ℣. 25.

Chrysost. super 7. Isaiæ

Bern. serm. 4. in Vigil. Natiuit.

quem

quem constat inquinatum non esse. Hæc manus operum luto detergat oculum meum, quæ sola sine puluere

Matth. 7. ℣. 3. 4. est. Iste mihi festucam educat de oculo, qui non habet trabem in suo: imò iste trabem educat de meo, qui nec exiguum puluerem habet in suo.] Est denique, vt

Rupert. in cap. 1. Ioan. cæteros prætream, Rupertus, qui ostendere volens solum Christum idoneum fuisse ad delenda totius mundi

Ioan. 1. ℣. 18. peccata, hac ratione vtitur, quia ille solus, teste S. Ioanne Euangelista, est in sinu Patris, hoc est, vt explicando inquit Rupertus, in summa diligentia, in cura, & custodia diligentissima Dei Patris: vt peccatum illum inuenire non posset, quod omnes homines inuenit ab initio seculi, & quod omnes omnino animas persequens inuenit foris: quia videlicet omnes exierant de sinu gratiæ Dei, cum peccato primæ preuaricationis nati, & insuper actualibus peccatis nequaquam omni ex parte liberi, quamlibet magni & iusti.]

Restat tertium Christi munus, quod erat, Captiuis indulgentiam prædicare, seu captiuum genus humanum à seruitute vindicare. Et hoc quidem mu-

Captiuis indulgẽtiam prædicauit Christus, quando mortuus est. nere perfunctus est Christus, quando in ignominiosa, & omni dedecore infami cruce mortem oppetijt. Tunc enim deuictis tartareis hostibus, qui homines acerbissimo iugo tot seculis premebant, nobilem triumphum

Coloss. 2. ℣. 15. Saluator egit, iuxta illud S. Pauli: *Expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso.* Tunc è seruitute diuturnâ nos omnes eruit,

Ibid. ℣. 14. delens (vt ait idem S. Paulus) *quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Tunc vt S. Cyprianus ad hæc

Cyprian. Tract. de Passio. Christi. posteriora Apostoli verba alludens scripsit: Deletâ damnationis conscriptione, nouis literis assignata est & restituta libertas, priuilegio dato, chartâ indulgentiæ, sigillo plagæ lateralis firmata.]

Appel-

Appellaui crucem ignominiosam & omni dedecore infamem, quia, vt bene inquit S. Augustinus, nihil illo tempore fuit ignominiosius, quàm mors crucis.] Ad confirmandum hoc adducit S. Paulum, qui Christum commendans, post illa verba, *Factus obediens vsq; ad mortem*, non frustra adiecit; *Mortem autem crucis*: sed hoc modo exaggerauit obedientiam eius, quòd ab illâ, ne probrosâ quidem cruce infamique morte deterreri potuerit. Multa alia suppetunt, quibus idem confirmetur. Tale est, quòd ipsi mortis Christi auctores, non aliter eam, quàm turpissimam vocârint, quando conspirantes contra illum dixerunt: *Morte turpissimâ condemnemus eum.* Vbi Robertus Holcot turpitudinem nominatæ mortis ex his sex fontibus manare docet: ex genere, quia nullum vnquam supplicij genus æquè detestabile fuit, ac crucis: ex tempore, quia Christus eo tempore cruci affixus est, quo Iudæi, Pascha suum celebraturi, maximo numero Hierosolymam vndique confluxerant: item eo die mortem obijt, quo primum hominem condiderat, vitamque illi dederat: ex loco, quia passus est, & propè ciuitatem, in quam maxima beneficia contulerat, & in monte, cuius altitudo è cruce pendentem Christum omnium oculis facilè aspectabilem proponeret: postremò ex socijs, quia inter duos latrones crucifixus est, vt omnes Euangelistæ scripserunt, & quod S. Marcus addidit, impleta est scriptura, quæ dicit: *Et cum iniquis reputatus est.*

Augusti. serm. 18. de Verbis Domini cap. 9.

Morte crucis nulla magis ignominiosa.

Philip. 2. ℣. 8.

Sap. 2. ℣. 20.

Robert. Holcot.

Marc. c. 15. ℣. 28.
Isaiæ 53. ℣. 12.

Non parùm & hoc crucis ignominiam demonstrat, quòd Iudæi tantopere soliti fuerint detestari crucem, vt etiam nominare illam horrerent, ac periphrasi vtendo, lignum geminum, vel absolutè lignum, eam vocarent. Exemplo est illud apud Ieremiam: *Mittamus lignum in panem eius.* Hunc enim locum Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, alijque multi

Horror fuit Iudæis, etiam nominare crucem.

Ierem. 11. ℣. 19.
Tert. lib. adu. Iud. c. 10. l. 3. adu. Marc. c. 19. l. 4. c. 40.
Cypr. lib. 2. adu. Iud. c. 15. & 20.
Amb. in tit. p/. 35.

multi explicando, per lignum, crucem; per panem verò, corpus Christi intelligunt: vt fabricatores necis Christi, hunc sensum verborum suorum habuerint: Struamus crucem & aptemus corpori Christi, quod ipse appellauit panem, cùm dixit: *Panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.* Eadem ligni significatio manet, si cum Hugone, & D. Thoma per panem doctrina Christi, vel fama eius intelligatur. Vtramque enim inimici Christi, contemptissimæ crucis ignominiâ obruere volebant, & efficere, quod ibidem apud Ieremiam dicebant, *vt Christus eraderetur de terra viuentium, & nomen eius non memoraretur amplius.* Par exemplum videre licet in libro Iosue, vbi narratur, quo supplicio Iosue Regem Hai affecerit. Cùm enim versio vulgata dicat: *Regem quoq; eius suspendit in patibulo,* textus Hebræus propriè sonat: Et Regem Hai suspendit super ligno. A quo textu translatio Septuaginta non discrepat, & quòd per lignum crux intelligi debeat, ostendit sic loquens: Et Regem Hai suspendit, ἐπὶ ξύλα δίδυμα, id est, in ligno gemino. Crux enim gemino, seu duplici ligno, vno recto, altero transuerso constat. Non dissimile exemplum illud in Deuteronomio: *Maledictus à Deo est, qui pendet in ligno.* Quamuis Hebræus textus nullam eo loco mentionem ligni faciat, & tantùm dicat: Maledictus à Deo suspensus: fortè quia bis iam, paulò ante, ligni meminerat. Benè tamen in vulgata additum, *In ligno,* quia etiam Septuaginta in eodem loco addiderunt.

Ioan. 6. ℣. 52.

Hieron. in 11. Ierem. Greg. lib. 3. Mor. cap. 12.

Ierem. 11. ℣. 19.

Iosue 8. ℣. 29.

Deuter. 21. ℣. 23.

Etiam Ethnici horrebât mortem crucis.

Cicer. l. 5. in Verrem.

Pro C. Rabir.

Neque verò Iudæi tantùm, sed etiam Ethnici pro ignominioso supplicio crucem habebant. Colligitur id ex illis verbis Ciceronis: Facinus est vincire ciuem Romanum, scelus verberare, propè parricidium, necare, quid dicam in crucem tollere? verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest. & illis eiusdem: Carnifex & obductio capitis, &

nomen

nomen ipsum crucis, absit non modò à corpore ciuium Romanorum, sed etiam à cogitatione, oculis, auribus. Harum enim omnium rerum non solùm euentus atque perpessio, sed etiam conditio, exspectatio, mentio ipsa denique, indigna ciue Romano atque homine libero est.] Idem colligitur ex his quæ nonnulli scriptores de Romanis & de Athenienſibus memoriæ prodiderunt. Romanos enim, cùm Tarquinius superbus, grauibus & minùs honestis laboribus vehementer premeret, ideoque multi ex illis seipsos interimerent, ad cohibendam tantam populi cladem & iacturam, legem tulerat tyrannus, vt omnium, qui se ipsos occidissent, cadauera in crucem tollerentur. Mirum quibus non valdè graue videbatur, vitam sibi eripere, grauissimum visum est, in cruce pendere: factumque, vt deinceps mortem sibi conscisscere non auderent, & potiùs quibuslibet laboribus fatigari, quàm cruci affigi mallent. Athenienses verò, si aliquando contigisset, vt quis opinione illorum infeliciter moreretur, crucem in tumulo eius veluti certum ignominiosæ mortis indicium ponebant.

Vide Gretſ. lib. 1. de Cruce, cap. 38.

Suidas.

Jn hac igitur tàm probrosâ & ignominiæ plenâ cruce, libertatem humano generi Christus Dominus comparauit, & decreto satis fecit, quod propter multas causas, à S. Thoma recensitas, ab æterno factum erat, vt nonnisi per mortem crucis, vnigenitus Dei Filius homines è seruitute liberaret, liberatisque cælum aperiret.

D. Thom. par. 3. Q. 46. art. 4.

Quid ergo? Crux apud omnes gentes, quæ vspiam fuerunt, notatissima, Christum mundo detestabilem reddidit? Atqui totus Christianus orbis, cum S. Bernardo dicit: Quantò minorem se fecit in humanitate, tantò maiorem exhibuit in bonitate: & quantò pro me vilior, tantò mihi charior est.] Cum enim summam innocentiam Christi homines perspexissent, & propter aliena peccata illum mortuum esse in cruce, cogno-

Christum in cruce mortuum innocentia sua amabilem sibi fecit.

Bernar. ſerm. 1. in Epiphan.

cognouissent; omnes erga eum amore exardescere, & crucem in honore habere cœperunt.

Ea nimirum innocentiæ vis est, vt ab eo, in quo reperitur, omnem ignominiam procul abigat, licet teterrimo aliquo & infami supplicio vitâ priuetur. Huc pertinet illud, *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Nam vniuersè Sanctos Rex Dauid nominans, & eorum mortem pretiosam esse affirmans, satis indicauit, quomodocunque aliquis moriatur, dummodò innocentiâ & integritate vitæ non careat, nihil obstare, quo minùs in honore & pretio esse debeat. Pertinet etiam illud Arnobij: Nemo vnquam innocens malè interemptus, infamis est, nec turpitudinis alicuius commaculatur notâ, qui non pro merito pœnas graues, sed cruciatoris perpetitur sæuitatem.] Spectant eodem exempla tot Martyrum, qui vt omnia probrosæ mortis genera tolerârunt, ita propter innocentiam suam, magnam apud omnes venerationem habent. Tanquam de re manifestâ, & omnium oculis subiectâ, sic ait Sanctus Augustinus: Ecce Martyrium Christi (id est pro Christo susceptum) & apud homines, & in hoc mundo, non solùm non est opprobrium, sed magnum est ornamentum. Ecce non solùm in conspectu Domini, verùm etiam in conspectu hominum, iam pretiosa est mors Sanctorum eius. Ecce non solùm non contemnuntur, verùm etiam magnis honorib⁹ præferuntur Martyres eius.] Dicta subsequatur Socrates, à quo omnem de vita & de moribus Philosophiam manasse, Latinus Orator dixit. De illo Tertullianus sic narrat, quòd damnatus ad mortem, cum à iudicio rediret, obuiæ coniugi, & muliebriter inclamanti: Iniustè damnatus es Socrates, responsum dederit: Volebas autem iustè? Sensit eam tantùm deplorandam mortem, quam innocentia non cohonestat, & hunc solum miserè

Psalm. 115. ℣. 15.

Arnob. lib. 1. contra Gentes.

Nemo innocens, quamuis ignominiosam mortem obeat, infamis.

Aug. in Psal. 118. conc. 9.

Socrates.
Cic. Tusc. qq. l. 3.
Tertull. l. de anima cap. 1.

miserè & ignominiosè mori, qui propter aliqua sua crimina iustè mori cogitur.

Obiter hîc notare par est, quàm insulsè communiter nocentissimi homines à morte sua ignominiam amoliri studeant. Nonnè insulsè duo Reges Madianitarum Zebee & Salmana, ab ipso Gedeone, non autem à filio eius, occidi postulârunt: ideò potissimùm, iuxta sententiam Abulensis, vt euitarent dedecus, quale esse credebant, Reges ab imbecilli puero interfici? Nonnè insulsè Rex Abimelech accepto iam mortifero vulnere, alia vulnera sibi infligi curauit, & suo se armigero iugulandum præbuit, vt mortem occultaret, quam illi femina, grandem lapidem ex altâ turri deijciens, attulerat? Nonnè insulsè Rex Saul super gladium irruit, & quòd sagittis confixo supererat vitæ, sibi ademit, antequam Philisthiim accurrerent, & mortem loco victoriæ partam, ignominiosè sibi exprobrarent? Nonnè insulsè Heliogabalus contra repentinos casus, in quibus vel in manus hostium incidendum, vel certè moriendum foret, semper in promptu habuit, & coccineos funes, quibus se strangularet; & aureos pugiones, quibus se transfigeret, & in vasis smaragdinis venena, quæ hauriens citam mortem aduocaret, & tabulas aureas, in quas humi stratas, ex alto loco desiliens, totum se collideret? Hæc autem non leuis pretij instrumenta mortis, propterea asseruabat, teste Lampridio, quòd etiam mortem suam, non qualemcunque, sed pretiosam debere esse iudicaret. Omnes isti magnam suam insulsitatem & stultitiam prodiderunt, quando, vt gloriosè morerentur, ea studiosè consectabantur, quæ ad nobilitandam mortem prorsus conferunt nihil. Nam, vt expositum est, sola innocentia & integritas vitæ est, quæ à quouis genere mortis omne dedecus arcet.

Impij ignominiosè moriuntur, quomodocunque moriantur.

Iud. 8. ℣. 21.

Abul in lib. Iud. Q. 17.

Iud. 9. ℣. 54.

1. Reg. 31. ℣. 4.

Lamprid. & Sabel. lib. 6. Enn. 7.

Cum igitur etiam Christus, propter suam innocentiam, nihil ignominiæ ex infami supplicio crucis retulerit, imò sublimem gloriam, & venerationem, apud omnes gentes acquisiuerit: consectarium omnino est, opus fuisse, vt Saluator noster minutissimis etiam vitiorum maculis careret, quæ perfectæ sanctitati & innocentiæ quomodocunque aduersari viderentur.

Pars Operis Secunda.

Virginem Sanctißimam, propter ſuauitatem odoris, & præſtantiam fructus, ac immunitatem ab omnibus quorumlibet peccatorum ſarmentis, vitem eſſe præſtantißimam oſtendens.

CAPVT PRIMVM.

Virgo Sanctißima eſt vitis odorifera.

EGo quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris: & flores mei fructus honoris & honeſtatis. Verba ſunt Sapientiæ, quam Siracides veluti quandam perſonam loquentem, & ſuas laudes recenſentem, per elegantem proſopopœiam inducit. Vt autem Sapientia ſuas eximias dotes meliùs explicet, & quàm ſit toti humano generi vtilis, faciliùs declaret, poſtquam ſe cum varijs & præclaris rebus contuliſſet, tandem etiam viti ſe comparat. Annotauit hoc Iſidorus ſic ſcribens: Salomon (potiùs Salomonis loco, Ieſum filium Sirach ſiue Siracidem, vtpote verum Eccleſiaſtici auctorem poſuiſſet) Sapientiam quaſi perſonam repræſentans, *Eccl. 24. v. 23.* *Iſid. l. 4. Epiſt. 118.*

sentans, cùm non inueniret, quo pacto per vnum aliquod exemplum, aut vnam plantam, ipsius pulchritudinem, sublimitatem, & suauitatem exhiberet: vagatus per omnia gignentia, & ab vnoquoque colligens id, quòd maximè conueniens & decorum erat ad eam repræsentandam, ita eam hominibus adumbrauit, vt ab hac quidem plantâ pulchritudinem, ab aliâ sublimitatem, ab aliâ odoris suauitatem ac fragrantiam mutuatus, occasionem præberet aliquid cogitandi, quod Sapientiâ dignum est.]

Sapientiæ desursum, odores & fructus.

Aptè verò Sapientia viti gratum, dum floret, odorem expiranti, & eximium fructum, quale est vinum, producenti, similem se esse ait. Nam & Sapientia habet suos odores, vt sunt illi, à Sancto Iacobo Apostolo recensiti: *Quæ autem desursum est Sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordiæ.* Habet quoque fructus, de quibus ipsamet Sapientia sic loquitur: *Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis & sanctæ spei.*

S. Iacob. in Epist: c. 3. ℣. 17.

Eccl. 24. ℣. 24.

O quàm concinnè & iustè Virgo Sanctissima, adducta Sapientiæ verba vsurpare potest. Verè enim Mater Domini (inquit S. Ildephonsus) quasi vitis fructificauit suauitatem odoris, & protulit cunctis gentibus fructus honestatis & gratiæ. Et quidem, quòd ad odorem pertinet, vbique eum è Sanctissima Virgine afflari Canticum Salomonis agnoscit, & mystícè illum adscribit, partim vberibus eius; *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis:* partim genis; *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ:* partim vestimentis; *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris:* partim ventri siue vtero; *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis:* partim ori; *Odor oris tui sicut malorum.*]

Ildeph. serm: 1. de Assumpt: V.

Virgo Sanctissima tota odorifera.

Cantic. 1. ℣. 1.
Cant. 4. ℣. 3.
Cant. 4. ℣. 11.
Cant 7. ℣. 2.
Cant. 7. ℣. 8.

Ipsum Deiparæ nomen odoriferũ.

Quid quòd ipsum nomen Deiparæ, mirabiles odores B. Hermanno solitum fuerit exhalare? Nam vt

in

in vitâ eius à Surio conscriptâ legimus, cùm frequenter ad nomen Mariæ humi se prosternere, pauloque diutiùs sic prostratus iacere, vsitatum haberet, causam, cur id faceret, rogatus, respondit: Quoties ad nomen sacræ Virginis humi me abijcio, odor omnium florum, & aromatum tantâ suauitatis copiâ, è terrâ influit in nares meas, vt semper illic hærere vellem, si liceret. Spe ergo recreationis huius ad prosternendum me festinus sum: sed quia ægrè tantâ priuor oblectatione, tardus sum ad surgendum.] Et ideò benè ibidem Surius Virgini Deiparæ accommodat, quod de Iosia est scriptum: *Memoria Iosiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarij.* Verè, inquit, dixerim, memoriam Mariæ in compositione factam opus pigmentarij: redolens quasi flos rosarum in diebus vernis, & quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ, & quasi thus in odorem suauitatis.]

Surius Tomo 2. Aprilis 7.

Eccles. 49. ℣. 1.

Verùm quales tandem sunt isti odores, à quibus Virgo Deipara suas laudes habet? Vtique non illi, quos multi consectantur, vt corpus suum odoriferum reddant. Carpit exagitatque tales & odores & homines S. Hieronymus: Odoris (inquit) suauitas, & diuersa thymiamata, & amomum, & cyphi, œnanthe, muscus, & peregrini muris pellicula, quòd dissolutis, & amatoribus conueniat, nemo nisi dissolutus negat.] Hieronymum iuuat Chrysostomus, cùm ait: Nihil immundiùs anima, quoties corpus talem habet fragrantiam. Corporis enim ac vestium fragrantia, arguit intus latere animum graueolentem, & immundum. Cùm enim Diabolus aggressus delicijs euirauerit animam, omniq; vitiorum genere compleuerit, tum & in corpore suæ corruptionis lectum oblinit vnguentis.] Adicto Sancti Chrysostomi non multùm discrepat illud Diogenis Cynici, qui cuidam capillos suos vnguento delibutos habenti dixit: Vide ne capitis odor, sit vitæ fœtor:

Carpuntur à SS. Patribus qui vanitate pleni, odores corporis consectantur.

Hieron. lib 2. adu. Iouin. cap 7.

Chrysost. de Lazaro conc.

Diog. apud Laert. lib. 6.

Martial. l. 2. Epigram. 10. illud item Martialis: Posthume, non benè olet, qui benè semper olet.

Odores virtutum & operum Christianum decent. *Chrysost. loco cit.*

Odores ergo Deiparæ erant variarum virtutum & bonorum operum odores, quales commendat Sanctus Chrysostomus, quemlibet Christianum alloquens: Te verò non oportet olere vnguentum, sed spirare virtutem. Et paulò post: Spiret anima tua fragrantiam spiritualem, quò tum tibi ipsi, tum alijs tecum viuentibus, maximam adferas vtilitatem.] Eosdem commendat Clemens Alexandrinus, illis verbis: Oportet autem viros inprimis apud nos, non olere vnguenta, sed vitæ probitatem. Spiret autem femina Christum, qui est regalis vnctio, non vnguenta & diapasmata: diuinâ autem semper vngatur pudicitiæ vnctione, sancto delectata vnguento, nempe spiritu.]

Clemens Alexan. lib. 2. Pædagogus cap. 8.

Infelices, qui non odoribus tantopere commendatis, sed potiùs peccatorum fœtoribus oblectantur. Omnes qui sunt eiusmodi, cum vulturibus Theodoretus comparat. Vulturibus enim, inquit, cadauera deuorantibus, suauitatem exhibent fœda corpora, vnguentum verò perniciem: sic hominibus impijs, seque in fœditate peccati volutantibus, teter libidinis odor est suauissimus; grauis autem ac molesta Christi disciplina: quapropter & voluntariam ipsis mortem affert.] E contrario felices, qui optimis quibusque virtutum odoribus pleni, possunt cum Sancto Paulo dicere: *Christi bonus odor sumus Deo*: vel cum periphrasi horum verborum à Theophylacto data: Veluti acerra sumus regia, & quocunque abierimus, odorem spiritualis vnguenti circumferimus, cognitionis videlicet Dei, in omni loco homines bono suffitu afflamus.]

Theodoretus in 1. Cantic.

2. Cor. 2. ℣. 15.

Theophylact. ibid.

Deipara odorum suorum suauitate omnes superat: item copiâ & efficaciâ.

Verùmtamen omnium feliciſſima Deipara, quæ & suauitate, & copiâ, & efficaciâ suorum odorum omnes omnino superauit. Magna quidem erat suauitas odoris,

ris, qui ex sacrificio, post cladem diluuij, à Noë oblato emanârat: ita vt scriptum sit: *Odoratusq; est Dominus odorem suauitatis.* Genes. 8. ℣. 21. Fuit magna suauitas & illius odoris, qui & Abel & sacrificium eius Deo gratum reddiderat, secundum illud Scripturæ: *Et respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Genes. 4. ℣. 4. Sed longè maior est suauitas odorum Deiparæ, cui dictum: *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata:* Cantic. 4. ℣. 10. & de qua Dionysius Carthusian⁹ scripsit: Dionys. Carth. in 4. Cantic. Tanta est suauitas virtutũ Matris Dei, quòd cuncta mundi odoramenta transcendit, imò & totam perfundit Ecclesiam triumphantem. Insuper Ecclesia militans in fœtoribus hui⁹ exilij degens, odore & suauitate hui⁹ Deiferæ Virginis, Dominæ suæ recreatur, fouetur, atque exhilaratur.]

Præterea magna copia odorum Deo acceptorum erat in Sanctis vtriusque testamenti viris, quos Sanctus Bernardus enumerat. Orditur à S. Paulo, & commemorando eius virtutes, appellat illum vas aromaticum, vas odoriferum, & refertum omni puluere pigmentario, hominem etiam in componendis vnguentis optimis diuitem S. Paulo apponit Iobum, & quòd is ad manum habuerit electas species, de quibus optima vnguenta conficeret, asserit: tum recensitis multis eius operibus bonis exclamat: Quanto putamus vir iste odore terram respersérat in his operibus? Singula opera, singula erant aromata. His propriam repleuerat conscientiam, vt fœtorem putridæ carnis, internæ suauitatis exhalatione sibi temperaret.] Ambobus adiungit Iosephum, qui postquam (ait S. Bernardus) vniuersam Ægyptum post se fecit currere in odore vnguentorum suorum, etiam suis venditoribus eandem demum fragrantiam propinauit. His omnibus subiungit Samuelem, Moysem, Danielem, dicitque quòd hi omnes habuerint vnguenta optima, quibus etiam hodie per vniuersas Ecclesias suauissimè redolent. Bernard. serm. 12. in Cant.

Sed omnis ista odorum copia, si cum Deiparæ odoribus conferatur, apparebit esse magna inopia. Quanta enim erat in Deipara odorum copia, quam ipsi cælorum incolæ satis mirari non potuerunt, & vt quiddam insolitum, planèque nouo apparatu visendum spectaculum cernentes dixerunt: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Quanta copia odorum fuit in eâ, in cuius vtero, veluti in eburneo palatio, tot menses mansit Rex regum Christus, quem Dauid alloquitur: *Myrrha & gutta & casia à vestimentis tuis à domibus eburneis.* Vbi Bellarminus per vestimenta intelligit humanam naturam, quæ instar vestimenti diuinitatem tegebat, & variarum virtutum odores semper spirabat: præsertim verò tempore passionis trium, nempe fortis patientiæ, cui myrrha respondet: humilis, vsque ad mortem crucis, obedientiæ, quam gutta seu alòe denotat: charitatis ardentis, cui casia naturâ suâ calida conuenit.

Cant. 3. ℣. 6.

Psalm. 44. ℣. 9.

Postremò valdè efficax fuit sacrificij à Nòe peracti, & paulò ante commemorati odor, qui Deum humano generi offensum placauit, ne vnquam deinceps aquæ diluuij terram inundent homineſque obruant. Et idcircò in illo loco Geneſis superiùs indicato: *Odoratusque est Dominus odorem suauitatis,* in textu Hebraico, pro Odorem suauitatis, ad verbum est, Odorem quietis. Ille enim odor Deum ab indignatione quietum reddidit, & ad quietem pacemque cum hominibus stabiliendam adduxit, siue vt Cornelius cum Vatablo & Oleastro inquit, sacrificium illud Deum, generi humano iratum placauit & tranquillauit. Atqui Deiparæ nominati odores longè maiorem efficacitatem habent. Isti enim non ab annuo aquarum diluuio, sed ab illo per omnem æternitatem duraturo incendio immunitatem sæpe nobis

Genes. 8. ℣. 21.

concili-

conciliant, Deumque, ne ab eo sempiternis Orci cruciatibus addicamur, propitium faciunt. Passim hoc legi potest apud omnes scriptores, qui aliquid de patrocinio Deiparæ, literis mandarunt. Inter eos est Richardus à S. Laurentio, qui Deiparam vocans Altare placationis: Maria, inquit, dicitur Altare placationis Domini, qui placatur erga peccatores, cùm super hoc altare offerunt dona & sacrificia sua, de quo altari ipse Deus dicit: *Offeruntur super placabili altari meo.*] Est quoque Andreas Hierosolymitanus Deiparam vocans diuinam cum hominibus reconciliationem.] Sunt etiam Ephræm Syrus, & Andreas Cretensis, qui eandem Virginem commune totius mundi propitiatorium appellarunt, alludentes ad illam laminam seu tabulam auream, quæ veteris testamenti Arcam tegebat, & ipsa etiam duorum Cherubinorum expansis alis tegebatur. Dicebatur autem & Oraculum & propitiatorium, quòd inde Deus oracula seu responsa daret, & populo suo propitium se & placatum exhiberet.]

Richard. à S. Laur. l. 2. de laud. Virg. part. 5.

Isaiæ 60. ℣. 7.

Andr. Hieroſolom. ſerm. de Annunt. Ephr. in Orat. ad Virg.

Andr. Cret. ſerm. de Aſſumpt. Virg.

Cant. 1. ℣. 11.

Præterea odores virtutum Deiparæ Vnigenitum Dei Filium è cælo in terram attraxerunt. Audi ipsam loquentem: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Audi eandem sic apud Rupertum suas hæc verba explanantem: Cùm esset Dei Filius in sinu, vel in corde Patris, de illis altissimis suis respexit humilitatem meam. Hoc est, quod dico: Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Quid enim est, vel erat accubitus Regis, nisi cor vel sinus Patris? Dum ita esset; nardus mea dedit odorem suum, & hoc odore delectatus descendit in vterum meum. Olim in Heua malo superbiæ fœtore offensus, & ob hoc ab humano genere auersus fuerat: nunc autem delectatus bono odore, nardo humilitatis meæ, sic ad genus humanum conuersus est. Propterea nardum meam, dico

Odores virtutum Deiparæ Filiũ Dei è cælo in terram attraxerunt.

Rupert. in 1. Can.

humilitatem meam, quia sicut nardus herba aromatica, paruo quidem frutice vel parua spica, nequaquam in altum se subrigit, sed comosa atque odoratissima, flore optimi odoris atque radicula suaui, multis vsibus probatur vtilis: sic humilitas mea, suo quidem arbitrio vel iudicio parua res est nimiumque exilis; sed iudicio Regis pretiosior est cunctis operibus legis, in quibus homines iusti sibi videntur atque magnifici: ipsumque Regem & Patrem eius Deum, Sanctum quoque Spiritum vnicè delectat, velut suauis odor, qualis quantusque de nullo vnquam vsque ad ipsum spirauit, vel spirare potuit sacrificio.]

Idem peccata hominũ extinguunt, & Dæmones in fugam vertunt.

Ad hæc odores virtutum Deiparæ innumerabilia peccata extinguunt, eorumque præcipuos satores, id est Dæmones, in fugam vertunt: planè ad similitudinem vitis, quæ dum floret, odore suo serpentes & omnia reptilia venenata fugare dicitur. Luculenter id tractat Richardus à S. Laurentio, accommodans suo instituto illa verba Dei: *Ductor tuus fuit in solitudine magnâ atq; terribili, in quâ erat serpens flatu adurens, & scorpio ac dipsas.* Solitudo, inquit, est mundus, in quo est flatu adurens serpens, scilicet regulus, qui aues volantes suo flatu deijcit & occidit. Hæc est superbia, quæ viros iustos volantes pennis virtutum, & cælestia contemplantes sæpe interficit, & in infernum deijcit. Scorpio capite blandiens, sed cauda pungens, luxuria est, cuius delectatio blanditur in culpa, sed punget in pœna. Dipsas, quæ etiam vocatur Situla, quos pungit, siti interficit: hæc est Auaritia.] His ita præmissis, docet, quòd virtutes Deiparæ nominata peccata disperdant: nempe humilitas eius superbiam, virginitas luxuriam, paupertas & terrenorum contemptus, auaritiam. Quòd autem ipsi etiam Dæmones ijsdem odoribus dissipentur, res æquè ac prior certa. Sufficiat pro vnius virtutis nempe charitatis,

Richard. à S. Laur. lib. 12. Deuter. 8. ℣. 15.

charitatis, odore, illa Sancti Bernardini assertio: Sicut magnus ignis effugat muscas: sic ab ardentissimâ Virginis mente, & inflammatissimâ charitate, effugabantur Dæmones, & pellebantur in tantum, quòd solùm in modico non erant ausi respicere mentem eius, nec de magno spatio illi propinquare.] *Bernard. serm. 52. art. 3. cap. 2.*

Postremò odores dicti ipsam mortem Deiparæ odoriferam fecerunt: siquidem illa cum eisdem virtutibus de vitâ decessit, quibuscum vixit, præstititque, quòd S. Ambrosius, multorum scriptorum laudibus celebratum Phœnicem in exemplum proponens, vnicuique suadet. De hac aue Plinius scribit, quòd exactis annis vitæ sexcentis sexaginta, ex casiâ thurisque surculis nidum construat, odoribus eum repleat, & super emoriatur. Addit, ex ossibus deinde & medullis eius nasci primò ceu vermiculum, inde fieri pullum. Hunc postea, cùm adoleuerit, iusta funeri prioris reddere, & totum nidum prope Panciam siue Panchaiam in Solis vrbem deferre, ibique in ara deponere. Hunc ergo Phœnicem commemorans S. Ambrosius, inquit: Quis Phœnici annunciat diem mortis, vt faciat sibi thecam, & impleat eam bonis odoribus, atque ingrediatur in eam, & moriatur illic, vbi odoribus gratis, fœtor funeris possit aboleri? Fac & tu, ô homo, tibi thecam. Theca tua est fides: imple eam bonis virtutum tuarum odoribus, hoc est castitatis, misericordiæ, atque iustitiæ, & in ipsa penetralia fidei, suaui factorum præstantium odore redolentia totus ingredere: eâ te amictum fide, exitus vitæ huius inueniat.] Hoc, vt dixi, Deipara præstitit, quæ instar Phœnicis inter collectos omnium virtutum odores vitam finiuit. Et idcircò appositè illam fidelis eius cultor alloquitur: O Phœnix aromatizans gratiùs cinnamomo, & balsamo, & nardo suauiùs regem in aspectu tuo delectans. Phœnix congregans omnes species, *Idem.* Deiparæ mortem odoriferam fecerunt. *Plinius l. 10. c. 2.* *S. Ambr. lib. 5. Hexam. cap. 23.* *B. Amadeus Hom. 6. de laud. Virg.*

cies, & igne circumfusa supereſſentiali, vt cælum cælorum, & cæli poteſtates Angelicas, mirifico repleas ſuauitatis incenſo.]

Delirant, qui ſine virtutibus mortem odoriferam habere volunt.

Hinc colligitur, quàm grauiter delirent, qui cum toti puteant, nec vllas virtutes, quibus immoriantur, colligant, mortem tamen odoriferam habere volunt. Similes ſunt iſti antiquo illi Calano Sophiſtæ Indo, qui, vt referunt Ælianus, Plutarchus, Strabo, & alij, cum Alexandro Magno, Macedonibus, denique vitæ ſuæ longum vale dixiſſet, in pyram, quam è lignis ſuauiter olentibus, cedro, cupreſſo, myrtho, ac lauro in amplo Babylonis ſuburbio extruxerat, folijs arundinum coronatus aſcendit, & Macedonibus, vt ignem pyræ ſubderent, ſignum dedit. Quod illi cùm feciſſent, citò flamma ſubuolans Calanum inuoluit: ſed loco, in quo ſemel conſtiterat, non mouit. Nam in media illorum lignorum ſtrue, omninò immotus Calanus ſtetit, nec ante, quàm efflaret animam, concidit. Mirificè hunc Sophiſtam Alexander Magnus laudauit, & factum eius omnibus ſuis geſtis prætulit. A ſe enim Porum, Taxilam, Darium, & nonnullos alios victos, ab illo autem ipſam mortem debellatam dixit. Nos verò vt delirum reprehendimus, & certò affirmamus, illum æternis flammis, quib⁹ iam torretur, infeliciter præluſiſſe: inter odorifera ligna, ſine virtutibus & gratia Dei morientẽ, turpiter fœtuiſſe: inſuper omnium, qui ſe ſatis pro morte odoratâ habituros credunt, ſi veris & ſolidis virtutibus neglectis, quomodocunque vanam hominum famam collegerint, exemplar & imaginem factum eſſe.

Ælian. l. 5. Var. Hiſt. cap. 6. Plutarch. in Vita Alex. Strabo l. 15.

Petrus Maffeius lib. 5. Hiſt. Ind. pag. 150.

Propoſito ſuppar exemplum, quòd legi poteſt apud Petrum Maffeium, ad alteram partem verborum benedictæ vitis Deiparæ properans, omitto.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Virgo Deipara est fructuosa vitis.

FRuctuosam & non solùm odoriferam vitem, se fuisse declarauit Virgo Deipara, cùm, sicut ad ipsum præcedentis capitis initium audiuimus, dixit: *Et flores mei fructus honoris & honestatis.* In quibus verbis per flores primariò Virginitas eius intelligi debet. Nam etiam à Tertulliano pudicitia siue virginitas, flos morum, honor corporum, & decor sexuum appellatur. Diuus quoque Cyprianus virgines esse florem Ecclesiastici germinis, & per illas, atque in illis largiter florere Ecclesiæ Matris gloriosam fœcunditatem ait. Cæterùm virginitati Deiparæ adiungendæ sunt, non paucæ virtutes eius, quæ illam & suauitate odoris replebant, & ad producendum fructum disponebant. Breuiter illas Sanctus Ambrosius perstrinxit, sic de Virgine Deiparâ scribens: Virgo erat non solùm corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponens. Intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere.]

Virginitas laudatur.

Tert. l. de Pudicitia c. 1.

Cyprian. lib. de discip. & hab. Virg.

Ambr. lib. 2. de Virginibus.

Encomia Deiparæ.

Quis porrò huius vitis fructus? Cùm S. Bernardus Beatissimam Virginem appellet Matrem Vitis, eò quòd sit Mater Christi, qui etiam est vitis, vt in parte primâ capite primo declaratum est; cur nequeat dici, fructum Deiparæ esse vitem Christum? Quod dicendo, facilè in mentem venit illa vitis, quam, vt referunt Herodotus, Iustinus, & alij, Rex Medorum Astyages in somnis vidit, ex vtero filiæ suæ Mandanes excrescentem,

Bern. lib de Passione D. cap. 46.

Fructus Deiparæ Christus.

Herodotus lib. 1.
Iustinus lib. 1.

tem, & totam Asiam suis propaginibus obumbrantem. Neque vanam interpretationem ariolorum fuisse, qui nascituræ proli totius Asiæ Imperium portendi aiebant, euentus comprobauit. Nam ex Mandane natus Cyrus Maior, deuicto Astyage primus Medorum Imperium ad Persas transtulit, & subactâ Asiâ, totum Orientem in potestatem redegit. Nimirum ex vtero Virginis Sanctissimæ egressa est vitis Christus, & tantopere quoquouersum excreuit: vt non per Orientem tantùm, sed per vniuersum orbem palmites suos extenderit, verèque dixerit: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.

Matth. 28. ℣. 18.

Aptiùs tamen ad naturam vitis diceretur, fructum vitis Deiparæ esse botrum illum, ex quo expressum est vinum, cuius in capite primo & secundo partis prioris meminimus. Fauet tali modo dicendi etiam consuetudo linguæ Hebrææ, quæ vt obseruauit Hieronymus ab Oleastro, frequenter filium paruulum appellat GHOLAL, quæ vox & racemum seu botrum significat, & paruulum, quòd ab vbere seu matre, veluti botrus à vite pendeat. Fauet quoque Sponsa, cuius vox est: Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi, id est botrus præstantissimus, instar botrorum, qui in vineis Engaddi nascuntur, & propter aromaticos eosque vicinos Cypri frutices, sapore, & odore cyprino, imbuuntur. Ita ibi Delrius, alij aliter. Fauet D. Cyprianus, qui de Christo, vt de botro; de passione autem eius, vt de torculari loquitur: Quomodo, inquit, ad potandum vinum veniri non potest, nisi botrus calcetur ante, & prematur: sic nec nos sanguinem Christi possemus bibere, nisi Christus calcatus priùs fuisset, & pressus.

Christus est racemus seu botrus, vitis Deiparæ fructus.

Lingua Hebræa lactentem puerum vocat botrum.

Oleaster in 19. Lenit. ad Literam.

Cantic. 1. ℣. 13.

Delrius.

Cyprian. Epist. 63. ad Cæcilium.

Insuper fauet D. Ambrosius, qui etiam Christum vocat botrionem peregrinum, quia sicut vua de vite, ita ille in carne, crucis pependit è ligno. Verba sunt Sancti Doctoris, sicut & ista, quæ sequuntur: Ex hoc ergo botrione

Ambr. lib. 1. de Fide, cap. 9.

trione est poculum, quod lætificat cor hominis, sobrietatem inebriat, crapulam fidei, & veræ religionis exhalat, crapulam castitatis infundit.] Idem S. Ambrosius alibi, comparat Christum cum illo botro, quem duo viri è vecte pendentem ex terra Chanaan attulerant, vt fertilitatem regionis ostenderent, animosque suorum ad obtinendam illam accenderent. Christus, inquit, planè botrus est, quem duo exploratores illi, hoc est, Jesvs Naue, & Caleb filius Iephone, in phalangâ, (quod Sacra scriptura vectem, hoc D. Ambrosius phalangam vocat) ad filios Israel proprijs humeris retulerunt. Quod quidem factum, iam tunc præfigurabat aduentum Domini Saluatoris. Nam botrus in phalangâ suspensus, in cruce Christus appensus ostenditur. Duo autem in phalangâ portantes vuam, duo populi demonstrantur, Christianus vtique, & Iudæus. Et sicut mos est portantium, vnus præcedens, alter subsequens: ita prior, Iudæorum designatur populus, Christianorum secundus. Et sicut antecedens, quod portat, non videt, & retrorsum id semper habens, quadam dorsi auersione contemnit: qui autem sequitur, semper id oculis perspicit, semper custodit obtutibus, semper corporis vicinitate potitur: ita ergo Iudæus & Christianus populus. Iudæus enim prior est, Christum in lege portat, & nescit, & retrorsum eum ponens quadam dorsi auersione contemnit. Vnde ait Propheta: *Obscurentur eorum oculi ne videant, & dorsum ipsorum semper incurua.* Christianus verò sequens populus, Christum semper oculis aspicit, semper custodit obtutibus, & quadam graduum suorum vicinitate complectitur: & quantò eum ille populus prauo itinere post se relinquit, tantò eum iste directo cursu festinat attingere. Hæc S. Ambrosius.

Num. 13. ℣. 24.

Ambros. in festo S. Cypriani Mart.

Psal. 68. ℣. 24.

Atque per hæc satisfactum est interrogationi illi, Quis sit vitis Deiparæ fructus? Non minùs autem

Lucæ 1. ℣. 42. satisfieret, simpliciter dicendo, illum esse, quem Virgini Deiparæ, cùm B. Elizabeth gratularetur, dixit: *Benedictus fructus ventris tui.* Christus enim est absolutè fructus, non propterea tantùm, quòd in Sacra scriptura frequenter hoc modo vocentur filij, vt videre licet in. *Psalm. 126. ℣. 3.* illis verbis Psalmi: *Ecce hæreditas Domini filij, merces fru-* *Psalm. 131. ℣. 11.* *ctus ventris*: & illis; *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*: sed alias etiam ob causas.

Christus quàm meritò appelletur Fructus.

Quarum prima est, quòd sicut fructus ab arbore, è qua prodit, suam substantiam habet: ita & Christus ex Virgine purissimoque eius sanguine, substantiam carnis suæ assumpsit. Hinc illud S. Augustini: Caro *August. serm. de Assumpt. Mariæ cap. 5.* Jesu, caro est Mariæ, & multò specialiùs, quàm Ioseph Iudæ, cæterorumque fratrum eius, quibus dicebat: *Fru-* *Genes. 37. ℣. 27.* *ter enim & caro nostra est.* Caro enim Christi, quamuis gloria Resurrectionis fuerit magnificata, & potenter super omnes cælos Ascensione glorificata; eadem tamen carnis mansit & manet natura, quæ susceptа est de MARIA.]

Richar. à S. Laur. lib. 1. cap. 7. Secunda, quam tradit Richardus à S. Laurentio: Congruè, inquit, Christus appellatur fructus: quia sicut fructus ex herbâ nascitur, vel ex arbore, aut à terrâ, ipsam non violans: sic & Christus de Virgine.] Quid dicat is auctor, clarum est. Hoc enim verba eius continent: Sicut fructus absque vllâ corruptione arboris, vel terræ, vel herbæ nascitur: ita Christus virginitatem, integritatemque Matris suæ, prorsus non corrumpendo, ex vtero eius in lucem prodijt, & re ipsâ ostendit, *Theodot. Ancyran. Hom. 2. in Syn. Epheſ. Tom. 6. c 10.* quòd, vt ait Theodotus Ancyranus, incorruptionis largitor corruptionem non inducat.

Tolet. in 1. Lucæ annot. 119. Tertiam assignat Toletus, quia sicut fructus vtilitati hominum seruit, dum eis cibum & nutrimentum affert: ita Christus omnia ad nostram vtilitatem retulit, quæcunque fecit. Vt proinde meritò Ecclesia de illo

illo canat: Se nascens dedit socium, conuescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium.] Meritò etiam Sanctus Bernardus scripsit: Neque enim iam quærere est Christianis, cur voluerit Dominus Christus circumcidi? Propter hoc siquidem circumcisus est, propter quod natus, propter quod passus. Nihil horum propter se, sed omnia propter electos.] *Bern. serm. 2. in Circumc.*

Venter Deiparæ est beatus. *Lucæ 11. ℣. 27.* Est & aureus.

Christus ergo est fructus, & quidem fructus ventris illius, quem pia mulier, extollens vocem, laudauit: *Beatus venter, qui te portauit.* Item ventris, quem potiori iure aureum quisque vocauerit, quàm fuerit vocatus à Sancto Hieronymo venter matris, quæ duos Sanctos iuuenes Eusebium & Chromatium, in lucem edidit. Hos enim alloquens ille, aiebat: Verè venter aureus dici potest, quia tales vos genuit. Præterea ventris illius quem iuxta Tertullianum intellexit Deus, quando Dauidi dixit: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* His enim verbis, vt docet Tertullianus prædicebat Deus, quòd ex genere Dauidis proditura esset Virgo, cuius & solius quidem illius venter, absque vllâ operâ viri, Christum pareret: & quod consequens est, virginitate permanente, pareret. Tertullianum ipsum ad commemorata verba sic loquentem adduco: Quis iste venter est? Ipsius Dauid? vtique non, neque enim pariturus esset Dauid. Sed nec vxoris eius, non enim dixisset, ex fructu ventris tui, sed potiùs ex fructu ventris vxoris tuæ. Ipsius autem dicendo ventrem, supereſt, vt aliquem de genere eius ostenderit, cuius ventris futurus esset fructus, caro Christi, quæ ex vtero Mariæ floruit. Ideòq; & fructum ventris tantùm nominauit, vt propriè ventris, quasi solius ventris, non etiam viri: & ipsum ventrem ad Dauid redegit, ad principem generis & familiæ patrẽ: nam quia viro deputare non poterat Virginis eum ventrem, patri deputauit.] Ita Tertullianus. *Hieron. Epist. 43.* *Psal. 131. ℣. 11.* *Tertull. aduersus Marcionem lib. 3. cap. 20.*

Christus & vt Deus, & vt homo, est fructus benedictus.

Præterea Christus, siue consideretur vt Deus, siue vt homo, est fructus benedictus. Quatenus enim est Deus, naturâ suâ habet, quòd sit benedictus: vtpotè naturâ suâ immensus, immutabilis, æternus, bonus, sapiens, potens. Ad quæ attributa, vt à Theologis vocantur, & eorum singula, tres illi præstantes, in medio flammarum Dei laudatores, sua illa verba, *Benedictus es Domine*, iustè repeterent. Quatenus autem est homo, dicitur Christus benedictus per gratiam, quâ tantoperè cumulatus est, vt omnium, non tantùm hominum, sed etiam Angelorum gratiam superârit, & semper, quòd ex illius abundantiâ, in omnem creaturam rationalem redundet, habuerit.

Daniel. 3.

Hoc autem ideò factum est, quia cùm Christus sit naturalis Dei Filius, & caput tam Angelorum, quàm hominum, omnino decuit, vt præ omni aliâ creaturâ, anima eius perfectissimâ & maximâ gratiâ ornaretur. Talem gratiam intelligebat Sanctus Ioannes, quando Christum plenum gratiæ & veritatis vocauit, & quòd de plenitudine eius nos omnes acceperimus, asseruit. Non enim de qualicunque plenitudine gratiæ sermo illi fuit, sed de eâ, quam & dignitas animæ Verbo vnitæ, & vniuersalis fons gratiæ Christus postulabat. Et idcircò Dionysius Carthusianus verba Sancti Ioannis explanans, inquit: Quemadmodum humanitas Christi incomparabiliter præ cæteris omnibus viciniùs vnita est Verbo: sic gratia eius omnium electorum gratiam incomparabiliter pœnè, non tamen simpliciter infinitè excedit.] Addidit: Non tamen simpliciter infinitè: quia iuxta communem Theologorum sententiam, gratia habitualis in Christo, quamuis secundùm quandam rationem, & dignitatem gratiæ, appellari possit infinita: in entitate tamen suâ, & intensione, quam habet in subiecto, finita est.]

Ioan 1. ℣. 14. & 16.

Gratia Christi quomodo infinita

Verùm

Verùm his omissis, Sanctum Bernardum, quomodo Christus sit fructus benedictus, declarantem audiamus: Benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie, id est, in pulchritudine. Huius odoriferi fructus fragrantiam sentiebat, qui dicebat: *Ecce odor filij mei, sicut odor agripleni, cui benedixit Dominus.* Annon verè benedictus, cui benedixit Dominus? De sapore huius fructus quidam, quod gustauerat, taliter eructabat, dicens: *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus.* & alibi: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!* Et alius quidam: *Si tamen gustatis, quoniam dulcis est Dominus.* Et ipse fructus de se, inuitans nos ad se: *Qui edunt me, ait, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.* Vtique propter saporis dulcedinem hoc dicebat, qui semel gustatus magis excitat appetitum. Bonus fructus, qui animarum esurientium & sitientium iustitiam, & esca, & potus est. Audisti de odore, audisti de sapore, audi & de specie. Si enim fructus ille mortis, non solùm suauis fuit ad vescendum, sed etiam, teste scripturâ, delectabilis aspectu: quantò magis huius vitalis fructus viuificum decorem debemus inquirere, in quem, teste aliâ scripturâ, *desiderant etiam Angeli prospicere?* Cuius pulchritudinem in spiritu videbat, & in corpore cupiebat, qui dicebat: *Ex Sion species decoris eius.* Sic Bernardus.

S. Bernar. Hom. 3. super Missus est.

Christus est fructus benedictus in odore, in sapore, in specie.

Genes. 27. ℣. 27.

Psal. 33. ℣. 9.

Psalm. 30. ℣. 20.

1. Petri. 2. ℣. 3.

Eccles. 24. ℣. 29.

Genes. 3. ℣. 6.

1. Petr. 1. ℣. 12.

Psalm. 49. ℣. 2.

Sed quid opus est multis, ad commendandum Deiparæ fructum, quem ipsa paucis, satis magnificè commendauit, quando eum (vt ad initium huius capitis audiuimus) *honoris & honestatis fructum* appellauit? Nam sic testata est honorem sibi inexplicabilem accessisse, quando eius Filij facta est Mater, quem æternus Pater ex vtero ante Luciferum genuit. Honorem istum cùm Sanctus Anselmus consideraret, in admirationem raptus dicebat: Vnum Filium sibi consubstantialem, coæter-

Christus est fructus honoris & honestatis.

Psal. 109. ℣. 3.

Anselm. l. de excel. Virg. cap. 8.

coæternum, omnipotentem, ex suâ naturâ sine initio Deo Pater genuit, & per eum omnes creaturas visibiles, & inuisibiles, ex nihilo fecit. Hunc igitur sibi tam vnicum, quàm dilectissimum, & in omnibus omnino æqualem, non passus est remanere solummodò suum, sed eundem ipsum voluit in rei veritate esse B. MARIÆ vnicum, & dilectissimum & naturalem Filium: nec ita, vt duo essent, vnus videlicet Filius Dei, alius Filius Sanctæ Mariæ Virginis: sed vnus & idem ipse, qui Filius Dei, in vna persona esset Filius Sanctæ Mariæ Virginis, & qui Filius Sanctæ Mariæ, vnus & idem ipse esset in vna persona Filius Dei. Quis hæc audiens non obstupescat, & quòd Deus tale quid velle potuerit, non vltra omne, quod dici potest, admirabile ducat?]

Christum ipsa honestas concepisse & peperisse videtur.

Testata est etiam Deipara inuentum esse à Deo tam honestum modum, quo æternus eius Filius homo fieret, vt ipsamet honestas eum concepisse & peperisse videatur. Honestus quidem est, & idem communis, per viri & feminæ copulam liberos procreandi modus: attamen vt annotauit Richardus a Sancto Laurentio, aliquam inhonestatis speciem illi subesse, ipsi etiam coniuges sentiunt, & propter illum verecundantur. Declarat id exemplo Elizabeth, quæ cùm Filium concepisset, *Occultabat se mensibus quinque*, vt Sanctus Lucas Euangelista scripsit. Quo loco aptè ad rem præsentem interrogat, & simul respondet Sanctus Ambrosius: Quæ causa occultationis est, nisi pudor? Ita Sanctus Doctor, cùm priùs hæc præmisisset: Magna Sanctis cura est verecundiæ, vt plerumque in ipsis pudor voti sit (id est rei concupitæ) sicut hoc loco aduertimus Sanctam Elizabeth, quæ vtique filios habere cupiebat, occultantem se mensibus quinque.] Decenter igitur, prætermisso hoc vsitato filios generandi modo, inuentus est pro vnigenito Dei Filio, alius modus perfectissimæ

Richar. à S. Laur. lib. 12.

Luca 1. ℣. 24.

Ambr. lib. 1. in 1. Luca.

hone-

honestatis plenus, scilicet, vt absque viri operâ, ex integerrimæ castitatis Virgine nasceretur. Decentiam istam considerans Sanctus Ignatius Martyr, scripsit: Insolens admiranduſque partus ille Domini ex solâ Virgine. Non quòd detestanda sit legitima commixtio, sed quòd eiusmodi partus decebat Deum. Decebat namque creatorem, non consueto, sed peregrino & admirando vti partu, vtpote omnium opificem, &c.

Decebat Christū, vt ex Virgine nasceretur.

Ignatius Epist. ad Heronem.

Cùm autem in Græco textu, quo liber Ecclesiastici conscriptus extat, pro vocabulo Honestatis, legatur πλάτος, id est, Diuitiarum; etiam sic fructus Deiparæ Christus plurimùm commendatur. Est enim Christus diuitiarum fructus, quia est Filius Matris illis diuitijs præditæ, quas commemorat Sanctus Bonauentura, tractans illa verba Salomonis: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Si filias istas, inquit, intelligimus sanctas animas, vel intelligentias Angelicas, nunquid non supergressa est Deipara diuitias Virginum, Confessorum, Martyrum, Apostolorum, Prophetarum, Patriarcharum, & Angelorum? cùm ipsa sit primitiua Virginum, speculum Confessorum, rosa Martyrum, registrum Apostolorum, oraculum Prophetarum, filia Patriarcharum, regina Angelorum? Quid enim illi de diuitijs omnium horum defuit? Hæc Sanctus Bonauentura, cui addo Sanctum Bernardum illud Ecclesiastici; *Et in plenitudine Sanctorum detentio mea*, sic illustrantem: Meritò in plenitudine detentio eius scilicet Mariæ, cui nec fides defuit Patriarcharum, nec spiritus Prophetarum, nec zelus Apostolorum, nec constantia Martyrum, nec sobrietas Confessorum, nec castitas Virginum, nec fœcunditas Coniugatorum, nec puritas Angelorum.

Christus est diuitiarum fructus.

Bonauent. in spec. Deiparæ, lect. 2.

Prouerb 31. ℣. 29.

Deipara omnium Sanctorum ditissima.

Eccl. 24. ℣. 16.

Amborum verba si expendantur, conticescere iubent omnes laudes illius aureæ vitis, quâ Herodes Rex templi

Aureis vitib⁹ præstantior vitis Deipara.

templi à se Hierosolymis exædificati fores ornauerat. Vocat eam Iosephus mirandum opus, tam manus quàm materiæ pretio, & quòd aureos etiam pampinos habuerit, vnde racemi staturâ hominis penderent, testatur. Latiùs verò eandem vitem depinxit alter Iosephus Gorionis filius sic scribens: Fecit Rex columnas argenteas, & bases earum argenteas, capita autem earum fecit aurea. Fecit insuper vitem de auro mundo, & posuit in summitate columnarum, cuius pondus erat mille talentorum aureorum. Erat autem vitis ipsa facta opere ingenioso, habens ramos perplexos: cuius folia & germina facta erant ex rutilanti auro, botri autem ex auro fuluo, & grana eius, acini, atque folliculi facti erant ex lapidibus pretiosis. Citat quoque Ioannes Eusebius Nerembergius Alexandrum Neapolitanum, qui certis ac fide dignis auctoribus se comperisse scribit, vites propè Danubium quandoque emersisse, quæ clauiculos, & folia ex auro puro candicantia tulissent. Adducit & Gaudentium Merulam, qui iuxta Schemnitium vrbem Pannoniæ, idem contigisse scripserit. Cur autem tam pretiosas vites interdum ipsa natura edat, auri fodinas sub vite latentes, causam esse isti auctores putant. Sed quantùm libet plenæ auro vites aliquando extiterint, comparatæ cum vite Deiparâ, nihil fuerunt. Aurum enim & argentum (inquit bene S. Bernardus) nonne terra est rubra & alba, quam solus hominum error facit, aut magis reputat pretiosam? Veræ ergo diuitiæ, non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, vt in perpetuum diues fiat.]

Ioseph. l. 15. antiq. Iudaic. c. 14. l. 6. d. bello cap. 6.

Ieseph Gorion. l. 5. Histor.

Bern. de Aduentu Domini, serm. 4.

Notanda Hebræorum phrasis.

Ribera in 1. Osee Num. 26.

Est item Christus diuitiarum fructus & in hoc sensu, quem in verbis Ecclesiastici latens Hebraismus suggerit. Lingua enim Hebræa (vt annotauit Ribera) cùm adiectiuis non abundet, frequenter genitiuo substantiui nominis, vti solet, pro adiectiuo. Exempli gratia:

tia: *Scit enim omnis populus, mulierem te esse virtutis,* id est, virtute præditam. *Mulierem fortem quis inueniet?* Hebraicè, Mulierem fortitudinis. *Transtulit in regnum filij dilectionis suæ,* id est, filij dilecti. Quodsi genitiuus iste pluralis numeri sit, superlatiui vim habet, vt cùm Dauid *Virum sanguinum,* & Isaias *Virum dolorum* nominant, perinde est, ac si ille virum maximè sanguinolentum, hic virum maximis doloribus affectum nominasset. Ad hanc igitur normam vocatur Christus diuitiarum fructus, id est, ditissimus. Diuitias suas ipsemet declarauit, quando dixit: *Simile est Regnum cælorum thesauro abscondito in agro.* Nam vt Sanctus Hieronymus super hæc verba inquit: Thesaurus iste, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, aut Deus Verbum est, qui in carne Christi videtur absconditus: aut Sanctæ scripturæ, in quibus reposita est notitia Saluatoris: quem cùm quis in eis inuenerit, debet omnia istius mundi emolumenta contemnere, vt illum possit habere, quem reperit.]

Ruth. 3. ℣. 11.
Prouer. 31. ℣. 10.
Coloss. 1. ℣. 13.
Psalm. 5. ℣. 8.
Isaiæ 53. ℣. 3.
Matth. 13. ℣. 44.
Hieron. ibidem.
Coloss. 2. ℣. 3.
Christus est pretiosus thesaurus.

Quanta hîc rursus excellentia Deiparæ & vteri eius commendatio exurgit? Spectatissimam illam veteris testamenti Annam, sanctus Chrysostomus laudans, vterum eius, quòd Samuelem gestârit, pretioso thesauro onustum vocat, & addit: Neque enim aurum argentumue portabat, sed Prophetam, sed Sacerdotem. Cur non similiter vocetur Deiparæ vterus, intra quem Christus, omni pretio & æstimatione maior thesaurus inclusus erat, & qui illum Prophetam continebat, de quo dicebat turba: *Hic est verè Propheta:* illum etiam Sacerdotem, cui ipsemet æternus Pater huiusmodi testimonium dedit: *Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.*

Chrysost. Hom. de fide Annæ.

Deiparæ vterus pretioso thesauro onustus.

Ioan. 6. ℣. 14.
Psalm. 109. ℣. 4.

Non negligam, quod diligenter nonnulli in verbis explicatis obseruârunt, scilicet flores cum fructu, id

In vite Deipara flores & fructus coniunguntur, quia virginitas & fœcunditas in eâ copulantur.

est, Virginitatem suam cum partu, Deiparam coniunxisse, & dixisse: *Flores mei fructus.* Ecquid hoc? Nonne sicut arbores priùs flores amittunt, tum deinde fructus producunt: ita & matres prius florem virginitatis deperdunt, postea verò fructum prolis edunt? Omnino, si leges naturæ spectentur, ita debere fieri, certum & exploratum est. Sed Deipara, quid in eâ auctor naturæ Deus infinitâ suâ potentiâ præstiterit, aperuit. Hoc enim præstitit, vt Mater Sanctissima florem Virginitatis suæ illibatum etiam tunc retineret, cùm Filium suum & conciperet & pareret. Peropportunè hîc occurrit, quod S. Bernardus in hunc modum scripsit: Apertiùs intelliges, si diligentiùs volueris intueri, in omni arborum genere, in ortu fructus, florem decidere & perire: in hominibus quoque, & ferè cunctis animantibus, fructus filiorum, florem virginitatis abscindit. Non sic erat in natiuitate vitis nostræ, id est, Christi. Beatissima enim Mater illius, fructum quidem protulit benedictũ, non amisso virginitatis flore: imò magis per partum mirabilem & mundissimum est decorata, vbi lex, vbi iura naturæ abscissa sunt.]

Bern. lib. de Passione Dom. c. 46.

Mysterium istud tam illustre, illustri olim miraculo, omnium Israeliticarum tribuum oculis subiecto, declaratum fuit, quando arida Aaronis virga viruit, & flores, simulque fructus amygdalinos protulit. Iuxta literalem quidem sensum, Sacerdotium Aaronis tali modo approbauerat Deus, & quòd deinceps soli Aaronis posteri Sacerdotes creandi forent, monstrauerat: verùmtamen figuram simul exhibuerat hoc denotantem, quòd futura esset Virgo, quæ florem virginitatis haberet, & simul fructum, id est Filium ederet. Illustrior dicta figura redditur, si in sententiam Abulensis eamus, affirmantis, quòd illa Aaronis virga, postquam semel floruit, flores nunquam amiserit, sed perpetuò

Num. 17. v. 8.

Abulen. Q. 11. in 17. Numer.

illos

illos cum fructu amygdalorum conseruârit. Liberè ergo dicat Petrus Berchorius: Virga Aaronis sicca, significat Virginem Benedictam Mariam, ab omni humore carnalis voluptatis penitùs alienam. Ista ergo virga sicca germinauit, floruit, fronduit, fructificauit: id est, Virgo concepit, peperit, & generauit illum, qui est germen gratiæ, fons lætitiæ, flos munditiæ, fructus iustitiæ, id est, Dei Filium Benedictum Christum. Recentius eiusdem mysterij à Deo exhibitum exemplar hoc proponi potest, quod cum B. Bonfilius Ordinis Seruorum auctor, verno tempore vitem in hortulo plantasset, ea ipso Annunciationis die, palmites vndique emiserit, floruerit, ac vuas protulerit. Vtique ista vitis illius diei arcana detexerat, quo Angelus Gabriel cælestem legationem obiuit, & Virgo Sanctissima Filium suum in vtero gestare cœpit.

Berch. lib. 4. Moralit. c. 14. in 17. Numer.

Aliud in illâ florum cum fructu coniunctione inuenit Richardus à Sancto Laurentio. Ait enim ideò illam factam esse, quòd cum aliorum puerorum corpora per multos à Conceptione dies (nempe masculorum per quadraginta) formentur; Christi corpus momento temporis efformatum, & omnibus membris perfectissimè absolutum fuerit: ita vt hæc tria eodem momento extarent, corpus, anima, & vtriusque cum verbo diuino, in vnâ eademque hypostasi, vnio. Meretur & hæc inuentio laudem, pro fundamento habens doctrinam certam, quam præclarè tractant Sanctus Thomas, Suarez, & alij. Claudant iam totum hoc caput verba illa Sancti Gregorij Thaumaturgi, vitem Deiparam salutantis: Aue gratia plena, vitis semper vigens, quæ animas glorificantium te lætificas.

Rich. à S. Laur. lib. 11.

Christi corpus momento temporis efformatum.

D. Thom. 3. p. q. 33. art. 1. Suar. Tomo 2. in 3. p. disp. 11. sect. 2.

Greg. Thau. serm. 1. in Annunt.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur & illustrantur duo Deiparæ nomina, quibus Sancti Patres illam ab omni peccato liberrimam fuisse, & nulla putatione opus habuisse, declarare solent.

PErfectissimam & ab omni etiam tenuissimi peccati maculâ liberam, Deiparæ Sanctitatem proponere, præsentis capitis munus est. Hoc enim proponendo, ostenditur, nihil prorsus in vite Deiparâ fuisse, quod aliquâ putatione opus habuerit. In tantâ autem varietate & abundantiâ rerum, quæ pro tam sublimi Deiparæ sanctitate afferri possent, sufficiat hîc de duobus nominibus breuiter agere, quibus communiter Patres Virginem Beatissimam appellant, cùm eam ab omni peccato immunem fuisse, docere volunt.

Primum nomen, Deiparæ Paradisus. *Damasc. in Orat. 2. de Assumpt. V.*

Primum sit, Paradisus, quo præcipuè Sanctus Damascenus vtitur, significans in Deiparâ, nihil vnquam fuisse, quod oculos Dei non oblectaret, & iucunditatem cordi eius non afferret: sicut etiam in Paradiso nihil fuit productum, quod ad primos homines recreandos, & suauiter alendos, non seruiret. Sacra scriptura testatur id dicens: *Genes. 2 ℣. 9.* *Produxitq; Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue.* Proinde Deiparæ etiam conuenit, quod alibi idem Sanctus Damascenus de Paradiso scripsit, vocans eum omnis lætitiæ ac voluptatis, item vniuersæ sensibilis venustatis & pulchritudinis promptuarium, intelligentiam excedens.] Cùm autem addit, quòd ad Deiparam nunquam aditum habuerit serpens, terrestri illi Paradiso, *Damasc. lib. 2. de fide orthod. cap. 11.*

longè

longè illam præfert. In illo enim ſerpens non tantùm locum habuit, ſed etiam primæ mulieri Heuæ, vt Legem Dei tranſgrederetur, ſuis fallacijs perſuaſit. Negat quidem Rupertus ſerpentem illum intra Paradiſum vnquam fuiſſe, & modum, quo ab ipſo extra Paradiſum poſito, peracta eſt tentatio, oſtendit. Mulier, inquit, corpore & oculis vaga, dum incontinenter deambulat, fortè proſpectans, qualis extra Paradiſum mundus haberetur: & dum ſerpens, vtpote aſtutus, dulcedini terræ propiùs vel ambitioſiùs inhiat, locus Diabolo datus eſt, & occaſio porrecta, vnde tentaret.] Verùm fruſtra à Ruperto negatur, quod & Scripturæ verba, ſi benè expendantur, non obſcurè indicant, & Sancti Patres diſertè docent. Inter eos eſt Sanctus Auguſtinus, cuius ſunt hæc: Diabolus colubrum in Paradiſo corporali, vbi cum duobus illis hominibus, maſculo & femina, animalia etiam terreſtria, cætera ſubdita & innoxia verſabantur, animal ſcilicet lubricum, & tortuoſis anfractibus mobile, operi ſuo congruum, per quem loqueretur, elegit: eoque per angelicam præſentiam præſtantioremque naturam, ſpiritali nequitiâ ſibi ſubiecto, & tanquam inſtrumento abutens, fallaciam ſermocinatus eſt feminæ. Ecce Sanctus Auguſtinus, ait, colubrum in Paradiſo à Diabolo fuiſſe electum, vt per eum loqueretur.

Rupert. lib. 3. de Trinit. & oper. eius cap. 2.

Auguſt. lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 11.

Cùm ergo certum ſit, ſerpentem intra Paradiſum terreſtrem fuiſſe, & ibi ſibilando, venena toti humano generi mortifera ſparſiſſe: quanta felicitas & ſanctitas Deiparæ fuit, ad quam ſerpenti tartareo, omnium malorum ſatori, omnes aditus præcluſi erant? Quod non ita intelligi debet, vt eam tentare nunquam potuerit. Certè ipſum Chriſtum, quòd in deſerto tentauerit, & non priùs ab eo, quàm, vt loquitur Sanctus Lucas, *Conſummatâ omni tentatione*, receſſerit, omnibus conſtat.

S. Luc. c. 4. v. 13.

Num

Deipara tentatione exteriori tentari potuit.

Num ergo religioni habendum est, si etiam Virginem sanctissimam ab eo tentari aliquando potuisse, dicatur? Sed quælibet illa tentatio, non interior, sed exterior tantùm fuisset, qualis etiam erat illa tentatio triplex, quâ Christus, oppugnatus fuit, & de qua S. Gregorius scripsit: Omnis illa tentatio, foris non intus fuit.]

Greg. Hom. 16. in Euangelia.

Pererius lib. 6. in Genesim.

Jd vt meliùs explicetur, nota cum Pererio, quòd dupliciter tantùm Diabolus hominem interiùs tentare possit: vel per appetitum sensitiuum, concitando passiones eius ad res illicitas: vel per phantasiam, fingendo in ea phantasmata, quæ hominem ad malum moueant. Neutrum autem in Beata Virgine præstare potuit, propter eandem causam, propter quam hominem ante peccatum, in statu innocentiæ seu originalis iustitiæ, non potuisse interiùs tentari, idem auctor cum Sancto Thomâ docet. Habuit enim Sanctissima Virgo partem animæ superiorem, in quâ ratio dominatur, perfectissimè Deo subiectam: habuit & inferiorem, in quâ appetitus regnat, superiori concordissimè subditam. Cuiusmodi ordinem stabili harmoniâ constantem, quia tartareus serpens peruertere nequiuit; necesse est vt asseratur, quòd in Sanctissimâ Virgine, non potuerit esse vllus inordinatus, vel in appetitu, vel in phantasiâ motus, & quòd consequens est, procul ab eâ tentatio interior abfuerit.

S. Thom. 3. 3. 164. art. 2. ad 2.

In peccatũ induci non potuit propter aliquot causas.

Per exteriorem autem tentationem, quomodo eam in peccatum aliquod induxisset serpens, quam Spiritus sanctus partim per infusam prudentiam; partim per gratiam, quæ vocatur discretio spirituum, illuminabat: vt certò & absque vllo errore diiudicare sciret, vtrum à bono vel malo spiritu sibi aliquid proponeretur? Quomodo eam in peccatum induxisset, quam sibi inimicissimam semper, & inuictam experiebatur, iuxta illam à Deo in Paradiso denuntiationem

factam:

factam: *Inimicitias ponam inter te & mulierem?* In quâ denuntiatione obseruat Cardinalis Caietanus, plurali numero dictum esse, Inimicitias, non autem singulari Inimicitiam: quia vt omne peccatum euitaret, omne genus inimicitiarum, & in omni occasione, in omni materiâ, omni loco, & tempore, Virgo Sanctissima, cum serpente exercuit. Proinde digna est, quam sibi quisque imitandam proponat. Nec enim, inquit idem auctor, satis est, inimicum esse Diabolo, quoad ea, quæ sunt fidei, aut spei: sed oportet secundùm omnes partes inimicum esse, videlicet secundùm ea, quæ sunt castitatis, abstinentiæ, liberalitatis, misericordiæ, & cæterarum virtutum. *Genes. 3. ¥. 15. Caietanus.*

Omne genus inimicitiarum cum Diabolo suscipiendum.

Præterea, quomodo in peccatum induxisset eam, quæ opere præstitit, quod Deus serpenti, propter primos homines in peccatum dolosè inductos, minabatur dicens: *Ipsa conteret caput tuum.* Verè enim Virgo Deipara serpentis caput contriuit, quia, vt loquitur Sanctus Bernardus, omnimodam maligni suggestionem, tam de carnis illecebrâ, quàm de mentis superbiâ, deduxit ad nihilum.] Contriuit etiam, quia singulari dono Dei, absque peccato originali concepta fuit. Peccatum enim originale, est caput tartarei serpentis: cùm sit origo & seminarium malorum, ab eoque cuncta peccata procedant. Declaratur hoc illis verbis Dauidis: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Vbi quamuis textus Hebræus, iniquitatem & peccatum numero singulari proferat: Septuaginta tamen plurali numero, vtrumque protulerunt, Spiritu sancto mysterium hoc illis suggerente, quòd licet peccatum originale, in quo Dauid conceptus erat, & quilibet homo concipitur, re quidem ipsa sit vnum; virtute tamen est multiplex: quia in illo, veluti in radice, omnia peccata continentur. Hoc ergo peccati originalis capite contrito, quid periculi Sanctissimæ *Bern. Hom. 2. super Missus est.*

Peccatum originale caput est tartarei serpentis.

Psalm. 50. ¥. 7.

Iudith. 13. ℣. 10. *Iudic. 4. ℣. 21.* *Iudic. 9. ℣. 53.*

Deiparæ ab alijs peccatis imminere potuit? Securè olim triumphauit Iudith, postquam Holofernis caput gladio abscidisset: similiter Iahel, cùm caput Sisaræ clauo transuerberâsset: item illa mulier, quæ, vt sacræ literæ aiunt, fragmen molæ desuper iaciens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius. Securè, inquam, hæ mulieres triumphârunt, neq; vllas militares cohortes formidârunt: cùm duces earum straûissent, & ipsa capita illorum debellâssent. At longè securiorem triumphum de originali peccato, Virgo sanctissima peregit, contritoq; toties nominati serpẽtis capite, ne sibi alia peccata periculum aliquod crearent, prorsus nullo timore laborauit.

Multos & quos custodes animæ & corporis sui, Deipara habuit.

Genes. 3. ℣. 24.

Postremò, quomodo eam serpens in peccatum induxisset, quam Deus tantis præsidijs & custodijs muniuerat? Pulsis primis parentibus ex paradiso, ante vestibulum eius collocauerat Deus Cherubinos, qui flammeos gladios atque versatiles tenentes, tam Dæmonem, quàm hominem, ab ingressu paradisi arcerent. Dæmonem quidem, ne, si in paradisum irrependo fructum ligni Vitæ decerpsisset, eo mortales producendæ vitæ cupidissimos illuderet, & ad sui cultum illiceret. Hominem verò, ne sumeret de ligno vitæ & comederet, & viueret in æternum. Ipse Deus hanc causam tradidit,

Ibid. ℣. 22.

S. Thom. 2da. 2dæ. q. 164. art. 2. ad 6.

quæ interprete S. Thomâ, non ita intelligi debet, quòd homo, si post peccatum de ligno vitæ comedisset, immortalitatem recuperâsset: sed quòd illius cibi beneficio vitam magis producere potuisset. Æternùm enim pro tempore diuturno, positum est. Non expediebat autem homini, vt in miseriâ huius vitæ diutiùs permaneret, inquit Sanctus Thomas. Quòd verò & quàm vigilibus Cherubinis, alterum Paradisum Sanctissimam Virginem, idem Deus custodiendam tradiderat? Nulli enim dubium (inquit sanctus Anselmus) castissimum corpus & sanctissimam animam eius, funditus

Anselm. de Excell. Virg. cap. 3.

ab

ab omni fuisse maculâ peccati, iugi Angelorum custodiâ protectam, vtpote aulam, quam suus & omnium Creator Deus, corporaliter inhabitaturus, & ex quâ hominem, in suæ personæ vnitate, ineffabili fuerat operatione susceperturus.] Neque defuit Sanctissimæ Virgini gladius flammeus,, quo omnes tenebrarum principes & peccatorum ministros procul abigeret. Expressit hunc gladium Richardus Victorinus sic scribens: Virgo tenebrarum principibus terribilis fuit, vt ad eam accedere, eamque tentare non præsumpserint. Deterrebat enim eos flamma charitatis, incendebant orationes, & feruor deuotionis. Stupebant immunem à peccatis.] *Rich. Vict. cap. 26. in Cant.*

Secundū nomen priori affine *Hortus conclusus* Passim eo vtuntur omnes Deiparæ cultores, illudque ex Canticis Canticorum sumunt, vbi sponsus alloquitur sponsam: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus.* Circa quæ verba, duo ex Virgine Sanctissimâ quærit Rupertus. Jnprimis; vnde, inquit, Hortus? Nam inde nominatur hortus, quòd semper ibi aliquid oriatur. Quia cùm terra semel in anno aliquid creet, hortus nunquam sine fructu est. Vnde ergo hortus es tu, ô dilecta dilecti, nisi quia ante te natum est aliquid, quòd nunquam desinit, & fructus tuus nunquam marcescit aut deficit? Deinde; Et quare bis diceris hortus conclusus? Videlicet propter conceptum, & propter partum: quia in vtroque mirabile est, & fidelium mentibus amabile miraculum: quòd neque corrupta es conceptu, neque violata partu. Tum paulò post: quia & vterus tuus nulli viro, nulli carnali commercio accessibilis & mens tua, nulli vitio, nulli spirituali nequitiæ, fuit vnquam penetrabilis.] Secundum nomen Deiparæ Hortus conclusus. *Cant. 4. ℣. 12.* *Rupert. lib. 4. in Cant.*

In quibus Ruperti verbis hoc vel maximè verbum Penetrabilis, noto, quo ille docet ita Beatissimam Virginem Hortum fuisse conclusum, vt non tantùm peccatum Deipara non tantum non peccauit, sed nec peccare potuit.

peccatum non admiserit, sed nec admittere potuerit. Quæ doctrina quomodo intelligenda sit, declarat Sanctus Thomas, qui duplicem Beatæ Virginis sanctificationem statuit. Primam quidem, quam in Matris suæ vtero accepit, statim vt concepta fuit: alteram, quæ illi obtigit, cùm superueniente in eam Spiritu sancto, & virtute altissimi, eidem obumbrante, Christum concepit. Affirmat ergo sanctus Thomas, in primâ sanctificatione datum fuisse Virgini, vt nunquam peccaret: in secundâ verò additum esse, vt nec peccare etiam posset. Verùmtamen quòd Virgo Sanctissima, æquè non potuerit peccare, post primam sanctificationem atque post secundam, Francisci Suarez & aliorum quorundam Theologorum assertio est, quam ille copiosè probat, & quomodo debeat intelligi, declarat. Præsenti instituto satis est Virginem Deiparam ita fuisse hortum conclusum, vt omne peccatum excluserit. Exclusionem hanc confirmat vox Hebræa NAGHVL, quæ significat, non quomodocunque conclusum hortum, sed claustris obfirmatum, seu obseratum, vt Pagninus vertit. Nam NAGHAL, inquit, in thesauro Pagnini, Rabbi Dauid, est serâ claudere.

S. Thom. 3. p. q. 27. art. 4. ad 1. & in 3. dist. 3. q. 1. art. 2.

Franc. Suarez. T. 2. in 3. p. disp. 4. sect. 4.

Rabi Dauid.

Seræ & claustra Horti conclusi, id est Deiparæ, quæ fuerint.

Aliquot seras seu claustra proponamus, quæ peccatis ad Deiparam accessum negabant, & quæ Patres commendare solent, cùm horti conclusi appellationem diuersis rebus accommodant. Bedà enim per hortum conclusum intelligens Ecclesiam Christi, claustrum eius dicit esse protectionem diuinam: Ne, inquit, improba vnquam vel hominum infidelium, vel immundorum spirituum irruptione violetur, & à fructuum cælestium prolatione passim conculcata retardetur.] Sanctus autem Hieronymus per eundem hortũ intelligens statum Virginum, claustrum eius censet esse domesticorum cubiculorum parietes, intra quos illæ continere

Beda l. 4. in Cant.

Hieron. Epist. 22. ad Eustoch. c. 11.

se

se debeant, si peccata euitare velint. Et sic Eustochium Virginem alloquitur: Rursus ab eo, scilicet sponso, audies: *Hortus conclusus soror mea sponsa: hortus conclusus.* Caue ne domum exeas, & velis videre filias regionis alienæ: quamuis fratres habeas Patriarchas, & Israël parente læteris. Dina egressa corrumpitur. Nolo te sponsum quærere per plateas: nolo te circumire angulos ciuitatis &c.] Eundem statum Virginum horto concluso benè exprimi, cùm sentiret Sanctus Ambrosius, pro clausiro eius, custodiam oris assignauit. Ita enim inquit: Ideò scriptum est: *Hortus conclusus soror mea sponsa*: ne facilè aperiat os suum, nec vulgari resignet alloquio. Si Euæ clausa fuisset ianua, nec Adam deceptus fuisset, nec respondisset ad interrogata serpenti. *Introiuit mors per fenestram*, hoc est, per Euæ ostium. Ingreditur mors per ostium tuum, si falsum loquaris, si turpiter, si procaciter, postremò si vbi non oportet loquaris. Clausæ sint igitur labiorum fores tuorum, & obseratum maneat vocis vestibulum.] Accedit Sanctus Gregorius Nyssenus, cui hortus conclusus, est quælibet anima pia: Clausirum verò eius est diuinorum mandatorum obseruatio, quâ qui munitur, adiri non potest, inquit is Sanctus, à fero singulari, nec eum depascit, ac populatur aper ex sylua.]

Genes. 34. ℣. 1. & 2.

Ambros. lib. 3. de Virginibus.

Ierem. 9. ℣. 21.

Psalm. 79. ℣. 14.

Ecquod ex his clausiris, horto concluso Deiparæ defuit? Non primum, quia nullum erat vitæ ipsius momentum, quo ab omni peccati labe non protegeretur à Deo, & illo beneficio non frueretur, quod sanctus Cyprianus tunc potissimum exhibitum fuisse agnoscit, cùm sanctissima Virgo Filium suum de Spiritu sancto concepit. Ita enim de illâ scripsit: Angelica sanè, non est credendum, ministeria defuisse: nec recesserat à venerabili pectore matris Spiritus Sanctus, ad verbum Gabrielis illapsus. Possidebat domum suam, & templum,

Cyprian. de Natiuit. Christi.

quod sibi consecrauerat, adornabat. Lætificabant consolationes huiusmodi animam benedictam, & tanti habitatoris reuerentia, concupiscentiarum ludibria abigebat. Legem mentis, lex carnis non infestabat: rebellio nulla quietem spiritus affligebat.] Sic S. Cyprianus.

Non defuit & secũdum, Virgo enim Sanctissima suum illud solenne diligenter seruauit, vt congressum hominum fugeret, & in conclaui Deo, sibique vacaret. Manifestè id patet; si verba illa S. Lucæ expendantur: *Et ingressus Angelus ad eam.* Expendens illa S. Bernardus scripsit: Quò ingressus ad eam? puto in secretarium pudici cubiculi, vbi illa fortasis clauso super se ostio, orabat Patrem in abscondito.]

Luca 1. ℣. 28.

Bern. super Missus est, Hom. 3.

Non tertium. Vbi enim aliquando loquax? dicit de eâ idem S. Bernardus, additq;. In omni textu quatuor Euangeliorum (si benè meminimus) nonnisi quater Maria loquens auditur. Primò quidem ad Angelum: sed cùm iam semel atque iterum allocutus eam fuisset. Secundò ad Elizabeth, quando vox salutationis eius Ioannem exultare fecit in vtero, & eâ magnificante Mariam, ipsa magis Dominum magnificare curauit. Tertiò ad Filium, cùm iam esset annorum duodecim, quòd ipsa & pater eius dolentes quæsîssent eum. Quartò in nuptijs ad Filium & ministros. Et is quidem sermo certissimus index ingenitæ mansuetudinis & virginalis verecundiæ fuit.]

Idem serm. super Signum magnum.

Bernardin. Tom. 1. serm. 51 art. 3. c. 2.

Non quartum. Verè enim Diuus Bernardinus: Virgo, inquit, semper habuit continuum aspectum ad Dei beneplacitum, promptumque consensum semper gerebat in mente, beneplacita diuina adimplere.] Confirmatur hoc testimonio sancti Lucæ, qui a Sanctissima Virgine omnis puritatis matre duplicem legem diuinam obseruatam esse narrat: alteram quidem de purificatione: alteram de primogenitis consecrandis atque offerendis Deo.

Luca 2.

Leuit. 12.

Exod. 13.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Afferuntur duo alia Deiparæ nomina, quibus similiter perfectißima eius sanctitas declaratur.

TErtium nomen Sanctißimæ Virginis; *Nubes leuis.* Appellant illam hoc nomine S. Ambrosius, Sanctus Hieronymus, Procopius Gazæus & alij, quibus omnibus illa prophetia Isaiæ præit: *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulachra Ægypti à facie eius.* Nam quòd Isaias Beatißimam Virginem per nubem leuem intellexerit, sentiunt citati sancti Doctores, Ambrosius & Hieronymus, docentque tunc impletam esse prophetiam adductam, quando Christus infans Herodis sæuitiam declinans, brachijs Matris suæ in Ægyptum illatus fuit. Et sanè tunc cõmota erant simulachra Ægypti, siquidem, vt scripsit Eusebius, hi qui priùs incolebant Ægyptum, praui vitioßique Dæmones, per multa secula in simulachris latitantes, animasque Ægyptiorum omnis superstitionis errori addicentes, ac subijcientes, cùm sensissent nouam quandam ditionem, ac perturbationem in semetipßis pertulerunt. Sanctus verò Athanasius non tantùm commota fuisse, sed corruisse simulachra Ægypti testatur, sicut & Dionysius Carthusianus, qui ait: Corruerunt Ægypti idola propter Christi præsentiam, quam ferre non potuerunt: quemadmodum Dagon idolũ corruit, cum arcæ præsentiam ferre nequiuisset.]

Ambr. lib. de inst. Virg. cap. 13.
Hieron. in 19. Isai.
Procop. in idem Isaiæ. 19. ℣. 1.
Euseb. de demonstrat. Euang. lib. 6. cap. 20.
Athanas. lib. de Incarnat. Verbi.
Dionys. in 19. Isai.
1. Reg. 5. ℣. 3. & 4.

Sed cur Virgo Deipara non simpliciter Nubes, sed Nubes leuis dicta? Respondet sanctus Ambrosius illis

Ambr. l. de instit. Virg. cap. 13.

Plurēs rationēs cur Deipara nubes leuis vocetur.

illis Prophetæ verbis, hæc attexens: verè leuem, quæ coniugij onera nesciuit. Verè leuem, quæ leuauit hunc mundum de graui fœnore peccatorum. Leuis erat, quæ remissionem peccatorum vtero gestabat. Denique eleuauit Ioannem in vtero constitutum, qui ad vocem eius exiliuit, & infans exultauit in Domino, priùs sensu deuotionis, quàm spiritus infusione vitalis animatus.] Habes, cur Deipara appellata sit nubes leuis, quatuor causas à S. Ambrosio paucis verbis inclusas. Alias tradit Procopius Gazæus, asserens leuem illam vocatam: tum quia libera erat omni passione & fomite: tum quia super omnes res terrenas volabat.] Cuius causa prior, planè præsenti proposito conuenit. Cùm enim Deipara libera fuerit ab omni passione & fomite, prorsus libera fuit ab omni peccato, rectèque illam diuinus vates appellauit leuem, siquidem immunis erat ab onere cuiuscunque peccati: quod & ipsum graue est, & eos, in quibus inuenitur, graues efficit.

Procop. in 19. Isai.

Peccatum quodlibet graue.

Grauitatem eius adumbratam vidit Propheta Zacharias, quando mulierem in medio amphoræ sedentem, & os eius talento seu massâ plumbi obstructum vidit. Mulier enim, ipso Angelo interprete, significabat impietatem seu peccatum: quia vt in illam visionē commentarius Sancti Cyrilli Alexandrini ait, typus voluptatis, atque etiam infirmitatis est mulier: & omnis iniquitas non aliter committitur, nisi voluptate aliquâ ad malum inescante, & infirmitate mentis ad hoc consentiente. Nam si mens in se firma & virilis fuerit, nunquam se ad vitium deflecti patietur.] Talentum autem plumbi, quo clausum fuit os amphoræ, nimiam peccati grauitatem indicabat. Nihil enim æquè graue & onerosum inuenies, quàm peccatum, vt S. Chrysostomus scripsit. Eandem grauitatem sensérat illa nauis, quæ postquam admisisset Deo inobedientem Ionam, statim,

Zach. 5. ℣. 7. & 8.

Cyril. Alexan. in 5. Zach. Num. 30.

Chrysost. Hom. de Iona Proph.

ſtatim, teſte Scriptura ſacra, *periclitabatur conteri, & timuerunt nautæ, & clamauerunt viri ad deum ſuum, & miſerunt vaſa, quæ erant in naui, in mare, vt alleuiaretur ab eis.* Sed nautæ (inquit S. Chryſoſtomus, nondum agnita cauſa naufragij, nauem aliquantulùm rerum iactatione ſubleuari arbitrabantur, & nihilominùs nauigium turbabatur. Apud ſe enim periculi ſarcinam retinebant, & magis magiſque prophetæ corpore grauabantur: non corporis magnitudine, ſed peccati.] *Chryſoſt. ibid.*

Quid memorem Dauid, qui peccatis preſſus dicebat: *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue, grauatæ ſunt ſuper me.* Quid Petrum Apoſtolum, qui ante leuis pendulo greſſu calcabat vndas: poſtquam infidelitate aggrauatus vorabatur à fluctibus, manu Domini ſubleuatur? Sic de Apoſtolorum principe ſanctus Hieronymus loquitur, vbi ſimul meminit Ægyptiorum, de quibus Moyſes narrat: *Deſcenderunt in profundum, quaſi lapis: ſubmerſi ſunt: quaſi plumbum in aquis vehementibus.* Quid Angelos malos, qui ſuperbiâ onuſti, cum à cælis, licet *ſolidiſſimis & quaſi ære fuſis*, ſuſtineri non poſſent, in profundum barathrum corruerunt? Poſtremò quid memorem Chriſtum Dominum, qui quamuis ipſa ſanctitas fuerit, & omninò nullum peccatum commiſerit: noſtrorum tamen peccatorum cùm portaret onera, *Factus eſt ſudor eius, ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram, procidit q; in faciem ſuam, & attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Tanti fuit illi, qui appendit tribus digitis molem terræ, humanorum peccatorum pondera tuliſſe. *Pſalm. 37. ℣. 5.* *Matth. 14. ℣. 29. 30. & 31.* *Hieron. in 2. Nahum.* *Exod 15. ℣. 5. & 10.* *Iob 37. ℣. 18.* *Luc. 22. ℣. 44.* *Matth 26. ℣. 39.* *Iſaiæ 53. ℣. 5.*

Cæterum ſicut à peccato grauitas, ita à virtutibus & ſanctimonia vitæ mira leuitas procedit. Iſaias Propheta hoc ſignificauit illis verbis: *Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ; current, & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Videtur hæc ſicut & alia multa ſacræ Scripturæ arcana, Ex virtutibus & ſanctitate mira leuitas. *Iſaiæ 40. ℣ 31.*

Plato in Phædr. legisse Plato, qui etiam in suo Phædro asserit, animis virtute ornatis non deesse alas, quibus se super omnia terrena attollant & ad cælum tendant. Sed Plato propter idololatriam aliaque peccata totus grauis, ad explicandam leuitatem hominis probi, minimè idoneus fuit. *Ambr. l. 6. Hexam.* Explicet illam sanctus Ambrosius: Vnus, inquit, quasi de volatilibus est homo, qui alta visu petat, & quodam remigio volitet sublimium cogitationum. Et ideò de *Psalm. 102. ℣. 5.* illo dictum est: *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua:* eò quòd propior sit cælestib⁹ & sublimibus aquilis, qui possit dicere: *Phil. 3. ℣. 20.* *Nostra conuersatio in cælis est.*] Explicet quoque *Augusst. conc. 1. in Psal. 103.* sanctus Augustinus: Pennæ, ait, animarum, virtutes, bona opera, recta facta. In duabus alis habent omnes pennas: omnia enim præcepta in duobus præceptis sunt. Quisquis dilexerit Deum & proximum, animam habet pennatam, liberis alis sancto amore volantem ad Dominum.] Satisnè accomodatè ad illa posteriora Isaiæ verba, pennas & volatum commemorando hi sancti Patres, miram leuitatem hominibus virtute conspicuis inesse docuerunt, & quàm expeditè ijdem, potissimùm per dilectionem Dei & proximi, ad celsissima cælorum domicilia, imò ad ipsum Dei thronum perueniant, explicarunt? Quæ cùm ita sint, nihil mirum, si idem Isaias, vt supra vidimus, etiam Deiparæ leuitatem adscripsit, vocans eam nubem leuem, & quidem maximam & perfectissimam leuitatem intelligens, atque indicans, quòd futura esset Virgo, quæ omnes tam theologicas quàm morales virtutes, planè cælestes animæ pennas, suæ conceptionis momento possideret, & ab omni prorsus etiam tenuissimi peccati grauitate immunitatem haberet.

Animarum pennæ & alæ.

Quartum nomen Deiparæ *Tabernaculum Dei.*

Damasc. orat. 1. de Natiuit. B. M. Vtitur hoc nomine S. Damascenus, & vt sanctitatem Deiparæ attollat, præfert eam & Moysis & Abrahami taber-

tabernaculo. Cedat, inquit, illud Spiritus tabernaculum, quod Moyses in deserto ex pretiosa atque omnis generis materia constructit, atque etiam ante istud patris Abrahami tabernaculum, viuo & ratione prædito Dei tabernaculo.] Tabernaculis à scriptura Sacra celebratis Deipara præfertur.

Aduertendum verò qualibus tabernaculis vir sanctus Deiparam præferat. Sanctum fuit tabernaculum, quod Moyses primo anno egressionis Hebræorum ex Ægypto, in deserto extruxerat. Nam inprimis ipsemet Deus totius tabernaculi exemplar proposuerat, ideoque Moysen monebat: *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Huic monito addiderat & istud, vt ianua tabernaculi, vbicunque id erigeretur, ad orientalem plagam spectaret. Volebat enim Deus, vt sol in ortu suo radios explicans, tabernaculum & ostium eius tanquam rem sacram & omni veneratione dignam, quodammodo adoraret. Theodoreti est ista obseruatio. A parte, inquit, orientis ostium construi præcepit, vt sol oriens, quasi modò quodam adorans vestibulum tabernaculi, radios suos illic confestim emitteret.] Idem tabernaculum ad hoc destinauerat Deus, vt in eo solo sacrificia sibi offerrentur, vsque eò dum templum à Salomone Hierosolymis strueretur. Quocirca lex lata fuit, vt omnis, qui extra tabernaculum immolaret, capitis condemnaretur. Ad ostium eiusdem tabernaculi Deus cum Moyse per columnam loquebatur, iuxta illud testimonium: *Descendebat columna nubis, & stabat ad ostium, loquebaturq; cum Moyse.* Illud etiam, quanti momenti fuit ad nobilitandum tabernaculum, quod sic vltimum caput Exodi refert: *Postquam omnia perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud. Nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & maiestate Domini coruscante.* Ad summam, ne pluribus agam, tanta

Exodi 25. ℣. 40. & cap. 26. ℣. 30. 27. ℣. 13.

Theodoret. q. 60. in Exod.

Deuter. 12. ℣. 5. & 6.

Leuit. 17. ℣. 4.

Exodi 33. ℣. 9.

Exodi 40. ℣. 32. & 33.

tantâ sanctitate præditum fuit tabernaculum Moysis, vt per antonomasiam toties in sacra litera Sanctum vocetur, & affirmatè diuinus Psaltes dixerit: *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.*

Psalm. 19. ℣. 3. & 21. ℣. 4. 76. ℣. 14. 45. ℣. 5.

Sed neque Abrahami tabernaculo sua sanctitas defuit, ad cuius ostium Deus ipse diuersatus est, & conuiuio ab Abraham exceptus fuit. Tres enim viros, qui Abrahamo apparuerant, fuisse tres personas diuinas affirmat Eusebius, Antonius Fernandius, & aliquot alij, quos iuuant verba illa sancti Augustini, vel, vt plerique censent, sancti Ambrosij: Ingreditur lucum arborís Abraham, sub qua construitur qualecunque suffugium, angustum quidem homini, sed sufficiens maiestati. Dignum tamen Deo palatium fides deuota pingebat, in quo fuisset maiestas superna pransura. Et paulò post: Abraham tribus occurrit, & vnum adorat. Trina vnitas, & vna trinitas.

Euseb. lib. de demonstr. Euang. c. 5. & l. 5. cap. 18.

In append. Tom. 10. op. S. Aug. serm. 37.

Atqui ad nobilitandum Abrahami tabernaculum, & sanctitatem eius demonstrandam sufficit, si dicatur illos tres viros fuisse Angelos: siquidem tam Moyses quàm D. Paulus Angelos eos appellat. Est etiam sancti Dionysij doctrina constans, & Scholasticis Theologis probata, omnes diuinas visiones, apparitiones, & reuelationes, quæ ante Christi aduentum, siue in lege, siue ante legem erant, non esse immediatè à Deo factas, sed operâ & ministerio Angelorum peractas. Fortè etiam illi Angeli, non qualescunque, sed ex aliquo sublimiori ordine assumpti erant. Certè Hebræi, testibus Lyrano & Abulense, asserunt, Angelum qui medius incedebat, fuisse Michaëlem; à dextris eius Gabrielem; à sinistris, Raphaëlem. Sed neque istâ, quæ fundamento caret, assertione, & vanâ diuinatione opus est, cùm satis sit scire fuisse Angelos, Deum & Sanctissimam Trinitatem repræsentantes, eiusque legatos, quorum ille medius,

Genes. 19. ℣. 1. Hebr. 13. ℣. 2. Dionys. lib de cælesti Hier. cap. 4.

Lyran. & Abul. in 18. Genes.

medius, quia ferè solus, & in persona Dei loquebatur, ideò illum Abraham nomine Iehouah compellabat.

His ergo tam sanctis, & tam Deo acceptis tabernaculis, viuum & ratione præditum tabernaculum, Beatissimam Virginem sanctus Damascenus præfert: præferendo autem sanctitatem illorum, præ sanctitate huius, nullam fuisse docet. Vt proinde de hac potiùs quàm de tabernaculo Moysis conueniat illa verba Dauidis vsurpare; *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.* *Damasc. loco cit.* *Psalm. 45. ℣. 5.*

Et verò aptè altitudo Dei commemoratur, vbi de sanctificatione Beatissimæ Genitricis agitur. Contulit enim illi Deus sublimem sanctitatem, qualem par fuit conferri ab eo, cuius quintuplicem altitudinem scilicet substantiæ, scientiæ, potestatis, dominationis, habitationis, sacræ literæ meritò deprædicant. Quam enim substantiam non excedit diuina, cuius perfectio omnium rerum perfectionem infinitè supereminet, & quidquid boni in omnibus rebus inuenitur, id vna Dei natura cum infinita quadam eminentia continet? Quâ scientiâ non est excelsior diuina, quæ non hominum tantum, sed etiam Angelorum scientiæ ita antecellit, vt celsitatem eius nullus intellectus comprehendere queat, cogaturque admiratione plenus, cum Propheta Ieremia exclamare: *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu*: item cum sancto Paulo; *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* Quam potestatem non transcendit diuina, de qua Nabuchodonosor Rex dixit: *Potestas eius potestas sempiterna. Iuxta voluntatem enim suam facit, tam in virtutibus cæli, quàm in habitatoribus terræ: & non est, qui resistat manui eius, & dicat ei: Quare fecisti?* Quam dominationem non superat diuina, quæ nullis circumscribitur terminis, ideoque sanctus Rex Dauid alloquens Deum aiebat: *Dominatio tua in omni generatione & generationem.* Insuper quæ habitatio non inferior diuinâ, supremo

Dei quintuplex altitudo.

Ierem. 32. ℣. 19. *Roman. 11. ℣. 33.* *Daniel 4. ℣. 31. & ℣. 32.* *Psalm. 144. ℣. 13.*

supremo scilicet cælo, quod communiter empyreum vocatur, & quod intellexit Rex nominatus cùm scripsit: *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat?* Vide, si placet, de hac quintuplici altitudine Dei, Benedictum Pererium.

Psal. 112. ℣. 5.

Perer. in 15. Exod. disp. 3. Num. 22.

Multùm similia horum, quæ nunc attuli, adinuenit Franciscus Labata, ponderans illa eadem verba: *Sanctificauit tabernaculũ suum altissimus.* Ait enim benè coniungi sanctificationem castissimæ Virginis cum altitudine Dei, eò quòd sanctificata sit, eo sanctificandi modo, qui altissimus est, & in quo simul altissimus esse Deus agnoscitur. Nempe altus modus sanctificandi est, quando Deus homines in peccato originali natos sanctificat: & hoc modo est etiam Deus altus, quia ad huiusmodi sanctificationem requiritur, vt Deus altitudine potestatis suæ vtatur. Non latebat hoc sanctum Iob, qui Deum alloquebatur: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? Altior modus sanctificandi est, Deus etiam tunc altior esse videtur, cùm aliquis in materno vtero, antequam ex eo in lucem prodeat, sanctificatur, & à peccato, in quo conceptus est, liber redditur. Sic sanctificatus est S. Ioannes Baptista, ideoque à S. Gregorio Magno, antequam nasceretur, renatus dicitur. Idem priuilegium quòd Ieremias Propheta habuerit, vix dubitari potest; cùm tot Patres id asserant, & pro sua sententia illa verba Dei afferant: *Priusquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua, sanctificaui te.* Verbum enim Sanctificaui, in propria significatione accipiunt hi Patres, vt idem sit, Sanctificaui te, quod, gratia sanctificante donaui te. Iam verò altissimus sanctificandi modus est, in quo etiam Deus altissimus agnoscitur, ita in ipso conceptionis momento, à peccato originali per gratiam aliquem præseruare, vt nullum

Labata c. 2. appar. prop. 27. tit. Maria.

Altissimo sanctificandi modo sanctificata est Deipara.

Iob. 14. ℣. 4.

Greg. lib. 3. Mor. cap. 4.

Ierem. 1. ℣. 5.

sit

sit punctum, in quo anima sanctificante gratiâ caruerit. Atque hoc modo altissimo, vnicum & solum tabernaculum suum, id est, solam Beatissimam Virginem sanctificauit altissimus. Quod totum his paucis S. Bernardus perstrinxit: Cùm omnes in iniquitatibus concepti sint, neminem vnquam mortalium intra materna viscera sanctificatum legimus, præter Ieremiam, & Ioannem Baptistam. Quanquam & de singulari Virgine nulla sit ambiguitas, quin ipsa maternis circumsepta visceribus, sublimiori sanctificationis genere mundata sit: vtpote sanctuarium illud, in quo Deus & Dei Filius carnem fuerat susceperturus.] *Bernard. serm. de Priuileg. B. Ioan. Bapt.*

Relinquo alia Deiparæ nomina, quæ legi possunt apud Franciscum Suarez & Gregorium de Valentia, ex quibus etiam illi, sanctitatem eius ab omni peccato liberam colligunt, & quid de eadem sacræ literæ, Sanctiq; Patres his nominibus vtendo senserint, benè ostendunt. Quamuis enim, vt annotauit Suarez, sensus mysticus & spiritualis, non omnino firma, ad probandum aliquid, argumenta suppeditet: supposito tamen sensu & explicatione Ecclesiæ, multùm confert. *Suarez. Tom. 2. in 3. p. D. Thom. disp. 3. sect. 5. Valentia. Tom. 4. disp. 2. Q. 1. punct. 2.*

Quapropter habet Virgo Beatissima, cur sibi tantam sanctitatem gratuletur, & in auctorem eius Deum omnes laudes congerens, illorum verborum, quibus vsa est memoranda Iudith Holofernis victrix, similia proferat: *Viuit autem ipse Dominus, quoniam custodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem, & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari.* Verissimè enim non permisit Deus, vt sua mater aliquo peccato inquinaretur, & cùm concepta, post etiam nata in hunc mundum veniret; & cùm in eo per tot annos vitam mortalem ageret: & cùm ex eo per mortem ad cælestem beatitudinem se transferret.] *Iudith 13. ℣. 20.*

Cùm

Quilibet sanctus dignus, cui ob suam sanctitatem gratulatio fiat.
Aug. l. de Spirit. & lit. cap. 2.
Anselm. l. de concept. Virg. c. 18.
Synod. 6. cap. 32.

Cùm autem quisque ob suam sanctitatem dignus sit, cui gratulatio ab alijs etiam fiat, sancti Augustini iudicio: quidni & nos eam sanctitatem, qua, vt sanctus Anselmus dixit, maior sub Deo nequit intelligi, Deiparæ gratulemur, & primùm quidem cum sancti Iacobi Apostoli Liturgia, quam sexta Synodus veneratur, dicamus: Dignum est, vt te, Virgo purissima, verè Beatam dicamus, & omnibus modis irreprehensam, honorabiliorem quàm Cherubim, & glorioſiorem quàm Seraphim; Tibi, ô plena gratia, vniuersa creatura gratulatur, quæ es templum sanctificatum, Paradisus spiritualis, Virginum gloria, ex qua Deus carnem assumpsit. Dein-

Idiota contempl. de B. Maria V. c. 2.

de verò cum docto Idiota: Tota pulchra es, ô plusquam glorioſa Virgo Maria, tota pulchra es, & macula non est in te. Tota pulchra es in anima, per virtutum & charismatum omnium perfectam pulchritudinem. Tota pulchra es in tuâ conceptione, ad hoc solùm effecta, vt templum esses Dei altissimi. Tota pulchra es ex generatione Verbi diuini, qui est splendor paternæ gloriæ. Tuæ glorioſæ animæ nihil vnquam adfuit turpitudinis, vitij aut peccati: & nihil defuit spiritualis pulchritudinis, gratiæ, ac virtutis Tot enim habuisti pulchritudines, quot virtutes; & singulas in altiori gradu, quàm concessum fuerit, post tuum Filium superbenedictum, puræ creaturæ. In his enim similem non habuisti, nec es habitura sequentem.

CAPVT QVINTVM.

Virgo Deipara est verè & propriè Mater Dei & hominis Christi.

VIrginem sanctissimam esse veram Christi Domini matrem, negat, qui aperuit os suum in blasphemias

ad

ad Deum: blaſphemare nomen eius, & tabernaculum eius: & eos, qui in cælis habitant. Antichriſtum his verbis ſanctus Ioannes depinxit, cuius portentoſa impietas eò progredietur, vt laxatis blaſphemiæ habenis, & ipſum Deum, & Eccleſiam eius in terra militantem, & cælites in æterna beatitudine triumphantes, furioſè oppugnet. Eiſdem verbis funeſta humani generis monſtra Hæreticos, ſanctus Euangeliſta deſcripſit, qui vt ſe fidos Antichriſti prodromos & imitatores eſſe oſtendant, nullam & ipſi Sanctiſſimæ Trinitatis perſonam ore rabido non proſcindunt: nullas machinas ad conuellendam Chriſti Eccleſiam in petra firmiſſima fundatam, non adhibent: & cùm Sanctos omnes in cælo regnantes hoſtiliter perſequantur, tum præcipuè in ſanctiſſimam Virginem, illud, inquam, auguſtum & omni veneratione digniſsimum tabernaculum, in quo Dei filius nouem menſibus permanſit, impetu furibundo irruere non deſiſtunt. *Apocal. 13. ℣. 6.*

Aſſertio Catholica probatur.

Quod ergo ex horum Hæreticorum numero aliqui negant, hoc omnes Catholici conſtantiſsimè aſſerimus, beatiſsimam Virginem Mariam, Chriſti Domini veram & naturalem matrem eſſe. Antiqua eſt hæc aſſertio, quam etiam Propheta Iſaias illis verbis promulgauit: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Cùm enim Virginem concepturam & parituram filium prædixerit, vtiq; quòd vera mater futura eſſet, prædixit: quia hoc eſt veram matrem eſſe, verè filium concipere & verè parere. Quod autem per Virginem intellexerit Iſaias Virginem Mariam, per Emmanuelem verò Chriſtum Dominum, dubitare non ſinit caput primum S. Matthæi, in quo poſtquam Angelus Ioſepho, de Maria dixiſſet: *Pariet autem filium; & vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum*: mox ſanctus Euangeliſta ſubiunxit: *Hoc* *Iſaiæ 7. ℣. 14.* *Matth. 1. ℣. 21. & 22. 23.*

v. 22. *autem totum factum est, vt adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in vtero habebit & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel: quod est interpretatum, Nobiscum Deus.*

Si pauliſper hîc ſubſiſtere liceret, vtiliter notaretur, quod paſsim huius loci explanatores notant, ita Iſaiam prædixiſſe, quòd Virgo Deipara futura eſſet vera mater Chriſti, vt ſimul docuerit, quòd facta mater virginitatem ſuam non eſſet amiſſura. Hanc enim ille orthodoxam veritatem vocabulo Virginis inculcatam eſſe voluit. Nec dicant Iudæi, nihil hîc à nobis pro Virginitate Mariæ haberi poſſe, cum in textu Hebraico, loco virginis ſit vox HAGHALMACH, quæ ſignificat adoleſcentulam tam virginem quàm corruptam. Pridem hoc commentum ſanctus Irenæus reiecit: Non vera eſt, inquit, quorundam interpretatio, qui ita audent interpretari ſcripturam: Ecce adoleſcentula in ventre habebit & pariet filium, quemadmodum & Theodotion Epheſius eſt interpretatus, & Aquila Ponticus, vtrique Iudæi proſelyti, quos ſectati Ebionei, ex Ioſeph Chriſtum generatum dicunt.] Quid quòd eidem commento occurſum ſit per Septuaginta interpretes, quos Iudæi ſuos Rabbinos fuiſſe, & vtramque linguam, Hebraicam & Græcam perfectiſsimè calluiſſe, item ſingulari ſapientia & eruditione palmam alijs præripuiſſe, negare non poſſunt. Hi enim cum annis circiter trecentis & quinquaginta, vt non pauci auctores numerant, Chriſtum anteceſsiſſent, verba Hebraica Iſaiæ ita verterunt ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται: Certè vox παρθένος aliam ſignificare non poteſt, niſi cuius ſit planè integra virginitas. Oppugnatur idem commentum ab ipſa notione vocabuli GHALMACH, deſcendentis à verbo GHALAM, quod eſt latere, abſcondere, occultare, ideoque ſignificantis virginem, & quidem cum ἐπιτάσει Virginem abſcondi-

Irenæus lib. 3. aduerſus Hæreſ. c. 24.

tam & secretam, inquit S. Hieronymus, quæ nunquam virorum patuerit aspectibus, sed magna parentum diligentiâ custodita sit. Sensо & iudicio sancti Hieronymi subscribit Galatinus vocum Hebraicarum scientissimus, & non pauca addit, quæ ad confutandos Iudæos magnam vim habent. *Hieron. in 7. Isaiæ.* *Galat. l. 7. de arcanis Cathol. Veritat. cap. 15.*

His ita obiter delibatis, ad institutum redeo, & quòd beatissima Virgo, vera mater Christi fuerit, pro altero ex antiqua lege testimonio illud Canticorum vsurpo: *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* In quibus verbis per filias Sion intelliguntur animæ Christianæ, seu Christi & Ecclesiæ eius filij. Mons enim Sion, ad cuius radices sita fuit Hierusalem, figura Ecclesiæ erat, vt communiter antiqui Patres, præcipue Origenes, Chrysostomus, Cyrillus docent. Nam sicut in monte & arce Sion gazam suam regiam, & thesauros suos Rex Dauid repositos habuit: ita Christus in Ecclesia sua verbum diuinum, sacramenta, Sacrificium, Spiritus sancti charismata, & omnia ad obtinendam cælestem vitam necessaria instrumenta reposuit. Idem mons passim vocabatur sanctus, teste Dauid, cuius sunt illa: *Exaudiuit me de monte sancto suo.* &: *Magnus Dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius.* Quid verò sanctius Ecclesia quam Christus dilexit, & seipsum tradidit pro ea, (verba sunt S. Pauli) *vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ: vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata.* In eodem monte Sion sedem suam regiam fixerat Dauid. Fixit & suam in Ecclesia Christus, hancque intelligens, & in hac regnans dicit: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum eius.* Idem mons fuit à parte australi, Mons Sion Ecclesiæ figura. *Orig. Chrysost. Cyrillus.* *Psalm. 3. ℣. 5. & 47. ℣. 2.* *Ephes. 5. ℣. 25. 26. 27.* *Psalm. 2. ℣. 6.*

vrbem Ieruſalem forma ſemicirculi ambiens. Eccleſia ſimiliter eſt ad Auſtrum, vt eam in ſpecie ciuitatis oſtenſam ſibi Propheta Ezechiel vidit: *Dimiſit me* (inquit) *ſuper montem excelſum nimis: ſuper quem erat quaſi ædificium ciuitatis vergentis ad Auſtrum.* Nempe Auſter, doctore ſancto Gregorio & Ruperto, Spiritum ſanctum, â quo gubernatur Eccleſia, denotat, ſicut Aquilo Diabolum: Quia & ille inquit Gregorius, relaxat in *calore; & iſte conſtringit in frigore.* Confirmat hoc poſterius, ſubdens: Et veritas dicit: *Quoniam abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Propheta quoque de Iudæa aſſerit, dicens: *Sicut frigidam fecit ciſterna aquam ſuam: ſic frigidam fecit malitiam ſuam.* Maioris autem claritatis gratiâ, quomodo ad Auſtrum Chriſti Eccleſia ſit fundata; addit idem ſanctus Gregorius: Quia electorum Eccleſia cogitationes ſuas in afflatu ſancti Spiritus aperit, atque ab omni ſuperbiæ ſuæ vertice diſcedens, in Deo, cui credit, amoris calorem concipit: vt nihil ei libeat, niſi eius gratiæ ſubmitti: eius dilectione calefieri: eius afflatus ſemper munere repleri.]

Ezech. 40. ℣. 2.

Grèg. l. 2. in Ezech. Hom. 13. Rupert. in eundem l. 2. c. 2.

Matth. 24. ℣. 12.

Ierem. 6. ℣. 7.

Præterea mons Sion fuit mons præparatus, vt eum Iſaias vocat, id eſt, benè firmatus, ſtabilitus, fixus. Hoc enim Prophetæ verbum Hebraicum NACHON, ſignificat, vt ex aliquot ſcripturæ ſacræ locis apparet. Eſt etiam Eccleſia benè firmata & ſtabilita, quam nulla vis creata labefactare & expugnare poſſit, ſecundum illud, quod Chriſtus dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi* (id eſt hæreſes, vt Epiphanius ſentit, vel perſecutiones variæ, vt Theophylactus) *non præualebunt aduerſus eam.* Multa & valdè iucunda de hac tanta Eccleſiæ Catholicæ ſtabilitate legi poſſunt apud Chryſoſtomum, Hieronymum, Gregorium, & alios Patres. Inſuper mons Sion fuit mons altus & omnibus conſpicuus, vt ipſa eius appellatio indicat.

Iſaiæ 2. ℣. 2.

3. Reg. 2. ℣. 12.

Pſal. 92. ℣. 2. & 50. ℣. 12.

Matth. 16. ℣. 18.

Epiphan. in Ancor.

Chryſoſt. in 2. Iſai. Hieron. in 12. Zacharia.

Greg. l. 9. Mor. c 7.

cat. Hæc enim vox auctoribus Hieronymo, Augustino, Cypriano, speculam seu speculationem sonat: quia scilicet ex illo monte veluti ex specula, etiam longè dissita videri poterant. Nonnè etiam alta & sublimis est Ecclesia, quam vt omnes videant, & ab Hæreticorum synagogis internoscant, non est opus magnum conatum adhibere, sed oculos sufficit aperire. Habet enim illustres notas, & euidentia signa, quæ illam conspicuam reddunt, & à falsa religione discernunt. Sic istam Ecclesiæ altitudinem contemplabatur sanctus Cyrillus Archiepiscopus Alexandrinus, qui simul aduertit, ideò etiam Ecclesiam esse excelsam, quia terreni (inquit) nihil sapit: at supra res terrenas est, & gloriam Dei, quatenus licet, animi oculis intuetur, & sublimibus admodum de Deo opinionibus gloriatur.]

Hieron. in 31. Ierem.
Aug. in Psalm. 98.
Cyprian. in lib. de Sina & Sion.
Cyril. Alexand. in Isaia l. 1. c. 2.

Porrò per Salomonem intelligendus est Christus Dominus, quem ille adumbrauit, cum multis rebus, tum etiam tribus suis nominibus, quæ S. Hieronymus recenset, Christoque accommodat. Primum est Salomon, id est Pacificus. Cuius nominis originem ipse Deus indicauerat, illis ad Dauidem verbis: *Filius, qui nascetur tibi, erit vir quietissimus: faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum, & ob hanc causam Pacificus vocabitur: & pacem & otium dabo in Israël cunctis diebus eius.* Secundum Iedidiach, vel vt habet S. Hieronymus Idida, id est Dilectus Domini, vel Amabilis Domino. Hanc huius nominis interpretationem tradit sacra Scriptura: *Misit dominus* (inquit) *in manu Nathan Prophetæ, & vocauit nomen eius, Amabilis Domino, eò quòd diligeret eum Dominus.* Vbi in textu Hebraico, pro Amabilis Domino, est Iedidiach. Tertium Coheleth, quod etiam præfixum sibi habet liber Ecclesiastes dictus: qui ab Hebræis Coheleth appellatur. Ex quo apparet idem esse Hebraicum Coheleth, quod Græcum Ecclesiastes, ἐκκλησιαστὴς

Christus per Salomonem adumbratus.
Hieron. in c. 1. Ecclesiast.
1. Paral. 22. ℣. 9.
2. Reg. c. 12. ℣. 25.

Hieron. loco cit. ἐκκλησιαστὴς autem (inquit S. Hieronymus) Græco sermone appellatur, qui coetum, id est Ecclesiam congregat, quem nos nuncupare possumus Concionatorem: eò quod loquatur ad populum, & sermo eius non specialiter ad vnum, sed ad vniuersos generaliter dirigatur.] Dictus ergo fuit Salomon Coheleth, forte ideò, quòd diebus festis populum suum feriatum conuocare, & doctrinas illi vtiles proponere solitus fuerit.

Tria Salomonis nomina Christo accommodantur.

Atque hæc tria Salomonis nomina Christo Domino potissimùm conuenire, quis inficiari audeat? Ille enim verissimè fuit Salomon siue Pacificus, qui est *Princeps pacis* & *Pax nostra*, vt ab Isaia Propheta, & à S. Paulo vocatur. Ipse eius primus de cælo in terram aduentus satis testabatur, quòd mundum non bellis turbaturus, sed pace & quiete recreaturus esset. Carolus VI. Franciæ Rex adhuc iuuenis, cum Meldas venisset, primum quod in illa vrbe inuisit, & diu multumque lustrauit, fuit omni bellica suppellectili instructum armamentarium. Quod quidem factum, tristis ominis loco, vrbis incolæ habuerunt. Diuinabant enim fore, vt suus Princeps, vbi inauguraretur, bella adamaret, & magna calamitate, quæ cum illis nectitur, regnum totum affligeret. Diuinationi respondit euentus. Nam, vt ait Balthasar Chauassius, vix sub alio Rege maiores vel etiam pares procellas sensit Gallia, ob continua penè bella & dissidia cum Anglis & Belgis. Num quidpiam tale, cùm Christus in mundum venisset, obseruare potuit humanum genus, & timere, ne ille foret, qui armis & castris aliquid tentaturus esset? Nonné potiùs omnia ostendebantur ad spem pacis, cùm non ad aliquod armamentarium, sed ad stabulum & ad quieta animalia, optatissimæ libertatis vindex diuertisset? Sanè meritò tunc, illo festiuo & pacifico acroamate personabat aër: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Isaiæ 9. ℣. 6. Ephes. 2. ℣. 14.

Balth. Chauass. l. 2. de pers. prudentia cap. 8. ex Bellef. in Carolo. 6.

Lucæ 2. ℣. 14.

tatis. Cum primordijs viuendi tota eius reliqua concordabat vita: vt nihil aliud & in dictis & in factis suis spectasse videatur Christus, quàm ne pax desit, quâ & inter se homines, & inprimis cum Deo vniri debent.]

Fuit etiam Christus Iedidiach siue Dilectus Domini. Ipse Pater æternus id diuulgauit, cùm dixit: *Hic est filius meus Dilectus, in quo mihi benè complacui.* Quidni autem sit dilectus, in quo reperiuntur omnia, quæ dilectionem promerentur? Attingit aliqua planè Theologicè S. Damascenus, cùm Deum Patrem adducta verba sic vlteriùs prosequentem inducit: Hic est filius meus dilectus, seculis omnibus antiquior, solus ex solo, vnigenitus, sine tempore & sempiternè ex me Patre progressus, quique & ex me, & in me, & mecum, & semper est, nec existentiæ ratione me posterior: ex me inquam, vt ex paternâ causâ, atque ex meâ substantiâ genitus; vnde etiam mihi consubstantialis est. In me, quia sine vlla separatione atque excessu genitus. Mecum denique, vt qui per se perfecta persona sit, ac non sermo, qui ore proferatur, atque in aërem dilabatur: ob idque in eo acquiesco, ac mihi benè complaceo.]

Matth. 17. ℣. 5.

Damasc. in orat. de transfiguratione Domini.

Denique fuit Christus Coheleth, seu Concionator, vtpote ad euangelizandum pauperibus missus, & in hoc, vt testimonium perhiberet veritati, natus. Et statim quidem, vt ex vtero Virginis sanctissimæ prodijt, hoc munus fideliter obire cœpit. Quo autem modo cœpit? Memini legere, quosdam pueros vix natos nonnulla locutos esse. Missis alijs, grauis auctor Martinus Cromerus Episcopus Varmiensis, libro quarto de rebus gestis Polonorum refert, quòd sub Boleslao Pudico in territorio Cracouiensi natus fuerit puer, qui ipso natali suo die, distinctè & articulatè loquebatur: donec sacro baptismate ablutus vsum sermonis amitteret. Ibidem memorat alterum Cracouiæ natum, qui cùm tantùm

Luc. 4. ℣. 18. Ioan. 18. ℣. 38.

Cromerus lib. 9. de rebus Polonorum.

semestris

semestris esset, prædixerit, quòd venturi essent Scythæ, & in Polonis magnam stragem, qua etiam ipse inuoluendus esset, edituri. Rogatus, quî id sciret? Deo reuelante id se didicisse aiebat. Et reuera tàm scientiam futuræ cladis, quæ post duodecim annos euenerat, quàm loquendi facultatem, isti puero à Deo concessam fuisse, patuit.

Num ergo ad eundem modum accelerauit Christus, vt non seruata infantilis ætatis lege, loqueretur? Minimè id assero. Silebat æterni Patris Verbum caro factum, quandiu per ætatem non decuit loqui: sed clamabat exemplo, vt S. Bernardus scripsit, cuius est illud de infante Christo: Iam clamat exemplo, quod postmodum prædicaturus est verbo: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*, item illud: Nec dum loquitur lingua, & quæcunque de eo sunt, clamant, prædicant, euangelizant. Ipsa quoq; infantilia membra non silent. In omnibus mundi iudicium arguitur, subuertitur, confutatur.] Quantus verò postea Ecclesiastes fuit, cùm firmata ætate mundum doctrinâ imbueret, illosque sermones institueret, quos audientes dicebant: Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo.

Bernard. serm. 1. in Natiuit. Christi.

Matth. 11. ℣. 29.

Ioan. 7. ℣. 46.

Christi diadema, est natura eius humana.

Jam verò diadema seu corona (sint nobis hæc interim synonima) significat naturam humanam, quam Dei Filius assumpsit. Sicut enim diadema Regium solet esse pretiosum: ita pretiosa est in Christo natura humana, de qua S. Thomas non dubitauit asserere, quòd possit dici deificata, non quidem per conuersionem ipsius in diuinam naturam, sed per coniunctionem ad diuinam naturam in vna hypostasi. Notum etiam est, quomodo idem S. Doctor infinitæ dignitatis rebus, quibus nihil melius & pretiosius esse possit, naturam humanam Deo vnitam annumeret. Humanitas (inquit) Christi, ex hoc, quòd est vnita Deo: & beatitudo creata,

S. Thom. in 3. p. q. 16. art. 3.

Tria sunt quâ habent quandam infinitam dignitatem

Idem 1. p. q. 25. art. 6. ad 4.

ex

ex hoc, quòd est fruitio Dei: & beata Virgo ex hoc, quòd est mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito, quod est Deus: & ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis: sicut non potest aliquid melius esse Deo.]

Deinde diadema est insigne dignitatis regiæ, per cuius impositionem reges inaugurari solent. Atqui similiter humanitas est regale diadema Christi, & per assumptionem eius, Christus Rex est. Vidit hoc mysterium S. Ioannes Euangelista, qui de Christo scripsit: *Et habet in vestimento & in femore suo scriptum: Rex regum & Dominus dominantium.* Per femur enim intelligi debet humanitas Christi, quam ante tot secula adumbrabant illi sancti Patriarchæ, quibus, vt testatur liber Geneſis admotâ manu femori, vsitatum fuit iurare: ita vt hoc modo iurantes iurarent per Christum, quem ex suis posteris nasciturum, & ex suo femore proditurum sciebant. In femore ergo seu humanitate Christi, scripturam Christum Regem esse denuntiantem, cùm sanctus Ioannes legeret, hoc legebat, quòd Christus titulo vnionis hypostaticæ Rex sit. Quòd autem eandem scripturam in Christi vestimento, eoque, vt ibidem narratur, sanguine aspersо, viderit, alterum titulum, quo Christus, vt homo, Rex est, nempe titulum Redemptionis, viderat. De quibus & aliquot alijs titulis actum etiam est in capite secundo prioris partis.

Per assumptionem naturæ humanæ Christus est rex.

Apocal. 19. ℣. 16.

Geneſ. 24. ℣. 2. & 27. ℣. 29.

Apocal. 19. ℣. 13. Est etiam Rex per passionem suam.

Sequitur, vt quænam sit mater, quæ Salomonem diademate coronauit, exponatur. Delirant Iudæi cùm aiunt hanc matrem Bethsabee fuisse, quæ capiti Salomonis magni pretij diadema imposuerit, quo die is Pharaonis Regis Ægypti filiam vxorem duxit. Hæc enim fabula, tam in sacris literis, quàm in probati alicuius auctoris monimentis, omni fundamento, quo nitatur, caret. Quantò verius & melius sancti Patres, Ambro-

Mater veri Salomonis est Virgo sanctissima.

Ambr. lib. de inst. Virg. cap. 16. Greg. in Cant. Bernard. serm. 2. in Epiphania.

fius, Gregorius, Bernardus, & nonnulli alij, per matrem Virginem sanctissimam debere intelligi docent? Hæc nimirum nouæ legis Salomonem Christum, diademate humanitatis eodem momento, quo illum conceperat, coronauit: quia illi ex suâ substantiâ, carnis substantiam præbuit. Iuuat S. Ambrosium eâ de re loquentem audire: Beatus, inquit, Mariæ vterus, qui tantùm Dominum coronauit, quando formauit. Coronauit eum, quando generauit. Et post pauca: Hoc ipso, quòd ad omnium salutem eum concepit & peperit, coronam capiti eius æternæ pietatis imposuit: vt per fidem credentium fieret omnis viri caput Christus.] Cùm autem dicitur eam coronationem peractam esse in die desponsationis, & in die lætitiæ cordis Christi, illud idem conceptionis momentum designatur. In illo enim Verbum diuinum cum humanitate sponsalia & nuptias celebrauit: in illo etiam summam lætitiam percepit: vtpote cuius tanta bonitas est, vt tunc maximè lætetur, cùm in homines aliqua beneficia confert. Confirmatur hoc totum illis S. Gregorij verbis: Mater Christi beata Maria esse creditur, quæ coronauit eum diademate: quia humanitatem nostram ex eâ ipsâ assumpsit, sicut in Euangelio recitatur. Et hoc in die desponsationis eius, & in die lætitiæ cordis eius factum esse dicitur: quia quando vnigenitus Filius Dei diuinitatem suam humanitati nostræ copulare voluit &c: tunc cum charitatis exultatione, carnem nostram ex matre Virgine suscipere voluit.]

Greg. in 3. c. Cant.

Sic explicatus illustris Canticorum locus dubitare nõ permittit, quòd beatissima Virgo sit vera mater Christi. Cùm enim ex sententia Sanctorum Patrum illa appelletur Mater, illa item verum Salomonem Christum coronasse, id est, de carne sua carnem illi dedisse dicatur: quis sanæ mentis illam Christi Domini veram esse matrem neget?

Multò

Multò autem minùs negabit, si noui testamenti paginas euoluerit, & quàm frequenter in Euangelijs, Virgo sanctissima vocetur mater Christi, aduerterit. Neque id conuelleț, qui dixerit, etiam Ioſephum appellari patrem Christi, cum tamen verus & naturalis pater eius non fuerit. Nam ideò, quòd Ioſeph vulgi tantùm opinione pater Christi esset, & secundùm eam nomen Patris obtineret, non neglexit S. Lucas id declarare, & de Christo illud scribere: *vt putabatur filius Ioſeph.* Quia verò beatissima Virgo re ipsa Christi mater fuit, nullus Euangelista his verbis quidquam simile scripsit. Deinde ita Ioſeph appellabatur Christi pater, vt tamen eum genuisse nunquam diceretur: atqui Virgo sanctissima, non solùm vocatur mater, sed etiam concepisse & peperisse Christum toties narratur. Quodsi interdum Christus beatissimam Virginem, matrem suam non fuisse, aliquibus verbis indicare videtur, qualia potissimum sunt illa: *Quid mihi & tibi est mulier?* ne praua aliqua opinio obrepat, recurrendum est ad Patres, & quomodo illi ea interpretentur, attendendum. Nam S. Augustinus docet, hoc tantùm illis exprimere voluisse Christum, quòd facere miracula, pertineat ad diuinam naturam, non autem ad humanam, quam ex Virgine sanctissimâ acceperat. Eandem interpretationem tradidit Beda, qui scripsit: Neque enim matrem suam inhonoraret, qui nos iubet honorare patrem & matrem: aut sibi esse matrem negaret, ex cuius carne virgineâ carnem susciperę non despexit, etiam Apostolo testante, qui ait: Qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem. Quomodo enim ex semine Dauid secundùm carnem, si non ex corpore Mariæ secundùm carnem, quæ ex semine Dauid descendit? Sed in eo, quod miraculum facturus, ait: Quid mihi & tibi est mulier? significat se diuinitatẽ, quâ miraculum erat patrandum, non temporaliter accepisse

Probatur tertiò ex nouo testamento.

Matth. 1. ℣. 18. & 42. ℣. 11. 13. 14. Luca 1. ℣. 43. & 2. ℣. 33. 34. & alibi.

Luca 2. ℣. 33. & 48.

Luca 3. ℣. 23.

Luca 2. ℣. 7.

Matth. 1. ℣. 25.

Ioan. 2. ℣. 4.

Augusti. tract. 8. in Ioan.

Beda in 2. Ioan.

Exodi 20. ℣. 12.

Roman. 1. ℣. 3.

de matre, sed per æternitatẽ semper habuisse de patre.]

Bis tantum mulier, octies autem mater Iesu Deipara vocatur.

Nihil ergo ex dignitate maternâ ademptum est Deiparæ prioribus Christi verbis, nihil & hoc posteriori vocabulo Mulier, quo illam, vt obseruauit Metaphrastes, bis tantùm in Euangelio appellatam inuenimus: octies autem, post partum, matrem Iesu vocatam legimus. Hoc enim vocabulo vsus est Christus, vt ostenderet Deum suis promissis stetisse, & mundo illam mulierem dedisse, quam promittebat, cum serpenti dicebat: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum.* Quocirca S. Bernardus meritò Adamum sic affatur: Redditur femina pro femina, prudens pro fatuâ, humilis pro superbâ: quæ pro ligno mortis, gustum tibi porrigat vitæ, & pro venenoso cibo illo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni. Muta ergo iniquæ excusationis verbum, in vocem gratiarum actionis, & dic: Domine, mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi: & dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso viuificasti me. Sunt qui dicant, huiusmodi appellatione Christum matri suæ primas detulisse, & quòd illa inter omnes mulieres principatum obtineat, ostendere voluisse: sicut etiam, quia ipse Christus omnib⁹ viris antecellit, ideò toties à Prophetis Vir appellatur. Fortè etiam, quod annotauit Tolet⁹, olim consuetudo fuit, vt filij postquam ad virilem ætatẽ peruenissent, matres suas mulieres vocarent.

Metaphrastes in orat. de vita & dorm. Deip.

Cur Deipara vocetur mulier.

Genes. 3. ℣. 15.

Bernard. Hom. super Missus est.

Isaiæ 53. ℣. 3. Ierem. 31. ℣. 22. Zachar. 6. ℣. 12.

Tolet. in 2. Ioan. annot. 7.

CAPVT SEXTVM.

Tanti filij mater munditiam corporis & animæ nullo peccato contaminatam habere debuit.

POEniteret me, quòd ad declarandum, Virginem sanctissimam esse verè & propriè matrem Christi,

tam

tam multa attulerim, ni scirem, meliùs sic & luculentiùs colligi, decuisse omnino, vt Deipara tenuissimi etiam peccati maculam non haberet. Quis enim sibi persuadeat futurum fuisse, vt ipsa puritas Dei filius, eam sibi matrem eligeret, & in vtero eius tot menses maneret, quam aliquo peccato contaminatam vidisset? Inter homines, quò quis ditior & nobilior, eò magis ad decentiã pertinere iudicat, vt mundè & splendidè habitet. Exemplo sit Dauid Rex, qui quamuis semper moderatus fuerit, domum tamen sibi fabricauerat Cedrinam. Sit etiam Rex Achab, qui pro se domum extruxerat eburneam. Vtrumque superauit Rex Salomon, cuius profusum luxum in parandis ædibus, quas vxor sua, Pharaonis filia incoleret, sacra regum historia sic refert: *Omnia lapidibus pretiosis (scilicet, constabant, vel plena erant) qui ad normam quandam atq; mensuram, tam intrinsecus quàm extrinsecus serrati erant à fundamento vsq; ad summitatẽ parietum, & extrinsecus vsq; ad atrium maius. Fundamenta autem de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis decem siue octo cubitorum. Et desuper lapides pretiosi æqualis mensuræ secti erant, similiter q; de cedro &c.* Ipsius Salomonis quanti splendoris & pretij domus fuerit, Sacra scriptura non narrat: sed maximi fuisse inde constat, quòd eam tredecim annis ædificârit Rex, qui & omnibus copijs circumfluebat, & in magnificentiâ vitæque cultu nulli regum cedere didicerat. Atqui longè ad maiorem decentiam pertinebat, vt maximus Regum Dei filius naturam humanam assumens, quàm mundissimè habitaret, & non alterius matris vterum pro domo haberet, quàm quæ sanctitate ab omni peccato libera splenderet, & pretiosissimis spiritus sancti donis apparatissima esset.

2. Reg. 7. ℣. 2.
3. Reg. 22. ℣. 39.
3. Reg. 7. ℣. 9. 10.
Ibid. ℣. 12.

Magis apparet hæc decentia, si consideretur primò, quàm ex casto & sancto Patris æterni vtero, hic filius prodierit. Meminit huius vteri ipse Pater, ita Fi-

Psalm. 109. ℣. 3. lium alloquens: *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Vbi per vterum intelligenda est Dei Patris essentia secreta & intima, vt Bellarminus, hæc verba explicans, inquit. Et quamuis vterus (vt idem addit) propriè ad matrem, non verò ad patrem pertineat: rectè tamen Deus Pater dicit se ex vtero filium genuisse: tum vt clariùs ostendatur filius consubstantialis genitori: (clariùs enim filius est ex substantia matris, quàm ex substantia patris) tum quia Deus non habuit opus vxore ad filium suum gignendum & pariendum. Ipse enim genuit, ipse peperit, ideoque per Isaiam dixit: *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam?*

Bellarm. ibid.

Isaiæ 66. ℣. 9.

Secundò. Quàm mundè semper is Filius ex cælesti Patre genitus, ab æterno habitârit. Quæri solet, vbinam habitauerit Deus, antequam cælum & terram condidisset? Cui quæstioni respondet Tertullianus: Ante omnia Deus erat solus ipse sibi, & mundus, & locus, & omnia.] Non dissimiliter, at clariùs S. Augustinus: In se, inquit, habitabat Deus, apud se habitabat, & apud se est Deus. Et verò mundissimam omnium trium diuinarum personarum habitationem ista respondet assignat. Quid enim mundius Deo, qui, vt loquitur S. Dionysius Areopagita, per excellentem cuncta excellentiam Sanctus sanctorum prædicatur? Sed pressiùs cum quæritur, vbi Filius Dei per omnem æternitatem habitauerit, respondet idem ipse Filius: *Ego in Patre, & Pater in me est.* Habitauit nimirum in æterno Patre, & etiamnum habitat, cum quo est eiusdem numero substantiæ, & semper fuit. Fusiùs id & enodatiùs tradit S. Thomas, vbi indagans: Vtrum Filius sit in Patre, & è conuerso? inter alia inquit. Cùm Filius sit sua essentia, sequitur, quòd sit in Patre, in quo est eius essentia. Is ergo perfectioris, quàm vt intellectu creato percipi possit, munditiæ habitator, decenterne in vtero matris aliquo peccato inquinatæ habitasset?] Ter-

Tertul. l. adu. Praxeam c. 5.

Augustin. in Psalm. 122.

Dionys. Areopag. lib. de Div. Nom. cap. 12.

Ioan. 14. ℣. 10.

S. Thom. 1. p. q. 42. art. 5.

Tertiò. Quàm mundum etiam domicilium eiusdem Filij per aliquot annorum millia fuerit cælum, postquam illud à Deo creatum stetit. Munditiam eius coniectura assequebatur S. Fulgentius Episcopus Ruspensis, cum splendorem & magnificentiam vrbis Romanæ intueretur, dicebatque: Quàm speciosa potest esse Ierusalem cælestis, si sic fulget Roma terrestris? Sed coniecturis non est opus, ad cognoscendum nitorem cæli, cùm satis clarè à S. Ioanne descriptum illum habeamus: *Ipsa verò, inquit, ciuitas aurum mundum, simile vitro mundo. Et fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata: Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas: & singulæ portæ erant ex singulis margaritis: & platea ciuitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum.* Ex tali igitur cælo propter nostram salutem descendenti Filio Dei, nunquid non debebatur vterus matris, quæ instar cæli tota aurum esset, & aurum quidem purissimum, à quo longè abesset illa Prophetæ querela: *Quomodo obscuratũ est aurum, mutatus est color optimus?* Aurum obscuratur (ait S. Gregorius) cum consequentibus iniquitatum tenebris, iustitiæ pulchritudo deseritur. Color optimus mutatur, cùm splendor innocentiæ in fœditatem vertitur culpæ.]

S. Fulg. apud Surium 1. Ioan. c. 13.

Apocal. 21. ℣. 18. 19. 21.

Thren. 4. ℣. 1.

Greg. l. 34. Moral. cap. 8.

Quartò. Tam pulchro Dei Filio, & speciosò forma præ filijs hominum, annon conueniebat mater, quæ & filio suo diceret: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus*: & vicissim filium dicentem audiret: *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es? Ego totus pulcher* (verba filij sic continuat Hugo Victorinus) & tu tota pulcha. Ego per naturam, & tu per gratiam. Ego totus pulcher; quia totum, quod pulchrum est, in me est. Tu tota pulchra; quia nihil, quod turpe est, in te est. Pulchra in corpore, pulchra in mente. In corpore pulchram te fecit integritas virginitatis: in mente pulchram exhibet virtus humilitatis. Tota ergo pulchra es, corpore niuea, mente sincera.]

Psalm. 44. ℣. 3.

Cant. 1. ℣. 3.

Cant. 4. ℣. 1.

Hugo Victor serm. de Assumpt.

Quin-

Quintò. Quàm indigna res & intoleranda videbatur Iudæ Machabæo, si in altari holocaustorum sacrificia offerrentur Deo, quod impio idolorum cultu à Gentibus contaminatum esse nouerat. Inde hoc patet, quòd illud altare diruerit, & impensæ potiùs, quàm religionis iacturam faciendam esse iudicans, nouum erexerit. Tanti & virtute bellicâ, & singulari erga Deum pietate vir inclytus, æstimauit ignem, qui in illo altari perpetuò arderet, & illa veteris legis sacrificia, quæ in eodem cremarentur, vt pro illis locum mundum, & nullâ idololatriâ maculatum curârit. Quanti æstimandus Dei filius, de quo simulque de alijs personis diuinis humano generi dixit Moyses: *Dominus Deus tuus ignis consumens est:* dixit autem, tum propterea (vt S. Gregorius sentit) quia per eum peccatorum rubigo consumitur: tum quia instar ignis omnia consumentis, in nihilum redigit omnes, qui eius innumera beneficia despicatui ducunt. S. Paulus id posterius sentire videtur, cùm postquam Hebræos monuisset: *Seruiamus placentes Deo cum metu & reuerentiâ*, mox addit: *Etenim Deus noster ignis consumens est.* Deinde quanti æstimandum illud primum sacrificium, quod Christus ipso suæ conceptionis momento peregit, cùm se Deo Patri pro peccatis hominum in cruce immolandum obtulit, vsurpans illud Psalmi: *Holocaustum & pro peccato non postulasti: tunc dixi: Ecce venio.* Equidem S. Paulus hoc sacrificium tanti facit, vt per illud nos esse sanctificatos dicat. Nullanè igitur indignitas fuisset, si tam diuino & igni & sacrificio, locus peccato aliquo inquinatus obtigisset?]

1. Machab. 4. ℣. 44.

Greg. Hom. 30. in Euang.

Hebr. 12. ℣. 28. & 29.

Psalm. 39. ℣. 8.

Hebr. 10. ℣. 10.

Sextò. Rex Salomon quàm mundum & nitidum templum Hierosolymis ædificauerat? De illo Sacra scriptura sic refert: *Oraculum operuit atq; vestiuit auro purissimo. Domum quoq; ante oraculum operuit auro purissimo, & affixit laminas clauis aureis. Nihilq; erat in templo, quod non*

3. Reg. 6. ℣. 20. 21. 22. 30.

auro

auro tegeretur: sed & totum altare oraculi texit auro. Sed & pauimentum domus texit auro intrinsecus & extrinsecus. Alio item loco: *Porrò aurum, inquit, erat probatissimum, de cuius laminis texit domum, & trabes eius, & postes, & parietes, & ostia. Fecit quoq; domum Sancti sanctorum: longitudinem iuxta latitudinem domus, cubitorum viginti: & latitudinem similiter viginti cubitorum, & laminis aureis texit eam, quasi talentis sexcentis. Sed & clauos fecit aureos, ita vt singuli claui siclos quinquagenos appenderent.* &c. Omitto eiusdem templi, immensi pretij ornamenta, vt candelabra aurea decem, mensas similiter aureas decem, phialarum & paterarum aurearum decem millia, thuribulorũ aureorum viginti millia, & alia plurima, quæ partim à sacrâ Scripturâ, partim à Iosepho recensentur. Neque verò hæc incredibilia videbuntur, si meminerimus, quantas templo struendo & ornando impensas reliquerit Dauid. De his ipsemet hoc testimonium dedit: *Ecce ego in paupertate mea præparaui impensas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: æris verò & ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine, &c.* Ad calculos qui hæc reducunt, nonnulli eorum in centum millibus Hebræorum talentorum auri, bis mille milliones, & præterea quadringentos milliones aureorum nummorum includi, aiunt. Ne quis autem tantas in illud templum impensas miraretur, rationem earum his verbis reddidit Dauid: *Opus namq; grande est, neq; enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* Itanè totum illud templum auro coruscare, & nihil, quod non esset mundissimum & splendidissimum continere debuit, quia in illo Deus habitaturus erat?]

2. Paral. 3. ℣. 7. 8. 9.

2. Paral. 4. ℣. 7. & 8. Ioseph. lib. 8. antiq. cap. 3.

1. Paral. 22. ℣. 14.

Vide Barrad. Tom. 2. lib. 3. cap. 12.

1. Paral. 29. ℣. 1.

Omnino hinc apertè colligitur, longè potiori iure Deiparam auro perfectissimæ sanctitatis debuisse fulgere, & nihil, quòd diuinis oculis displicere potuisset, admittere. Illa nempe opus erat grande. Quid

enim (inquit Diuus Petrus Damianus) grandius Virgi-
Damian. serm. 1. in natiuit. Deip. ne Mariâ, quæ magnitudinem summæ diuinitatis intra
sui ventris concluſit arcanum? Attende Seraphim,
& in illius ſuperioris naturæ ſuperuola dignitatem, &
videbis, quidquid maius eſt, minus eſſe Virgine, ſolum-
que opificem opus iſtud ſupergredi. Illa etiam electa
fuit, vt habitatio & templum Dei eſſet, quod S. Proclus
Proclus orat. in B. M. admirans exclamauit: O templum, in quo Deus ipſe
factus eſt Sacerdos, naturam non demutans, ſed eum,
qui eſt ſecundum ordinem Melchiſedech per miſericor-
diam induens. Quâ exclamatione duo is antiquiſſimus
Pater attigit, quibus Deipara templo Salomonis antecel-
lit. Primùm, quia cùm templum illud nonniſi Leui-
ticos ſacerdotes habuerit: Deipara Chriſtum ſacerdo-
tem ſecundum ordinem Melchiſedech, in vtero ſuo ge-
ſtauit. Quantùm verò hoc poſterius Sacerdotium
Leuitico præſtet, S. Paulus in epiſtolâ ad Hebræos co-
Ad Hebr. 7. piosè docet. Alterùm, quia templum Salomonis nul-
li vnquam ſacerdoti talem veſtem dedit, qualem Chri-
ſtus à ſua matre accepit. Accepit enim, vt ſupra etiam
traditum eſt, ex eius puriſſimo ſanguine, carnis ſuæ ſub-
ſtantiam: de quâ perinde ac de veſte S. Proclus loqui-
tur, dicens, quòd eam Chriſtus induerit. Simili locu-
tione vſus eſt S. Auguſtinus, vbi ait: Vnde ſordes ſcili-
Auguſt. lib. de quinque hæreſ. c. 5. cet peccati, in domo, id eſt Deiparâ, ad quam nullus
habitator acceſſit? Solus ad eam Dominus & fabrica-
tor eius venit: veſtem, quam non habebat, induit, eam-
que, ſicut inuenit, clauſam reliquit.]

Vide porrò obiter, ſi non meritò veſtis hæc, &
potentiæ, & miſericordiæ, & iuſtitiæ diuinæ poſsit vo-
cari veſtis. Iſtæ enim & aliæ plures, naturæ diuinæ pro-
prietates, quæ etiam attributa diuina appellantur, longè
magis reſplenduerunt, cùm Dei filius genus humanum

repa-

reparaturus carnem indueret, quàm cùm ex nihilo totam mundi molem conderet: quo tempore triplici veste amictum fuisse Deum Cabalistæ aiunt: veste scilicet summæ misericordiæ, & summæ iustitiæ, ac denique veste, quæ medias illas vtrasque miscet, temperatque. Et vt se explicent, addunt: Eorum enim, quæ à Deo sunt effecta, alia extremæ misericordiæ, alia rigidissimæ iustitiæ, denique alia simul vtriusque rationem præ se ferunt. Ita isti Rabbini in suo libro, quem Portam lucis inscribunt, vt Cosmas Magalianus refert.] *Cabal. lib. Portæ lucis.* *Magal. in 22. Io. sue sect. 2. Num. 20.*

Septimò. Noluit Deus, vt in Angelis, à quibus illi ministratur in cælo, etiam minimum peccatum inueniretur. Proinde quo momento illos creauit, eodem illis gratiam dedit. Ita communiter cum sancto Thomâ sentiunt Theologi, quibus præeunt aliquot Sancti Patres, præsertim Diuus Augustinus, qui scripsit: Nullo modo secundum aliquod temporis spatium, priùs erant illi spiritus tenebræ, quos Angelos dicimus: sed simul vt facti sunt, lux facti sunt.] Vbi cum per tenebras intelligatur peccatum, per lucem verò gratia, idem est dicere, Angelos nunquam tenebras, sed semper lucem fuisse, quod nunquam illos peccasse, sed semper gratiam Dei habuisse. Eiusdem Doctoris sunt hæc: Deus est, qui Angelos cum bonâ voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhærent, creauit, simul in eis & condens naturam, & largiens gratiam.] Qui tam mundos ministros habere voluit, quis credat, quòd is ex immundâ matre nasci voluisset? Quis credat, quòd conseruatis ab omni peccato Angelis, Reginam Angelorum & vniuersi mundi Dominam peccato aliquo inquinari permisisset? Verè enim (vt inquit S. Damascenus) Virgo sanctissima rerum omnium conditarum Domina facta est, cùm creatoris mater extitit. Quorum verborum similia sunt hæc S. Athanasij: Quando-

Angeli quo momento creati sunt, eodem gratiam Dei habuerunt. *S. Thomas. 1. par. q. 62. art. 3.* *August. lib. 11. de Ciuit. Dei c. 11.*

Damasc. lib. 4. de Fide cap. 15.

Athanas. in Euan. de sanctiss. Deip.

quidem ipse Rex est, qui natus est ex Virgine, idemque & Dominus & Deus: ea propter & mater, quæ eum genuit, & Regina, & Domina, & Deipara propriè & verè censetur. Tum conuersâ ad eam oratione subdit: Exaltamus te, magnâ & canorâ voce dicentes: Aue gratia plena, Dominus tecum: intercede hera, & domina, & Regina, & mater Dei pro nobis.] Commodè legeretur sanctus Anselmus, vbi matrem Dei dominam & Reginam Angelorum vocat, & quòd iure materno cælorum regnum, suum effecerit, affirmat: denique totam cælestem curiam esse Christi, totam item esse matris eius, asserit.

Anselm. lib de excellent. Mariæ c. 7.

Octauò. Quàm studiosè idem Deus ab altari suo amouerit omnes, qui aliquâ maculâ in corpore notati fuissent: item quàm valdè ab hostijs & victimis abhorruerit, quæ vitijs in antiquâ lege indicatis non omninò caruissent. Prius patet ex his verbis Dei: *Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius: si cæcus fuerit, si claudus, &c.* Posterius ex illis: *Qui obtulerit oblationem suam, vel vota soluens, vel sponte offerens, quidquid illud obtulerit in holocaustum Domini, vel offeratur per vos, masculus immaculatus erit, ex bobus & ouibus & ex capris: si maculam habuerit, non offeretis neq; erit acceptabile.* Tantopere horruit Deus naturales corporum maculas in hominibus & pecudibus ab eo tam longè dissitis: quomodo non horruisset peccati maculam in Animâ Virginis, quam, vt sibi esset mater, elegerat, & cum quâ tantam coniunctionem habuit, vt verissimè S. Augustinus, vel eius nomine alius scripserit: Caro Iesu, caro est Mariæ: & multò specialius, quàm Ioseph Iudæ, cæterorumque fratrum eius, quibus dicebat: *Frater enim & caro nostra est.*

Leuit. 21. ℣. 17. & 18.

Leuit. 22. ℣. 18. 19. 20.

Aug. lib. de assumptione Mariæ c. 5.

Genes 37. ℣. 27.

Anselm. de conceptu Virginali c. 18.

Obsigno totum hoc caput auctoritate S. Anselmi, qui his omnibus, quæ sunt allata, & alijs non paucis

benè

benè consideratis, talem sententiam tulit: Quamuis de mundissimâ Virgine Filius Dei verissimè conceptus sit, non tamen hoc eâ necessitate factum est, quasi de peccatrice parente, iusta proles rationabiliter generari per huiusmodi propagationem nequiret: sed quia decebat, vt illius hominis conceptio de matre purissimâ fieret. Nempe decens erat, vt eâ puritate, quâ maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam se ipsum diligebat, ita clarè disponebat: vt naturaliter esset vnus idemque communis Dei Patris & Virginis filius, & quam ipse filius substantialiter facere sibi Matrem eligebat, & de qua Spiritus sanctus volebat, & operaturus erat, vt conciperetur & nasceretur ille, de quo procedebat. Appono S. Thomam, *D. Thom. 3. part. q. 27. art. 4.* qui & nonnulla eorum, quæ sunt tradita breuiter attingit, & alia quædam à nobis omissa adiungit. Illos (inquit) quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat & disponit, vt ad id, ad quod eliguntur, inueniantur idonei, secundum illud Apostoli: *Idoneos nos fecit ministros noui testamenti.* *2. Cor. 3. ℣. 6.* Beata autem Virgo fuit electa diuinitùs, vt esset mater Dei: & ideò non est dubitandum, quin Deus per suam gratiam, eam ad hoc idoneam reddidit, *Luca. 1. ℣. 30. 31.* secundum quod ad eam Angelus dicit: *Inuenisti gratiam apud Deum: ecce concipies, &c.* Non autem fuisset idonea mater Dei, si peccasset aliquando: tum quia honor pa- *Prouerb. 17. ℣. 6.* rentum redundat in prolem, secundùm illud: *Gloria filiorum patres eorum*: vnde & per oppositum ignominia matris ad filium redundasset. Tum etiam, quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab eâ carnem *2. Cor. 6. ℣. 15.* accepit. Dicitur autem: *Quæ conuentio Christi ad Belial?* Tum etiam quia singulari modo Dei filius, qui est Dei sapientia, in ipsâ habitauit: non solùm in animâ, sed *Sapient. 1. ℣. 4.*

etiam in vtero. Dicitur autem: *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et ideò simpliciter fatendum est, quòd beata Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale: vt sic in eâ impleatur, quod dicitur:

Cant. 4. ℣. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

Hæc sanctus Thomas.

Pars

Pars Operis Tertia.

Duæ priores partes, Christum Dominum & Matrem eius castissimam, quasi cælestes quasdam vites ab omni vitio immunes fuisse, postquam breuiter ostenderunt: succedit Pars tertia, quæ itidem breuiter probat, omnes alios homines esse vites vitiosas, & infundendis peccatorũ sarmentis fœcundas.

CAPVT PRIMVM.

Christiani sunt vites: Ecclesia Christi est vinea.

OMnes Christianos, & non solos Apostolos (quamuis hos vel maximè) appellauit Christus palmites, cum dixit: *Ego sum vitis, vos palmites.* Quam appellationem illustrant eius & antecedentia & subsequentia verba. Nam inprimis sicut palmites nullum fructum afferentes vinitor resecat: ita Christianos nulla bona opera habentes, Deus Pater excidit. Excisio ista in hoc etiam consistit, quòd eos sæpe permittat De⁹ in hæreses labi, perquas à Christo vite, & ab ipsius Ecclesia *Isaæ. 15. ℣. 5.*

Christiani cur palmites vocentur.

cleſiâ ſeparentur; donec tandem igne æterno cruciandi Orco tradantur. Deinde, ſicut vinitor palmites fructiferos, vt ad maiores fructus idonei reddantur, diligenter purgat, noxia ipſis ſarmenta falce reſecando: ita Deus Chriſtianos probos, vt ad plura bona opera prouocentur, ſedulò purgat, multiplices ærumnas & tribulationes, quæ illos affligant, permitendo. Talem purgationem intellexit S. Gregorius: Palmes, inquit, infructuoſus tollitur: quia peccator funditus eradicatur. Palmes fructuoſus purgari dicitur, quia per diſciplinam reciditur, vt ad vberiorem gratiam perducatur. Sic enim ſpicarum grana tribulis attrita, ariſtis & paleis nudantur: ſic oliuæ prælo preſſæ in olei pinguedinem defluunt: ſic botri vinearum tunſi calcibus, in vinum liqueſcunt.]

Greg. l. 7. Regiſtr. Epiſt 32.

Præterea vt palmites aliquem producant fructum, neceſſariò debent adhærere viti: Chriſtiani etiam, vt aliqua opera cæleſti remuneratione digna proferant, neceſſe habent in Chriſto manere. Modum in eo manendi præſcribit Alcuinus, qui, vt eum citat S. Thomas, verba illa Chriſti: *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*, ſic explanat: Qui manet in me, credendo, obediendo, perſeuerando, & ego in eo, illuminando, ſubueniendo, perſeuerantiam donando, hic, & non alius, fert fructum multum.] Præſcribit & D. Cyrillus Alexandrinus: Voluntaria (inquit) eſt noſtra cum Chriſto conglutinatio, & charitate ac fide perficitur. Et fides quidem in animo noſtro conſiſtit, veram Dei cognitionem efficiens: charitas verò mandatum eius ſeruari facit. *Qui enim me diligit, is* (inquit Chriſtus) *mandata mea ſeruabit.* Qui ergo per fidem Chriſto ſolummodò coniunguntur, ſolâ illi confeſſione inhærentes, nec charitatis vimine ſe colligantes, palmites quidem ſunt, ſed non fructuoſi. *Nam fides abſq; operibus, mortua quædam res eſt.* Huiuſmodi autem palmites, agricolæ

Alcuinus in Cat.
S. Thom. ſuper. 15. Ioan.
Ioan 15 ℣. 5.
Cyril lib. 10. in Ioan. cap. 14.
Ioan. 14. ℣. 23.
Iac. 2. ℣. 26.

falx

falx seuerissimè amputat, & igni tradit. Hoc enim modo de infructuosis arboribus solet fieri. Excíduntur enim, ne terram frustra occupent, vt de ficu per parabolam dicitur. Voluit ergo, vt ipse arbitror, hac similitudine, quantum sit detrimentum eius animæ ostendere, quæ ab eo decisa est. Inutilis enim cùm sit, cùm nullum edat fructum probitatis, æternæ punitioni tradita, igne cruciabitur. Hæc D. Cyrillus. *Luca 13. ℣. 7.*

Christiani possent vocari vites.

Quamuis autem, vt vidimus, Christianos appellârit Saluator palmites, licebit tamen eosdem appellare vites: præsertim cum scriptura Sacra interdum gentem integram, nonnunquam certos aliquos homines, isto nomine donare soleat. Sint ergo Christiani vites in præstantissimâ vineâ consitæ, in Ecclesiâ videlicet Christi, quam & non solam Iudæorum synagogam, tum à Propheta Isaia, tum ab ipso Christo sub allegoria vineæ, bellissimè descriptam habemus. *Osee 10. ℣. 1. Iudic. 9. ℣. 12. Isaiæ. cap. 5. Matth. 21.*

Solet vinea tunc vel maximè & fructu vberrima, & specie ornatissima esse, cùm vitium eius sarmenta resecantur, & omnia, quibus sylvescebat, à vinitore industrio putantur. Sicque fit, vt artis vinitoriæ ignarus, ferrum, quod vitibus perniciem moliri putabat, vtilissimum illis fuisse agnoscat. Idem, quod de ferro, sentiendum de igne, quo etiam vineæ, ad tollendam earum sterilitatem, vtiliter purgantur. Allusio ad hunc ignem est in illis verbis de Ecclesiæ vineâ loquentis Dei: *Gradiar super eam, succendam eam pariter?* Prorsus simili modo, tunc Ecclesia efflorescere, & quoquouersum propagari, variarum item virtutum bonorumque operum fructus amplissimos præbere cœpit, quando in eam igni & ferro, omnique tormentorum genere truculenti tyranni sæuierunt. Qui hanc sæuitiam expertus erat, & qui simul commemoratam Ecclesiæ propagationem spectabat, S. Iustinus Philosophus & strenuus Christi *Isaiæ 27 ℣. 4.*

Ecclesia tunc efflorescit, cùm persecutionem patitur.

Iustinus Martyr in dial. cum Thrypb. Martyr, aptè ad præsentem Ecclesiæ cum vineâ comparationem scripsit: Quòd dum gladio percutimur, & in crucem agimur, & bestijs obijcimur, & vinculis, & igne, & tormentis alijs omnibus plectimur, & excruciamur, à professione nostrâ non discedamus, satis constat: & quantò magis eiusmodi quædam in nos expediuntur tormenta, tantò alij plures fideles, & veræ religionis per nomen Iesu fiunt cultores. Quemadmodum enim, si quis vitis excidat fructificantes partes, vt palmites, qui alios floridi & frugiferi protrudant ramos, illa proferat, facit: ita in nobis quoque accidit.]

Theodoret. l. 9. de affect. Grac. curat. Percommodè etiam B. Theodoretus eandem Ecclesiæ propagationem, & omnium tyrannorum ferro & igne sæuientium irritum conatum expressit. Illis (inquit) persimiles inuenti sunt, qui flammam quidem restinguere concupiscunt; oleum verò fatui instillantes, ardentiorem illam efficiunt. Etenim hi quoque, id est tyranni, contra pietatem bello susceptо, piæ veritatis robur manifestiùs declarârunt. Ac veluti quondam rubus ille, quem vidit Moyses, ardore ignis non est absumptus: ita nec Christianos impiorũ bellis petitos, tela hostilia consumpserunt. Quin potiùs sicut lignatoribus syluam cædentibus, multò plures pullulant propagines ab radicibus, quàm sint rami, qui inciduntur: ita nunc quoque pijs compluribus interfectis, multò plures quotidie ad doctrinam Euangelicam accedebant, cruorque ille cæsorum corporum, irrigatio quædam erat, nouis in Ecclesiâ emergentibus plantis.]

Exodi 3. ℣. 2.

Chrysost. in serm. de Pentecoste. Jucunda quoque sunt, quæ S. Chrysostomus de eadem propagatione tradidit. Quanti, inquit, impugnauerunt Ecclesiam, & nemo præualuit? Et impugnatores quidem taciturnitati & obliuioni dati sunt: Ecclesia autem quotidie virtutibus augmentatur. Vbi nunc Claudius, vbi Augustus, vbi Nero, vbi Tiberius? Nomina

mina sunt nuda: horum autem nemo, nec vlla horum mentio. Et quia Ecclesiam impugnauerunt, ideò & memoriam perdiderunt: Ecclesia autem clarior resplendet. Vbicunque ieris, ad Indos, ad Mauros, ad Britannos, ad Hispanos, vsque ad vltimum finem terrarum, inuenies: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*] Ioan. 1.

Quocirca tàm gloriosè de suis hostibus triumphanti Ecclesiæ, iustè victoriam gratulatur S. Ambrosius, eamque lætus salutat: Salue vinea tanto digna cruore. Te non vnius Nabuthæ sanguis, sed innumerabilium Prophetarum, & (quod est amplius) pretiosus cruor Domini consecrauit. Ille licet parata vitibus incendia proprio cruore restinxerit, temporalem tamen vineam defendebat: te verò in perpetuum multorum nobis Martyrum plantauit interitus. Te crux Apostolorum, æmula Dominicæ passionis, vsque in orbis totius terminos propagauit.] Ambr. l. 9. in Luc. cap. 20. Pulchra Ecclesiæ salutatio. 1. Reg. 21.

Solet etiam vinea habere certa quædam animalia valdè sibi noxia: præsertim verò vulpes, quæ circa vites fodicando terram, radices earum denudant: palmites dente venenato arrodunt: pampinos, ne vuæ à solis ardoribꝰ defendantur, disperdunt; insuper ipsos botros vbi maturuerint, abliguriunt. Quàm multùm etiam Ecclesiæ nocent vulpes illæ, quarum meminit S. Ignatius Martyr? Si quis, inquit, graditur iuxta aliena præscripta, hic non est Christi, nec particeps passionis Christi, sed est vulpes & corruptor vineæ Christi.] Meminit quoq; Origenes, qui scripsit: Vulpes peruersos Doctores Hæreticorum dogmatum possumus intelligere, qui per argumentorum calliditatem seducunt corda innocentium, & vineam Domini exterminant, ne floreat in fide rectâ.] Vulpes ergo sunt Hæretici, quos ibidem Origenes meritò confert cum illis trecentis vulpibus, quarum caudas cùm Ignatius M. in Ep. ad Philadelph. Origen. Hom. 4. in Cant. Vulpes noxiæ Ecclesiæ sunt Hæretici.

Iudic. 15. ℣. 4. & 5. Samſon colligaſſet, & ardentes faces adſtrinxiſſet, omnes in Philiſtinorum agros immiſit, & fruges eorum, vineas quoque & oliueta combuſsit. Nam ſimiliter Hæretici, quamuis & à ſeipſis, & à primis ſuorum errorum auctoribus diſſentiant, facilè tamen nocendi ſtudio colligati in Eccleſiam irruunt, & peruerſorum dogmatum flammâ, non parum detrimenti Catholicis inferunt. Ibidem & eoſdem Hæreticos confert Origenes cum vulpibus, de quibus Tobias Ammanites dicebat, quòd ſaltu ſuperaturæ eſſent muros, quos Iudæi erigebant. Nempe in hoc laborant Hæretici, vt cuncta ſalutis noſtræ præſidia per ludibrium eleuent, ſi illa penitus diſturbare nequeant. Origenem imitantur S. Ambroſius & S. Auguſtinus, qui itidem omnes à fide Catholica alienos vulpibus comparant, & complures proprietates, in quibus conueniunt, enumerando, vnà cum Origene præfectis Eccleſiæ, hanc Spiritus ſancti adhortationem accommodant: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea noſtra floruit.* Datur, inquit Origenes, præceptum Doctoribus Catholicis, vt dum adhuc puſillæ ſunt iſtæ vulpes, & nondum plures animas deceperunt, ſed initium habet praua doctrina, arguere hos & refrenare feſtinent, & verbo veritatis contradicentes reuincere, & capere hos aſſertionibus veris. Si enim permanſerint in principijs, & indulſerint, ſermo eorum ſicut cancer ſerpit, & fiet inſanabilis: vt multi inueniantur, qui decepti ab eis pugnare iam pro ipſis incipiant, & defendere ſuſcepti erroris auctores. Hæc Origenes.

2. Eſdræ c. 4. ℣. 3.

Ambr. in 10. Luc. Auguſt. in Pſal. 80.

Cant. 2. ℣. 15.

Origen. loco cit.

2. ad Timoth. 2. ℣. 17.

Antiqui Poloni Hæreticis inimiciſſimi.

Cromer. lib. 3. in Mieciſlao.

Non ſurdis auribus excipiebant hæc noſtrates antiqui Poloni, quibus ante ſeptingentos propè annos, dominante Mieciſlao, primo in Polonia Chriſtiano Principe, cùm lux orthodoxæ fidei oborta fuiſſet, quid animi omnes ad propulſandas nominatas vulpes habuerint, vel inde conijcere licet, quòd equeſtris ordinis

vniuerſi,

vniuersi, quotiescunq; sacris operaretur Sacerdos, iamq; pronunciaret, vnde Euangelium recitaturus esset, gladios medio tenus stringere soliti fuerint, donec respondente choro; Gloria tibi Domine, rursus eos recondederent. Næ isti cordis bellicosi equites, Christi doctrinam fortiter propugnare, & in quamcunque aciem dimicationemque pro illâ venire, semper paratissimi erant. Neque ab illis degenerauerant qui posterioribus seculis vixerunt. Testantur id, cùm alia, tum Corcinensia Comitia, ante ducentos annos habita, in quibus sanctè se omnes Regni proceres obstrinxerant, quòd pro perduelle habituri essent, quisquis hæresim aliquam profiteretur, aut profitentes defenderet. *Cromer. lib. 28.*

Quomodo verò degenerassent, quando Antistites Ecclesiæ aduigilabant, ne quid in suorum popularium animos illaberetur, quod erga religionem auitam probum affectum labefactare & deprauare posset? Dignum sempiterna totius posteritatis memoriâ huius vigilantiæ exemplum, edidit Andreas Bninius Posnanensis Episcopus, qui Bohemos quinque, prauitatis Hæreticæ ministros, cum aliter, vt ex Poloniâ excederent, efficere non posset, nongentis amplius equitibus de suis propinquis & clientibus collectis, & ad Sbansinum arcem ductis, dedi eos sibi cogit: deditos, instaurato Posnaniæ iudicio, publicè cremauit. Non præteribo alterum in profligandis Hæreticis magnum & fortunatum bellatorem Sbigneum Olesnicium, Episcopum Cracouiensem, qui cùm intellexisset, quòd Rex Vladislaus Iagello, cum quodam Bohemo Hæretico priuatim ageret, veritus ne noxiâ quapiam doctrinâ Rex afflaretur, festinanter illum adijt, & grauiter obiurgauit, quòd nemine de Consiliarijs adhibito, sermonem, cum rectæ fidei aduersario, instituere ausus esset. Et satisfaciebat quidem Rex Sbigneo, asserens nihil Bohemum, aut de

Episcopi in propulsandis Hæreticis vigilantissimi.

Idem ibid.

Idem lib. 20.

Religione aut de Republica secum locutum esse: quia tamen Sbigneus vrgebat, vt eum dimitteret, non ægrè pastori suo Rex paruit. Quis autem Rex Vladislaus fuit, cui tantopere verebatur Sbigneus, ne illi sermo cum Hæretico habitus, aliquod malum affricaret? Ille qui vt optimè nouerat, qualem Deo iniuriam, Ecclesiæ Christi perturbationem, Regnis vastitatem & ruinam Hæreses afferant, ita ab eis auersissimo semper animo erat: quin etiam acerbum in easdem apud omnes odium concitare volens, de doctrinis Hæreticorum scripserat, quòd sint pestiferi errores, quos in Dei contemptum (verba sunt Regis) & in Christianæ Religionis detrimentum & eneruationem, politiæque iacturam, iniqua peruersorum corda conflauerunt.] Quidni memorentur illi etiam Antistites Sbignei imitatores, qui Sacrorum interdicto vsi erant, cùm ad Casimirum Regem legati Hæretici missi veniissent? Equidem sciebant, quòd per illos legatos Vladislao, Casimiri maximo natu filio regnum Bohemiæ deferretur, nihilominns malebant illibatam religionem domi conseruare, quàm sui Regis filium, regiâ dignitate apud finitimam gentem præditum videre.]

Cromer. lib. 27.

Possuntné illi quoque omitti, qui Sigismundo primo persuaserant, vt omnes Polonos in Patriam redire iuberet, quotquot Vittembergam Studiorum causa concesserant? Amabat quidem Rex ille artes liberales, & his, qui scientiâ & eruditione conspicui essent, aulam suam totumque regnum ornari libenter videbat: sed quia Lutherus cum suis assectis, pestifera dogmata, potissimùm Vittembergæ, per illud tempus spargebat: ne Iuuentus Polona illis inficeretur, & infecta tam graue & contagiosum malum suis popularibus afferret, eam inde seuero edicto euocari curauit.

Est & hoc magni momenti, quod ad collationem

Ecclesiæ

Ecclesiæ cum vineâ, hîc accedit. Lignum vitis extra vineam planè redditur inutile, vt ipse docuit Deus, Prophetam Ezechielem alloquens: Fili hominis, quid fiet de ligno vitis, ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna syluarum: Nunquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat in eo quodcunque vas? Circa quæ verba, S. Hieronymus inquit: Cætera ligna syluarum succisa, plurimam præbent vtilitatem, & in omnem agriculturam, & in vsum armorum proficiunt: dum attenuantur in scuta, raduntur in hastilia, cludunt foribus, continent armarijs, risco, loculis, omnemque domus tribuunt supellectilem: vitis autem si semel vuas afferre cessauerit, in tantum inutilis est, vt ne paxillus quidem ex eâ possit fieri, de quo aliquid pendeat. Non dispari modo extra Ecclesiam inutilis est quilibet, nihilque operari potest, quod ad æternam beatitudinem obtinendam conducat. Fidenter hoc affirmat S. Cyprianus, qui scribit: Non perueniet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit euadere quisquam, qui extra arcam Noë fuit, & qui extra Ecclesiam foris fuerit, euadit.] Ibidem inferiùs ait: Cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesiâ Dei vnanimes noluerunt: ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiecti bestijs, animas suas ponant: non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest.] Idem affirmat S. Augustinus, cuius verba sunt: Quisquis ab hac Catholicâ Ecclesiâ fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se viuere existimet, hoc solo scelere, quòd à Christi vnitate disiunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.]

Ezechiel. 15. v. 2. & 3.

Hieron. in 15. Ezechiel.

Extra Ecclesiam nemo quidquam vita æterna dignum operari potest.

Cyprian. de Vnit. Eccles. Cathol. Vulgo de Simplicit. Prælatorum.

Habere non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.

August. Epist. 152.

Sanctus

Fulgent. de Fide, ad Petrum c. 38. & 39. Sanctus quoque Fulgentius: Firmissimè, inquit, tene, & nullatenus dubites, non solùm Paganos, sed etiam Iudæos, Hæreticos, & Schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros. Quanti momenti ad idem confirmandum

Greg. l. 35. Moral. cap. 6. est & illud S. Gregorij: Sola Catholica Ecclesia est, in quâ opus bonum fructuosè peragitur: vnde & mercedem denarij, nonnisi qui intra vineam laborauerant, acceperunt. Sola est, quæ intra se positos validâ Charitatis compage custodit. Vnde & aqua diluuij arcam quidem ad sublimiora sustulit: omnes autem, quos extra arcam inuenit, extinxit.] Finem huius capitis faciat

Rupert. lib. 11. in Ioan. cap. 15. Rupertus, ita Schismaticos alloquens: O Schismatici ab Ecclesiæ corpore vos præcidentes, & proprijs adinuentionum vestrarum sarculis præcisi, nolite putare, quòd vitalem fructum ferre possitis. Quis enim vitis, & palmitum eius, nesciat vnitatem? Quandiu palmites in vite manent, tandiu ascendentem per venas intimas, genuinum radicis eius humorem bibunt, & viuunt florentque, & flores fructum parturiunt. At verò si de vite palmes excisus fuerit, iam boni succi eius particeps esse non potest: ideoque speciem quidem palmitis habet; sed nec viuit, nec vsum habet alium, nisi vt in ignem mittatur & ardeat. Sic Rupertus.

CAPVT SECVNDVM.

Quàm præstans sit Ecclesiæ vinea, verbis Christi demonstratur.

MAgna procul dubio præstantia est Christianæ vineæ seu Ecclesiæ, cui apprimè conueniunt illa omnia, quæ Christus, varia beneficia synagogæ Iudæ-

Iudæorum exhibita recensens, ad hunc modum protulit: *Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis.* Magnus enim paterfamilias Christus vineam Ecclesiæ plantauit, quem adumbrauit Nòé, qui cum vineam plantasset, & vinum eius bibisset, inebriatus est, & in tabernaculo suo nudatus: item à Cham impudenti filio irrisus: sed à Sem & Iaphet honoratus, & veste contectus. Nimirum vino tormentorum inebriatus Christus, & somno mortis in cruce oppressus, nudatus quoque & ludibrio Iudæorum expositus fuit: quem tamen omnes Christiani, tanquam probi filij in honore habent, & ignominiosam eius mortem velo rationum, quæ exigebant, vt sic Christus moreretur, operiunt. Ita nonnulli id, quod de Nòé scriptum est, Christo accommodant.

Matth. 21. ℣. 33.

Nòé figura Christi.

Genes. 9. ℣. 20. & sequent.

Sanctus Augustinus ea de re, ita disserit: Illud inquit, quod de vinea, quam plantauit, inebriatus Nòé, nudatus est in domo sua, cui non appareat Christus passus in gente sua? Tunc enim nudata est mortalitas carnis eius, Iudæis scandalum, gentibus autem stultitia: ipsis autem vocatis Iudæis, & gentibus tanquam Sem, & Iaphet, Dei virtus & sapientia. Proinde in duobus filijs, maximo & minimo, duo populi figurati, vnam vestem à tergo portantes, sacramentum scilicet iam præteritæ atque transactæ Dominicæ passionis, nuditatem patris velant, neque intuentur: quia in Christi necem non consentiunt, & tamen honorant velamento, tanquam scientes vnde sint nati.] Hæc Augustinus, quorum similia alibi quoque tradens, per improbum Cham patris sui irrisorem, intellexit Hæreticos, & perditè viuentes Christianos, dicitque de illis, quòd passionem Christi, quæ nuditate Nòé significata est, & annuntient profitendo, & malè agendo exhonorent.

August. lib. 12. contra Faustum Manich. cap. 23.

Idem lib. 16. de Ciuit. Dei, cap. 2.

Hæretici & mali Christiani passionem Christi exhonorant.

Ecclesiæ Christi sepes lex noua, & protectio diuina, & Angelorum custodia.

Plantatam Ecclesiæ vineam lege noua, & mandatis suis, idem Christus sepsit. Digna equidem sæpes, quæ illæsa diligenter ab omnib⁹ seruetur. Olim Ethnici, qui varijs gentibus leges condebant, è cælo illas sibi allatas esse aiebant. Exemplo sunt Lycurgus, Trismegistus, Zaleucus, Numa Pompilius, Minos, Machometus, & alij: quorum primus ab Apolline, secundus à Mercurio, tertius à Minerua, quartus à Nympha Aegeria, quintus à Ioue, sextus ab Angelo Michaële, alij ab alijs Dijs & Deabus, leges quas tradebant, sibi esse dictatas asserebant. Hoc autem propterea in vulgus spargebant, quia (vt inquit Plato) necessaria est legi diuina auctoritas, à qua proficiscatur & commendetur.

Plato lib. 1. de legibus.

Quod si ita est, diuinam planè auctoritatem lex noua habet, quam ipse Christus verus Deus è cælo attulit, & generi humano commendauit. Quidni verò commendasset, cuius vtilitatem Propheta Ezechiel ob oculos suos propositam habuit, quando in tanta hominum strage, eos solos à morte liberatos vidit, quorum frontem Hebræa litera THAV, Angelus consignauerat. Quæ litera cum in vocabulo THORACH, quod significat legem, sit prima, vtique indicabat, hos tantum à morte æterna liberari, qui legem diuinam seruant. Hoc communiter mysterium ex illa litera Hebræi eruunt, teste S. Hieronymo: Vt Hebræi (inquit) autumant, quia lex apud eos appellatur THORACH, quæ hac in principio nominis sui litera scribitur: illi hoc accepêre signaculum, qui legis præcepta compleuerant.

Ezech. 9. ℣. 6.

Hieron. in 9. Ezech.

Porrò, sicut obseruatio legis vitam confert, ita violatio eius mortem generat, pœnamque perpetuò duraturam comparat. Huc spectat illud Ecclesiastæ: *Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber*: ille autem (inquit S. Hieronymus) coluber tortuosus, qui decepit Euam in paradiso: quæ quia præcepta Dei destruxerat, propterea

Eccles. 10. ℣. 8.

Hieron. in 58. Isai.

pterea morsibus eius patuit.] Eodem spectat illud, quod propriè de persona Christi à Moyse scriptum esse, docet S. Augustinus: *In dextera eius ignea lex.* Quæ verba Caietanus æquè ac Pagninus ex Hebræo sic legens: A dextera eius ignis, lex eis; talem illorum explicationem tradit: Non dicit Moyses, quòd in manu dextera gestaret ignem aut legem, sed quòd à dextera eius erat tam ignis quàm lex. In specie siquidem Principis apparebat, ad cuius dexteram à ministris, id est, Angelis, gestabatur lex, gestabatur & ignis: lex quidem ad docendum ac dirigendum; ignis verò ad puniendum.

August. in quæstionibus super Deut. q. 56.
Deuter. 33. ℣. 2. Caietan. Pagnin.

Benè etiam cum S. Ambrosio & Origene persepem intelligeretur diuinæ custodiæ munitio, qua Christus, inquit S. Ambrosius, vallauit Ecclesiam, ne facilè spiritualium pateret incursibus bestiarum. Et idcircò Ecclesiæ potest illud cani: *Dominus custodit te, Dominus protectio tua.* & illud: *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui.* In eadem, iure quisque dixerit, impletam esse prophetiam illam Isaiæ: *Saluator ponetur murus & antemurale.* Christus enim, secundum naturam diuinam, factus est Ecclesiæ murus; at secundum humanam antemurale, in quod omnia inimicorum tela irruerunt.

Ambr. in cap. 28. Luc.
Origen. Hom. 19. in Matth.
Psalm. 120. ℣. 5.
Psalm. 124. ℣. 2.
Isaiæ 26. ℣. 1.

Singularem quoque sepem agnoscunt, sanctus Hieronymus, sanctus Basilius & S. Thomas, fidam videlicet Angelorum custodiam. *Nam immittit se Angelus* (ait Basilius) *in circuitu timentium Dominum.* Quod ex Psalmo Dauidis sumpsit, in quo (vt ibi obseruauit Bellarminus) pro verbo, immittit, Hebræum propriè sonat Castrametatur, miramque potentiam Angelorum demonstrat, vt eorum vnus vicem exercitus suppleat. Quanta ergo securitas Ecclesiæ, quam more castrorum circumdant longè plures Angeli, quàm fuerint, cum montem plenum equorum & curruum igneorum in circuitu Elisei, suus minister vidit.

Hieron. & D. Thom. in 21. Math. Basil. Hom. 5. in Hexam.
Psalm. 33. ℣. 8.
Bellarm. ibid.
4. Reg. 6. ℣. 17.

Torcular Ecclesiæ est Sacramentum Pœnitentiæ.

Præter sepem dedit Christus Ecclesiæ torcular. Quid prohibet per torcular intelligere Sacramentum Pœnitentiæ, quod instar torcularis vuas prementis, solet esse hominibus graue? Ostendit hoc S. Ambrosius Simpliciano scribens: Nihil, inquit, peccare solius est Dei: emendare autem, corrigere erratum, & pœnitentiam gerere peccati, sapientis est. Id tamen est difficile, in hac vita hominum. Quid enim tàm rarum, quàm vt inuenias virum, qui seipsum coarguat, & factum condemnet suum? Repugnat enim natura, repugnat verecundia: quia erubescit vnusquisque propriam culpam fateri: dum præsentia magis, quàm futura cogitat. Hæc D. Ambrosius interponendo nonnulla. Atqui hac grauitate sua torcular pœnitentiæ exprimit vinum, quod intellectum hominis, non tantum non obtundit, sed etiam exacuit. Tunc enim vel maximè quilibet sapit, cum peccatum suum agnoscens, illud per pœnitentiam eluit. Probat id Psalmus trigesimus primus, cui præfixus est huiusmodi titulus: *Ipsi Dauid intellectus*, vel vt S. Hieronymus vertit, Eruditio. Cùm enim Dauid totum illum Psalmum in deflendis suis peccatis, & hominibus ad pœnitentiam prouocandis consumat: clarè dicto titulo indicat, peccando insipientem se fuisse: pœnitendo verò sapientiam à se recuperatam esse. Confirmatur hoc illis in alio Psalmo verbis: *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.* Nam & istis Rex pœnitens docet, fatuum se & nullius consilij fuisse, cum peccaret: & tunc primùm sapientiam sibi restitutam esse, cùm pœnitentiam ageret. Et idcircò S. Basilius hæc verba illustrans ait: Insipientiam, stultum factum nominat, ab insipientia procedens. Omne enim peccatum per stultitiam fit: virtus autem, quoniam ipsa prudentia est, quæcunque secundum ipsam fiunt, laude ac virtute digna declarat.]

Ambr. in cap. 10. Leuit. ad Simplic.

Tunc homo sapit, cum peccatum suum per pœnitentiam eluit.

Psalm. 31.

Hieron. ibid. iuxta Hebr.

Psalm. 37. ℣. 6.

Basil. in Psalm. 37.

Ex

Ex eodem torculari profluit vinum, quod ægris & lethifero veneno infectis animabus, sanitatem affert. De vino torcularibus terrenis expresso dicit Salomon, quòd ingrediatur blandè, sed in nouissimo mordeat vt coluber, & sicut regulus venena diffundat. De vino autem pœnitentiæ quisque dixerit, quòd ingrediatur seu bibatur amarè: sed morsum colubri & reguli tartarei sanet, venenaque peccatorum dissipet. In exemplum proponit D. Chrysostomus S. Petrum, & de illo Christum negante & pœnitente, sic ait: Eadem nocte lapsus est, & erectus: vulnus & medicinam accepit: ægrotauit, & ad priorem redijt sanitatem. Qualiter & quo modo? Flens & lugens, multa cum solertia & proposito multo. Propterea Euangelista non dixit, quòd solùm fleuit, sed *fleuit amarè.*] Ecce D. Chrysostomus, S. Petrum, per amaras pœnitentiæ lacrymas sanitatem adeptum esse, & mortiferum venenum, quod Christum negando obbiberat, ex anima sua eiecisse asserit.

Prouerb. 23. ℣. 32.

Chrysost. Hom. 8. de Pœnit.

Luca 22. ℣. 62.

Vt proinde mirum non sit, quòd exclamet sanctus Ephrem: O virtutem lacrymarum, quæ medicinalis officina est peccatorum.] Medicinalem officinam lacrymas Vir sanctus appellans, in memoriam reuocat, quod non ignobilis medicus scripsit, reperiri scilicet in Sicilia ceruos, ex quorum oculis, lacrymarum instar, promanat humor aqueus, qui sensim densatus, in pretiosum & omnibus venenis resistentem lapidem, Bezoar dictum, concrescit. Id si ita est, quis talium ceruorum oculos medicinalem officinam non vocet? Sed longè potiori iure, appellatio ista debetur oculis, admissa peccata deplorantis hominis, cuius lacrymæ, verè sunt contra omnia delicta antidotum, verè animabus, sæpè etiam corporibus sanandis Bezoar.

Virtus lachrymarum medicinalis officina peccatorũ.

Scrib. Largus apud Cardan. lib. de subtil.

Animarũ Bezoar.

Non est etiam mirum, si cùm ibidem Salomon à vino terreno oculos hominum auocans, inquit: *Ne in-*

Prouerb. 23. ℣. 31.

tuearis vinum, quando flaueſcit: cùm ſplenduerit in vitro color eius: nos interim, vt vinum pœnitentiæ omnes intueamur, vndiquè inuitamur. Inuitationis huius exemplum dedit Chriſtus, cùm in Magdalena, veluti in cryſtallino vitro, lacrymas eius contemplandas proponens, dixit: *Vides hanc mulierem?* Quid quòd ipſe Deus libenter idem vinum contempletur, vt demonſtrant hæc verba Dauidis Deum alloquentis: *Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo*: item illa ipſiuſmet Dei, per os Iſaiæ ad Ezechiam Regem dicta: *Vidi lacrymas tuas.* Quæ verba bis in diuerſis locis repetuntur, & vtrobiquè textus Hebræus ſingulari numero habet lacrymam, vt etiam Pagninus vertit. Vnde nonnulli autumant, ſignificatam eſſe hoc modo miram efficacitatem lacrymarum, quarum etiam vnica oculos Dei in ſe conuertat, nihilque apud eum non efficiat. Et ſanè reconditum quiddam iſti auctores attingunt. Olim cum multis verbis literas ad Alexandrum Magnum Antipater ſcripſiſſet, eaſque varijs, de matre eius Olympiade, querelis oneraſſet, reſpondiſſe illi Alexandrum refert Plutarchus: Ignoras, infinitas epiſtolas vnicâ matris lacrymâ obliterari? O quoties contra peccatores, grauiſſimarum accuſationum plenas epiſtolas, humani generis hoſtis, re & nomine Antipater ſcribit, ſupremumque iudicem poſcit, vt de illis æternum ſupplicium ſumat? Et ecce ſi peccator ad pœnitentiam recurrat, etiam infinitas Dæmonis epiſtolas vnicâ ſua lacrymâ obliterat.

Ad videndum pœnitentiæ vinum, omnes inuitamur.

Luc. 7. ℣. 44.

Pſalm. 55. ℣. 9. Vinum lacrymarum pœnitentis Deus libenter intuetur.

4. Reg. 20. ℣. 5. Iſaiæ 38. ℣. 5.

Plutarch. in Alexandro.

Tandem ne quid vineæ deeſſet, TVRRIM in eâ Chriſtus ædificauit, id eſt, ſcripturâ Sacrâ eam inſtruxit. Quanta ſit huius turris vtilitas, copioſè declarat ſanctus Gregorius, conferens eam cum illa turri Dauid, quæ, vt Salomon ſcripſit, *ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium.* Vniuerſa enim noſtra munitio, inquit S. Gregorius, in ſacro eloquio

Turris Eccleſiæ Chriſti Scriptura ſacra.

Gregor. Hom. 15. ſuper Ezechiel.

Cant. 4. ℣. 4.

Vniuerſa noſtra munitio in ſacro eloquio.

conti-

continetur. Ibi quippe sunt præcepta Dei, ibi exempla iustorum. Si enim torpet animus à conditoris sui desiderio, audiat quod dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum, ex tota mente tua, & ex tota virtute tua.* Si quis in odio fortasse labitur proximi, audiat quod dicitur: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Res aliena concupiscitur? audiat quod illic scriptum est: *Non concupisces rem proximi tui.* Dignissima lectu reliqua, quæ S. Doctor, ferè ad ipsum vsque finem capitis illius, prosequitur. Benè autem S. Bernardus monet, de vtroque latere his clypeis muniendo, quos Sacræ scripturæ turris suppeditat. Secularis, ait, militia, fratres, in sinistro tantùm latere clypeum portat. Non imitemur: vtrumque nobis latus tegendum est, si meministis: *Scuto circumdabit te veritas eius.* & Apostolus ipse: *Per arma*, inquit, *iustitiæ à dexteris & à sinistris.* Tum quid sit vtrumque latus tegere, explicat illa verba S. Pauli adducens: *Prouidentes bona, non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* deinde subdit: Hæc est enim voluntas Dei, vt benè facientes, non modò tabescere malignorum Dæmonum inuidiam; verum etiam obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.]

Clypeis sacræ scripturæ vtrumq; latus muniendum. *Bernard. in Psal. Qui habitat serm. 7. Psalm. 90. ℣. 5.*

2. Cor. 6. ℣. 7.

Roman. 12. ℣. 17.

1. Petr. 2. ℣. 15.

Propositæ vtilitati hanc adnumero, quòd Sacræ scripturæ turris, non solùm contra mortem animæ hominibus arma suppeditet, vt indicatum est; sed etiam ea remedia contineat, quibus ijdem, si mori animam contingat, à morte ad vitam reuocentur. Certum id esse S. Gregorius affirmat, cum explicans illud Ezechielis: *Spiritus enim vitæ erat in rotis*, ait: Per præcepta scripturæ Sacræ reuiuiscimus, qui mortui in culpa iacebamus: Tum mox dictum suum confirmans addit: Vnde Omnipotenti Domino per Psalmistam dicitur: *In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me.* Iustificationes enim præcepta Domini dicuntur, in quibus nos

Scriptura sacra mortuos ad vitam reuocat. *Greg. Hom. 7. in Ezech. Ezechiel 1. ℣. 20.*

Psalm. 118. ℣. 93.

nos corrigendo iustificat. De quibus Psalmista apertiùs dicit: *In tuis iustificationibus meditabor, non obliuiscar sermones tuos.* In eis itaque nos viuificat: quia per hæc nobis spiritualem vitam demonstrat, eamque per afflatum Spiritus nostris mentibus infundit.]

Tom. 10. oper. S. Augus. serm. 38.

Quocirca iustè turrim scripturæ Sacræ, Auctor sermonum ad fratres in eremo, sancto Augustino adscriptorum, hoc titulo ornauit: Resurrectio mortuorum. Ornari sic non possunt turres, quæ vt trophæum & monimentum, ad diuturnam memoriam, magnæ alicuius stragis in hominibus editæ, à victoribus eriguntur. Tales erant tres illæ turres, quas ante ducentos & quadraginta annos, dux Scytharum Tamerlanes, ex caluarijs cæsorum, magno artificio extruxerat, cum Damascum totius Syriæ caput, & metropolim deleuisset. Nonnè meritò his turribus inscriptum fuisset: Internecio viuorum?

Corn. in 49. Ieremi. ℣. 23.

Turris scripturæ sacræ lumen præbet.

Est & ista, turris scripturæ Sacræ, non exigua vtilitas, quòd nobis in huius mundi tenebricoso mari nauigantibus lumen præbeat, ne alicubi ad eos scopulos naues nostras appellamus, in quibus tam multæ allisæ, infeliciter perierunt. Narret ipse S. Augustinus, si non huius luminis beneficio è Charybdi hæreseos enauigauit, & Christianæ fidei, omnisque probitatis tantus cultor euasit. Surrexi, inquit, nihil aliud interpretans diuinitus mihi iuberi (illa videlicet voce Angeli crebrò inclamantis: Tolle, lege: tolle, lege) nisi vt aperirem codicem, & legerem, quòd primum caput inuenissem. Audieram enim de Antonio, quòd ex Euangelica lectione, cui fortè superuenerat, admonitus fuerit, tanquam sibi diceretur, quod legebatur: Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni, sequere me, & tali oraculo confestim ad te esse conuersum. Itaque concitus redij ad eum locum, vbi sedebat Alipius: ibi enim posueram

Aug. lib. 8. Confess. cap. 12.

Matth. 19. ℣. 21.

codicem

codicem Apostoli, cum inde surrexeram. Arripui, aperui, & legi in silentio capitulum, quo primùm coniecti sunt oculi mei: Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione: sed induite Dominum Iesum Christum, & carnis prouidentiam ne feceritis in cõcupiscentijs. Nec vltra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine huiusce sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnis dubitationis tenebræ diffugerunt.] *Rom. 13. ℣. 13. & 14.*

Quamobrem rectè quisque scripturam Sacram comparauerit cum illa turri Pharos appellata, & à tot auctoribus celebratâ, quam in mari, supra vnum scopulum extruxerat Philadelphus Ptolomæus Rex, vt in eâ noctu accensæ faces semper arderent, & nauigantium cursum dirigerent. Fulcitur hæc comparatio illis verbis S. Gregorij: Hæc nobis scriptura in tenebris vitæ præsentis facta est lumen itineris. Hinc etenim Petrus ait: *Cui bene facitis intendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Hinc Psalmista dicit: Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen semitis meis. Plura quæ ad commendandam Ecclesiæ vineam spectant, tradideram ante annos propè quadraginta in meo M. S. commentario super caput quintum Isaiæ. Scriptura Sacra est sicut Pharos. *Greg. in Ezech. hom. 7.* *2. Petr. 1. ℣. 19. Psal. 118. ℣. 105.*

CAPVT TERTIVM.

Antiqua Dei querela de vitiosis vitibus, renouatur.

CVm Ecclesia Christi talis sit vinea, qualem caput præcedens descripsit, nemo prudens negauerit, æquitatem postulare, vt omnes vites in hac vinea consitæ, fructus quàm optimos ferant. Atqui multæ illarum nonnisi pessimos; multæ bonos quidem, sed ali-

quibus malis permistos: nullæ autem solos bonos & ex omni parte perfectos ferunt. Grauiter id dolet, qui hanc vineam plantauit Christus, & antiquam illam querimoniam renouare posset: *De vinea Sodomorũ, vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ; vua eorum, vua fellis, & botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.*

Deuter. 32. ℣. 32. & 33.

Abulen. in 32. Deuter.

Jn quâ querimoniâ tria hæc expressè nominari, vineam, vuam & vinum, Abulensis notat, & per illa triplicem peccandi modũ, hominibus vsitatum, scilicet corde, ore, & opere, significari docet. Sicut enim præcedit vinea, deinde nascitur vua, tum denique exprimitur vinum: ita communiter priùs committitur peccatum cordis, deinde oris, postremò operis. In his proinde verbis: *De vinea Sodomorum vinea eorum*, peccata cordis Abulensis agnoscit. Cor enim improborum hominum nonnisi pessimas cogitationes generat: planè instar Sodomorum terræ, quæ, post incensam Pentapolim, pessimas vineas gignit, factaque sterilis, nihil boni profert. Quamuis enim (vt idem Abulensis ex Solino, & Isidoro narrat) arbores habeat, in quibus poma aspectui pulchra nascuntur; ea tamen sunt talia, vt manu leuiter pressa in cinerem resoluantur, & fœtidum fumum exhalent. Rursus cum dicitur: *Vua eorum, vua fellis, & botri amarissimi*, peccatum oris secundum Abulensem innuitur. Sermo enim impiorum amarissimus est, hominibus primùm, quos ille ad varia scelera illicit: quandoquidem, vt S. Paulus affirmat, *Corrumpunt mores bonos, colloquia mala.* Deinde ipsi Deo, quem omnis sermo malus ad iracundiæ amaritudinem prouocat, vt clarè docetur â Malachiâ Prophetâ, cuius sunt hæc: *Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, & dixistis: In quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis: Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent: aut certè vbi est Deus iudicij?* Insuper cum additur: *Fel draconum vinum eorum,*

Cor improborum pessimas cogitationes generat.

Solin. in Polist. cap. de Iudæa. Isidor l. 15. Etymol.

Sermo impiorum amarissimus & hominibus & Deo.

1. Cor. 15. ℣. 33.

Malach. 2. ℣. 17.

eorum, & venenum aspidum insanabile, peccatum operis designatur. Cum enim hoc malitiâ suâ, tam cordis, quàm oris peccata plerumque superet, meritò fel draconum vocatur, quod alijs rebus amaris amarius est, vt communiter naturales Philosophi tradunt. Et idcircò Æthiopes, cum draconibus vescantur, fel eorum, & quæ illi sunt proxima, omninò vitant. Talem escam Æthiopum esse, ostendit Abulensis illis verbis ex duobus Psalmis assumptis: *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei: dedisti eum escam populis Æthiopum.* Per draconem autem intelligendus est draco marinus, quem in Sacra scriptura textus Hebræus Leuiathan appellat, piscemque esse horrendæ magnitudinis Iob testatur.

Opera impiorum pessima.

Abulen. loco cit. Psal. 103. ℣. 26. & Psal. 78. ℣. 14.

Iob. 40.

Quòd verò idem peccatum operis, vocetur etiam *venenum aspidum insanabile*, propterea sic vocatur, quia hoc potissimum peccatum certam animæ mortem hominibus parit, eique præcipuè quadrat, quod S. Iacobus scripsit: *Peccatum, cum consummatum fuerit, generat mortem.* Est proinde huiusmodi peccatum sicut aspis, cuius venenum tam est lethiferum, vt eo infectus homo, nullo prorsus remedio iuuari, & à morte liberari possit. Id cum sciret Cleopatra Ægypti Regina, postquam cum Antonio apud Actium prælio nauali victa ab Augusto fuisset, vt sibi & citam & suauem mortem accerseret, priusquàm ante triumphantis victoris currum captiua duceretur, brachium suum aspidi mordendum præbuerat. Suauem mortem memoro, quia aspis, citra vllum sensum doloris, hominem mordens, somno eum valdè suaui sopit, sopitoque vitam adimit. Ideoque aspidem Poëtæ somniferam appellant, alludentes ad vocem hypnale seu ὕπναλη, quâ Græci hoc genus serpentum nominant. Iuuat suauitatem mortis dulcedo, quæ veneno aspidis tanta inest, vt, quemadmodum scripserunt nonnulli, lac & mel quodlibet vincat. Hinc patet, quem

Iacob. 1. ℣. 15.

Aspidis venenum vt dulce, ita lethiferum.

Hier. Bapt. de la Nuza tract. 2. part. 3. N. 4. 36.

sensum illud habeat: *Caput aspidum fuget*, quod amicus Iob Sophar Naamathites de auaro dixit. Nam caput aspidis fugere, idem est, quod magna cum voluptate peccare, sed cum maiori damno mortem æternam obire. Illud enim dulce & pernicioſum aspidis venenum in capite eius residet, præsertim in dentibus, de quibus ita scripsit Plinius: Aspidum dentes duo sunt in supernâ parte dextrâ leuâque longissimi, tenui fistulâ perforati venenum infundentes.

Iob 20. ℣. 16.

Plinius lib. 11. cap. 37.

Patet etiam ex dictis, quodnam sit fel, quod ne inter suæ gentis homines reperiretur, curabat Moyses, & diligenter eos monebat: *Ne forte sit inter vos radix germinans fel & amaritudinem.* Nam & hoc loco, peccata nomine fellis intelligi debent, vt docet paraphrastes Chaldæus, qui verba Moysis adducta sic vertit: Ne fortè sit in vobis vir cogitans peccata, & superbiam.] Ita vbiq; scriptura Sacra odium in peccata, alijs atque alijs modis concitat, inter quos est etiam iste, quòd illa vocet nominibus ab his rebus sumptis, â quibus homines naturaliter abhorrent, qualis etiam est amaritudo fellis. Scripturam sacram imitatur S. Chrysostomus, qui similiter, vt vnumquemque â peccatis deterreat, magnam eorum amaritudinem, & planè ad torquendos discruciandosque homines aptissimam proponit. In perpetrando, inquit, scelere, quoniam voluptate sumus ebrij, non perinde sentimus: cæterûm simul atque commissum est, ceperitque finem, tum demûm extinctâ voluptate, amarus pœnitentiæ stimulus succedit: contra, quàm accidere solet mulieribus parturientibus. Nam illis ante partum labor est ingens, graueſque nixus dissecantes eas doloribus; post partum verò relaxatio, dolore simul cum infante egrediente: verûm hîc non item, sed dum parturimus concupimusque corruptos affectus, delectamur gaudemusque: cæterum vbi fuerimus

Deuter. 29. ℣. 18.

Paraphr. Chald.

Vbique scriptura odium in peccata concitat: quam SS. Patres imitantur.

Chrysost. Hom. 4. de Lazaro.

rimus enixi malum illum puerum peccatum, tum conſpectâ fœditate partus, diſcruciamur grauiùs; quàm mulieres parturientes.]

Lethifera peccatorum dulcedo illuſtratur.

Multa huc non admitto, licet ſeipſis tanquam imagine quadam, lethiferam peccatorum dulcedinem exprimant: vt eſt Siſara, qui lactis & ſomni per illud conciliati ſuauitatem, morte amarâ luit: item Ionathas, qui guſtato melle, cum mortem, quam ei pater ſuus attentabat, ob oculos haberet, plenus mœrore dicebat: *Guſtans guſtaui, in ſummitate virgæ, quæ erat in manu meæ, paululùm mellis, & ecce ego morior.* Auguſtus etiam Cæſar, de quo Dion Caſſius & Xiphilinus ex communi famâ memoriæ prodiderunt, quòd ei dulces ficus, à Liuiâ veneno illitæ, diram mortem attulerint. Liuia enim (inquit Xiphilinus) verita, ne Agrippam Agrippæ filium in vrbem reuocaret Auguſtus, ad principatum ei relinquendum (is tum exulabat in quadam inſulâ) ficus pendentes adhuc in arbore, quas Auguſtus manu ſuâ decerpere conſueuerat, illiuit veneno: cumque ipſa comederet eas, quæ illitæ non erant, Auguſto venenatas porrigebat. Eſt & Hypanis Scythiæ fluuius, cuius aquæ, vt narrat Herodotus, ſunt dulciſſimæ, quandiu in eum alter fluuius Exampæus dictus non influit: at vbi influxerit, mox illas amariſſimas reddit.

Iudic. 4. ℣. 19. & reliq.

1. Reg. 14. ℣. 43.

Dion Caſſius l. 56. Xiphilinus in Auguſto.

Herodot. lib. 4.

Homines peccata cordis, oris, operis, non horrent.

Quo verò fructu, hæc fallacis peccatorum dulcedinis in amaritudinem conuerſio, & planè tragica cataſtrophe proponitur, cum eam homines paſſim non reformident, tamque corruptum palatum habeant, vt, quod dixit Iſaias; *Ponant amarum in dulce, & dulce in amarum?* Quis enim eſt hominum, apud quem cura iſta excubet, vt cor ſuum, perfectiſſimè mundum habeat, illudque præſtet, quod S. Auguſtinus tam accuratè commendat: Attendat vnuſquiſque & conſideret agrum cordis ſui: & qui in ſe charitatem viderit, gaudeat, &

Iſaiæ 5. ℣. 20.

Auguſt. ſerm. 44. de temp.

totâ cordis vigilantiâ, germina in se sancta custodiat. Qui verò in agro cordis sui, qualemcunque stirpem cupiditatis inspexerit, Christo adiuuante, extirpet cupiditatem & plantet charitatem. Nam quandiu hoc facere noluerit, fructus bonos afferre non poterit.] Deinde quis est tàm sedulus oris sui custos, vt nullum ex eo excidat vitiosum verbum? Communiter per illud multa & non leuia permeant: vt sæpè dici possit Charontica ianua, quomodo olim appellabatur quædam porta, per quam reos iudicum sententijs damnatos, ad mortem educere vsitatum erat. Postremò quis ad opera sua tam est intentus, vt omnia sint talia, qualia S. Paulus Philippensibus commendauit: *De cætero fratres, quæcunq; sunt vera, quæcunq; pudica, quæcunq; iusta, quæcunq; sancta, quæcunq; amabilia, quæcunq; bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate.*] Atque ita fit, vt omnes, quamuis diuersè, & alij alijs grauiùs vel leuiùs, corde, ore, & opere peccent.

Porta Charontica quæ olim dicta?

Philip. 4. ℣. 8.

CAPVT QVARTVM.

Altera Dei querela proponitur.

Isaiæ 5. ℣. 4.

VIdeamus, si & altera illa Dei querimonia hucusq; habeat locum: *Expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas.* Non est dubium, quin etiamnum expectet Saluator noster, vt in suâ vineâ, omnes vites, bonas generent vuas; & non quomodocunque, sed magno cum desiderio expectet, vt indicat verbum Hebræum KIVVETHI, cui in vulgata versione respondet Latinum Expectaui. Verbum enim KAVACH propriè significat attentis oculis, magni desiderij testibus, aliquid expectare, & cum totius corporis gestu in illud propendere.

Desiderat Deus vt sua vinea fructus edat.

Neque

Neque verò hoc tantum Dei desiderium, mirum videri debet. *Quis enim*, inquit S. Paulus, *plantat vineam, & de fructu eius non edit?* Ipse Deus, vt talis quilibet de illo edat, æquum esse, clarè demonstrauit. Nam quoties Iudæi bellum aliquod contra hostes suscepissent, & collectum exercitum in aciem eduxissent, antequam ad manus, & ad pugnam ventum esset, iubebat in castris promulgari, vt cuilibet militi domum redire liceret, qui vineam plantasset, & nondum fructus eius gustasset. Proinde conceptis verbis duces belli pronuntiare debebant: *Quis est homo, qui plantauit vineam, & necdum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat? vadat & reuertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo eius fungatur officio.* Quid sit vineam communem facere, explanat Abulensis: Quando, inquit, plantabatur vinea vel aliqua arbor, fructus trium annorũ immundi erant: quarto anno omnes fructus offerebantur Domino: quinto anno dominus arborum, fructus recipiebat: & tunc conuocans amicos colligebant fructus, & comedebant omnes cum lætitiâ. In hoc dicebatur vinea facta communis.] Æquitatem ergo spectabat Deus, cum militem ad vineæ suæ fructus colligendos remitti iubebat: præterquam quòd nosset, ita homines naturâ institutos esse, vt his, quæ sibi labore aliquo comparârunt, libenter vescantur. Facit ad hoc, quod S. Chrysostomus dixit: Illa nobis magis placent, quæ sudoribus comparantur: & quod de Cyro Persarum Rege nonnulli scripserunt, eum magnæ voluptatis loco habuisse, si ex arboribus, quas ipse manibus suis conseuisset, fructus colligere posset. Maximè autem illud, quod hominem iustum alloquens Dauid protulit: *Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es & benè tibi erit.*

1. Cor. 9. ℣. 7.

Deut. 20. ℣. 6.

Abulen. q. 1. in 20. Deuter.

Deuit. 19. ℣. 25.

Chrysost. Hom. 35. in 5. Ioan.

Illa nobis magis placent, quæ nostris sudoribus comparantur.

Psalm. 127. ℣. 2.

Verùm longè maior est æquitas, vt Christus de fructibus suæ vineæ edat, & laboribus manuum suarum recre-

recreetur. Tantum enim operæ in excolenda illa posuit, vt liberè dicat: *Quid est, quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei?* Quomodo autem huic æquitati & tantæ sui conditoris expectationi vinea respondet? Æternæ veritatis testimonio, loco bonorum fructuum *labruscas facit.* Pro labruscis in Hebræo scriptum est BEVSSIM, quod referente S. Hieronymo, Aquila interpretatus est σαπρίας, id est fructus pessimos, vt idem sanctus Hieronymus inquit. Symmachus vertit ἀτελῆ, hoc est imperfectos: Septuaginta & Theodotio ἀκάνθας, id est spinas: Pagninus vuas putidas. Quæ omnes interpretationes, valde exprimunt proprietates peccatorum, quæ per labruscas intelligi debent.

Isaiæ 5. V. 4.

Hieron in 5. Isaiæ Aquila.

Symmachus. 70. Theodotio Pagninus.

Verè enim peccata sunt fructus pessimi, quibus vel obsolam eorum malitiam abstinendum esse cuilibet, licet illa non homines tantùm, sed etiam Deum latere possent, Ethnici quoque Philosophi censuerunt. Satis sit Platonem adducere, qui in Dialogo decimo de Republica affirmat, nonnisi iusta & recta cuilibet agenda esse, siue Gygis habeat annulum, siue etiam Plutonis galeam. Præmiserat autem in Dialogo secundo de eadem Republicâ, quis & qualis fuerit annulus Gygis. Ferunt, inquit, Gygem fuisse mercenarium pastorem eius, qui tunc Lydis imperabat. Magna autem imbrium tempestate exortâ, motâque terrâ, ferunt terram hiatum fecisse in ea regione, vbi ille armenta pascebat. Quæ cum vidisset, mirabundus in hiatum descendit, conspexitq; & alia quæ fabulantur miranda, & equum æneum concauum, cuius in lateribus fenestræ erant: quibus apertis, hominis mortui vidit corpus magnitudine inusitata, quod nihil habebat aliud, præter aureum in digito annulum. Quem vt detraxit, abijt ac tum in concilium pastorum se recipit; quod eâ re fieri solebat, vt de rebus peculij ad Regem per singulos menses referrent, iuxtaque

Peccata sunt fructus pessimi.

Fugienda, etiamsi Deum latere possent.

Plato Dialogo 10. de Republic.

Idem Dialogo 2. de eadem.

Quis fuerit annulus Gygis.

alios

alios assedit. Acciditque, vt cum fortè palam eius annuli ad palmam conuertisset, à nullo videretur, alijque de illo tanquam absente loquerentur. Admiratus ergo, denuò contrectans annulum, palam in lucem conuertit: quo facto, rursus apparuit. Hoc ille animaduertens, diligentiùs periculum fecit, vtrum hanc annulus vim haberet: atque ita illi compertum fuit, quòd versa ad se gemma, à nemine videretur; versa autem ad alios, conspicuus fieret. Hæc Plato. quæ eadem ex eo transcripta inueniuntur apud Ciceronem, & sanctum Ambrosium.

Cic. lib. 3. de Offic. S. Ambr. lib. 3. de Offic. cap. 5.

Quocirca ex hac Platonis narratione constat, à fabuloso annulo id beneficij habuisse Gygem, vt si eius palam, quæ gemmam continebat, ad volam manus suæ conuertisset, à nullo videretur, ipse verò omnia videret: idem rursus videretur, si illa versus homines conuersa, ab eodem fuisset. Non dissimilis virtutis credebatur fuisse Plutonis galea, cuius & Origenes meminit, docens Celsum, conuenientius fuisse, vt Christus in Ægyptum secedens insaniæ Herodis sese subduceret, quàm vt sub Plutonis casside seu galea latitans, eundem falleret. Nimirum & istam galeam qui gestaret, is nemini conspicuus, quoscunque voluisset, videbat, vt varijs commentis assueta antiquitas memoriæ tradidit.

Origen. lib. 7. con. Celsum prope finem.

Galea Plutonis qualis?

Hanc igitur galeam, & illum annulum quamuis haberet aliquis, etiam ab isto nihil, quod sit iniustum & prauum, committi debere, quando sensit Plato, nonnè omni prauitati & improbitati penitùs insitam esse malitiam odio dignissimam vidit? Multò tamen euidentiùs homo Christianus id videre potest. Cum enim omnis priuatio à bono, quo priuat, suam magnitudinem sumat, quis non cernat, peccatum esse summum & infinitum malum, quod non solùm cælesti gratia, & æternâ vitâ, sed etiam ipso Deo, qui est infinitum bonum, homines

Peccatum est summum & infinitum malum.

S. Thomas 1. part. q. 48. art. 6. mines priuat? Legatur S. Thomas, cuius certa & ab omnibus recepta doctrina est, malum culpæ, esse longè maius & grauius omni malo pœnæ, tam sensus quàm damni: ita vt tolerabilius sit æternis ignibus torreri, & visione diuina carere, quam peccatum committere. Probat hanc doctrinam, tum quia ob malum culpæ fit aliquis malus, non autem ob malum pœnæ, secundùm illud S. Dionisij: Puniri non est malum, sed fieri pœna dignum: tum quia Deus potest esse, & sæpè est auctor mali pœnæ: nunquam autem est, nec potest esse auctor mali culpæ, vtpote eius, quod diuinæ bonitati repugnat.

Dionys. cap. 4. de Diuin. Nom.

Chrysost. serm. 1. de Ieiunio. Dicat ergo S. Chrysostomus, & sæpiùs repetat: Primùm, id est, summum malum est, esse malum.

Peccata sunt fructus imperfecti. Sunt etiam peccata, secundùm versionem Symmachi, fructus imperfecti. Non inuitè patiuntur se huc adduci verba illa Dauidis: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur.* Quæ explicans Bellarminus, ait, illis prædicari hanc scientiam Dei, quia ipse vniuscuiusque corpus, nondum perfectè in vtero materno formatum & membris distinctum, quod embryonem vocamus, videt, quidque ex eo futurum sit, cognoscit. Habet enim omnium rerum ideas, & in mente sua diuina, veluti in libro quodam, vniuersa, quæ aliquando futura sunt, conscripta possidet. Dicit deinde Bellarminus, posse eadem verba intelligi de quibuscunque imperfectionibus ad animam pertinentibus, à quibus per singularem Dei gratiam ad sublimem perfectionis gradum multi prouehuntur. Talibus imperfectionibus quælibet peccata annumerare, nihil prohibet: præsertim cum S. Augustinus, verbis Psalmi commemoratis, cum Deo Patre Christum loquentem inducens, per, Imperfectum, intelligat Petrum grauiter peccantem, siue, vt S. Doctor ait, pollicentem & negantem, præsumentem & deficientem.

Psal. 138. ℣. 16. Bellarminus ibid.

August. in Ps. 138.

Quid

Quidni verò peccata sint meræ imperfectiones, quibus deest illa perfectio & plenitudo à sancto Paulo commendata: *Vt stetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei.* Omne enim peccatum (inquit S. Bernardus) contra Dei mandatum præsumitur. & paucis interiectis ait: In hoc genere transgressionis, scilicet leuioris, sunt nonnulla stultiloquia, seu vaniloquia, & quæque otiosè dicta, facta, & cogitata. Huiùsmodi enim nunquam nisi contra mandatum, & Dei mandatum vsurpantur. Peccata quippe sunt, & Deus prohibet omne peccatum. Hæc Bernardus, quæ etiam supra attuleram, & quomodo intelligi debeant, indicaueram.

Peccata sunt meræ imperfectiones. *Colos. 4. ℣ 12.* *Bernard. tract. de præcepto & dispens. cap. 14.* *1. Parte operis cap. 5.*

Atque his peccatorum imperfectionibus competit Psalmographi dictum, quòd à Deo videantur, & in libro diuinæ scientiæ scribantur. Ostensum id fuit Prophetæ Ezechieli, quando inter sex viros diuinæ iustitiæ administros, apparuit *vir vnus atramentarium scriptoris, ad renes* appensum gerens. Vbi S. Hieronymus cum communi sententia per virum intelligens Christum, sic de illo inquit: Habebat atramentarium scriptoris ad renes suos, quo omnium peccata describeret, & Sanctorum à peccatoribus numerum segregaret.] *Psalmograph. 138. ℣. 16.* *Ezech. 9. ℣. 2.* *Hieron. in 9. Ezech.*

Peccata sũt spinæ.

Jam quòd eadem peccata sint spinæ, tam notum est, vt S. Chrysostomus illa verba superiùs adducta, ex interpretatione Septuaginta, & Theodotionis sic legens; *Expectaui, vt faceret vuas, & fecit spinas;* non dubitârit scribere: Vides, quia vbique scriptura spinas dicit peccata? Etenim etiam Dauid inquit: *Conuersus sum in miseria, dum infigeretur mihi spina.* Non enim simpliciter penetrat, sed infigitur. Et si parùm peccati remaneat, & non totum euellamus, ipsum parum facit dolorem similiter, sicut in spinis. Et quid dico ipsum parum? Et postquam spina exempta fuerit, per multum tempus plagæ dolorem relinquit, & opus habet cura- *Chrysost. Hom. 10. in Epist. ad Hebr.* *Psalm. 31. ℣. 4.*

curatione multa & medicina, vt tandem à dolore liberemur. Non enim sufficit euellere tantum peccata, sed etiam curare locum, qui percussus est.]

Missis alijs, aduerte in his verbis S. Chrysostomi, quòd peccatum instar acutæ spinæ vulnus animæ infligat. Cum Lamech, vt antiqua Hebræorum traditio refert, Cainum proauum suum in densis syluis vagantem offendisset, feramque illum esse existimans, sagitta confixum occidisset, errore deprehenso dicebat: *Occidi virum in vulnus meum.* Imitando eum meritò quiuis peccator dixerit: Commisi peccatum in vulnus animæ meæ: vulnus autem graue, quod me omnibus tormentis acerbiùs excruciet. Quæ enim (vt S. Ambrosius scripsit) pœna grauior, quàm interioris vulnus conscientiæ? Ita fit, vt interdum cruciatus, pro peccato positus, in scriptura reperiatur. Vbi enim Philisthinis dicitur: *Reddite ei pro peccato,* alia lectio habet: Reddite ei pro cruciatu. Aduerte item inflicta animæ per peccatum vulnera, sensim & lentè curari: quod etiam docuerunt, qui apud Oseam Prophetam de Deo dixerunt: *Percutiet & curabit nos.* Nam verbum Curabit, à chirurgis longo tempore magna vulnera curare solitis, sumptum est. Manifestè hoc patet intelligenti vim verbi Hebræi VEIACHBESSENV, vt intelligebat Pagninus, qui vertit: Alligabit fascia nos, cum Latina versio habeat; Curabit nos. Intelligebant etiam Septuaginta interpretes, qui pro illo eodem verbo substituerunt Græcum μοτώσει, id est, linamentum seu linteum concerptum, in nostra vulnera inseret. Et ideò S. Hieronymus: Pro eo, inquit, quod nos diximus, Curabit, omnes similiter transtulerunt μοτώσει: propriè autem μότα appellantur linteola, quæ inseruntur vulneribus, vt putridas carnes comedant, & extrahant purulentias: artisque medicorum est, grandia vulnera longo sanare tempore, & per dolorem reddere sanitatem.]

Genes. 4. ℣. 23.

Ambr. l. 3. Offic. cap. 4.

1. Reg. 6. ℣. 3.

Peccatum magnus est animæ cruciatus.

Osee 6. ℣. 2.

Peccata grauia & longo vsu confirmata, diu curanda.

Hieron in Osee cap. 6.

Cui

Cui non sufficit hæc inter peccata & spinas similitudo à S. Chrysostomo tradita, huic facilè alia occurret. Solent spinæ ita inter se implicari, suisque aculeis veluti quibusdam hamis connecti, vt si aliquam ex eis trahas, multæ illam sequantur. Solent etiam peccata, arcta quadam societatis colligatione stringi, vt vix aliquod eorum reperiatur soliuagum: sed quamprimùm patratum fuerit, alia atque alia illud comitentur. Non latebat hoc S. Gregorium, qui scripsit: Peccatum, quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit. Vnde fit, vt non solùm peccatum sit, sed peccatum, & causa peccati. Ex illo quippe vitio culpa subsequens oritur, ex quo cæcata mens ducitur, vt peiùs ex alio ligetur.] Licet adiungere, quæ de eadem peccatorum cum peccatis connexione, aliquot in locis sanctus Augustinus docet, cuius etiam de productione spinarum sententia, rei præsenti fauet. Sentit enim priùs Adamum peccasse, tum deinde spinas in mundo comparuisse. Dicendum est, inquit, quòd per peccatum hominis terra maledicta sit, vt spinas pareret: non vt ipsa pœnas sentiret, quæ sine sensu est; sed vt peccati humani crimen, semper hominib⁹ ante oculos poneret: quo admonerentur aliquando auerti à peccatis, & ad Dei præcepta conuerti. In hac autem sententia secutus est sanctus Augustinus D. Basilium, qui etiam censuit, rosam, ante primi hominis peccatum, sine spinis generatam esse, & nonnisi post illud, spinis, tanquam germana peccatorum sobole inhorruisse.

Peccatum admissum alia atque alia peccata comitantur.

Greg. lib. 25. Moral. cap. 12.

Augustin. in enarrat. Psal. 130. & in expos. Psal. 139.

Idem lib. 1. de Genes. contra Manich. cap. 13.

Post peccatum comparuerunt spinæ.

Basil. Hom. 5. in Hexam.

Ad extremùm peccata esse fructus putidos, & odoris teterrimi, legenti Sacram scripturam, quæ id ostendant, passim fiunt obuia. Quæ enim est sordes illa, quæ ita peruagatur omnes, vt Iob, secundum Septuaginta interpretes dixerit: *Quis enim mundus erit à sorde? sed nullus, si & vnus dies vita eius in terra?*

Peccata sunt fructus putidi & odoris teterrimi.

Iob 14. v. 4.

Orig. Hom. 8. in Leuit. Communiter antiqui Patres, Origenes, Clemens Alexandrinus, Augustinus, Basilius, & alij, peccatum originale sic vocari affirmant. Quæ sunt vestes sordidæ, quibus Iesum filium Iosedec indutum, Propheta Zacharias vidit? Explicauit Angelus, qui ademptis illis vestibus dixit: Ecce abstuli à te iniquitatem tuam. Quæ sunt illæ fæces, quarum meminit Deus, per Sophoniam dicens: Et visitabo super viros defixos in fæcibus suis? Peccata rectè fæces dicuntur, propter fœditatem & horrorem, inquit ibi commentarius Riberæ: ex quibus per veram pœnitentiam erutus homo, iure Deo cantare debeat: *Exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis.* Quod est illud cadauer putridum, cuius Propheta Isaias, cum tanta execratione, mentionem facit? Cadauer Diaboli putridum (inquit S. Hieronymus) ob magnitudinem peccatorum dubitare non poterit, qui legerit, peccatum esse fœtidissimum, ipso peccatore dicente: *Computruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.* E contrario Virtus boni odoris est. Vnde & spiritualium fratrum dilectio comparatur vnguento, *quod descendit super barbam, barbam Aaron, & super oram vestimenti eius.* Et ad sponsam sponsus loquitur: *Odor tuus suauis & facies tua speciosa.* Hæc Hieronymus.

Clemens Alexand. l. 3. Strom. ad finē.
Augustl. lib. 20. de Ciuit. cap. 26.
Basil. in Psal. 32.
Zach. 3. ℣. 4.
Soph. 1. ℣. 12.
Ribera in 1. Soph. Num. 74.
Psalm. 39. ℣. 3.
Isaiæ 14. ℣. 19.
Hieron. in 14. Isa.
Psalm. 37. ℣. 6.
Psalm. 132. ℣. 2. & 3.
Cant. 2. ℣. 14.

Grauem peccatorum odorem sentit DEVS.

Porrò hunc tam grauem peccatorum odorem, sentit inprimis Deus, eoque irritatus, homines illum exhalantes, accommodato supplicij genere punit. Conspexit tale supplicium mundus, quando teste Sacra scriptura, *super Sodomam & Gomorrham sulphur, & ignem Dominus pluit.* Considerans hoc Rupertus interrogat: Quare non qualemcunque ignem, sed ignem pluit sulphureum? tum sic respondet: Quia carnes eorum, scilicet incolarum, qui in illis ciuitatibus habitabant, non qualiscunque luxuriæ, sed eius libidinis igne arserant, quæ est contra naturam. Quia ergo talem carnis fœtorem

Genes. 19. ℣. 24.
Rupertus lib. 6. in Genes. cap. 13.

mise-

miserant, ad cœlum, recte de cælo fœtorem igneum vel ignem fœtidum receperunt.] Videtur autem Rupertus à S. Gregorio ista accepisse, qui similima habet. Est etiam talis supplicij exemplar tartareus ignis, quem fœtidum esse, vt sunt quoq; peccata fœtida, quæ per illũ puniuntur, docet S. Ioannes Euangelista, cum infernum stagnum ignis & sulphuris vocat. *Greg. lib. 4. Dial. cap. 36.* *Apocal. 20. ℣. 9.*

Præter Deum, quòd etiam Angeli fœtorem peccatorum sentiant, demonstrauit ille Angelus, qui, vt inter alios, S. Antoninus refert, cum se itineris comitem cuidam Eremitæ adiunxisset, in fœtidissimum cadauer incidens, nullo signo alicuius nauseæ & detestationis dato, illud præterijt. Cum verò post aliquantò, quidam iuuenis splendidè vestitus, & equo phalerato vectus obuiam fieret, mox illum oculis fugere, & naribus obturatis, longiùs à recta via declinare cœpit. Causam roganti Eremitæ respondit, maximum peccatorum fœtorem esse: qualem cum ille iuuenis lasciuus, exspiraret, continere se non potuisse, quin fastidium suum prodere. Interdum nonnullis hominibus, vt eundem sentiant, quòd concedat Deus, Catharinæ Senensis, & Mariæ Oegniacensis, aliorumque plurium exempla declarant. Multò autem magis de hominibus ad æternam beatitudinem iam admissis id affirmari debere, S. Gregorius ostendit exemplo S. Faustini Martyris, in cuius Ecclesia Valerianus, nominis quidem amplitudine & generis nobilitate clarus, sed, vt à S. Doctore appellatur, vsque ad decrepitam ætatem leuis ac lubricus, cum sepultus esset, proxima post sepulturam nocte, custodi sacrarij apparens nominatus Martyr, iussit moneri Episcopum, vt ex suo templo fœtentes carnes eijceret. Ita vocabat Valeriani recens humatum corpus, quòd multa peccasset, & intolerabilem cælitibus fœditatem odoris, ex varijs delictis contraxisset.

Sentiunt & Angeli, peccatorum fœtorem. *Anton. 4. par. Sum. tit. 14. c. 6. § 1.*

Interdum sentiunt homines, sancti præsertim & beati. *Greg. lib. 4. Dial. cap. 52.*

Labru-

Labruſcas igitur, ſeu, vt alij ſupra indicati interpretes tranſtulerunt, imperfectos & peſſimos fructus, ſpinas item & vuas putidas generant homines: quantumlibet ſibi perſuadeant, quòd ſolos fructus laudabiles, dignoſque qui diuinæ menſæ inferantur, generent. Comparat tales eximius auctor, cum illis idololatris, qui teſte Daniele Propheta, varios cibos in fanum Bel, quotidie comportabant, coſque à ſuo Deo conſumi putabant: re autem vera ſacrificuli & vxores, filijque ipſorum, nocte concubia, per ſubterraneos meandros in fanum irrependo, omnes deuorabant. Similiter enim plurimi etiamnum reperiuntur, qui ſua opera Deo eſſe accepta iudicant; cum interim ab illo non guſtentur, ſed vel à vana gloria, vel ab alijs vitijs conſumantur. Copioſè id tractat ſanctus Bernardus, vbi inter alia ſic ait: Audi ipſum, nempe Chriſtum, quo ſe dicat cibo ali: *Meus, inquit cibus eſt, vt faciam voluntatem patris mei.* Verbum Verbi eſt, apertè indicantis, eſſe ſuum cibum factum bonum, ſi tamen inuenerit illud inter lilia, hoc eſt, inter virtutes. Alioquin ſi extra reperit, & bonus (quod in ſe eſt) videtur cibus, non tanget illum is, qui paſcitur inter lilia. Verbi cauſa, non recipit eleemoſinam de manu raptoris ſeu feneratoris: ſed nec hypocritæ quidem, qui cum facit eleemoſynam, facit cani tuba ante ſe, vt glorificetur ab hominibus. Sed nec illius orationem aliquo modo exaudiet, qui amat orare in angulis platearum, vt ab omnibus videatur. Nempe oratio peccatoris execrabilis erit. Fruſtra quoque offert munus ſuum ad altare, qui conſcius eſt ſibi, quòd frater ſuus habet aliquid aduerſum ſe. Hæc ibi & alia ſanctus Bernardus.

Magnus hominum error.

Oſor. feria 6. poſt Dom. 2. Quadrag. Daniel. 14.

Bern. ſuper Cant. ſerm. 71.

Ioan. 4. ℣. 34.

Cant. 2. ℣. 16.

Matth. 6. ℣. 2.

Ibid. ℣. 5.

Matth. 5. ℣. 23.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

Omnes & singuli homines quòd sint vitiosæ vites, habeantq; quod in se ipsis putent, probatur primò illo Salomonis dicto: Septies enim cadet iustus, & resurget. Prouerb. 24. ℣. 16.

ALfonsus Hispaniæ Rex, cùm aliquando (vt refert Ferdinandus de Salazar) libri cuiusdam externas tabulas, quibus contextus erat, digitis pulsaret, & ab aulico Principe rogaretur, quid crebris pulsibus quateret, sic occurrit: Nequaquam ad surdum clamo: & aperto libro subiecit: Discede, nam mihi pulsanti iam respondere incipit. Faciat idem, quisquis vult cognoscere, num aliquis hominum reperiatur, de quo affirmare liceat, quòd sit vitis, quæ nulla putatione opus habeat, & nonnisi optimos fructus generet. Sumat, inquam, vel solos veteris testamenti libros, pulset, & quid ea de re sentiant, interroget: certoque nullum talem reperiri, à quolibet eorum, imò à plurimis cuiuslibet libri paginis, responsum accipiet. Nobis interim sufficiat vnicum illud Regis Salomonis responsum: *Septies enim cadet iustus, & resurget.*

Salaz. in 2. cap. Prouerb. ℣. 4. Num. 22.

Prouerb. 24. ℣. 16.

Cuius dicti occasione, mox afferendis duo præmitto. In primis aduerbium hoc, Septies, idem hîc sonare, quod sæpè vel sæpiùs. Frequenter enim in diuinis libris (vt annotauit S. Augustinus) certus & definitus numerus pro incerto & indefinito vsurpatur: vt cùm dicitur: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*, id est, multa millia: *Da partes septem nec non octo*; id est multis: *Centuplum accipiet*, id est, multò plura, vt sanctus

Numerus certus pro incerto in scriptura Sacra vsitatus.

August. 11. de Ciuit. cap. 31.

Psalm. 90. ℣. 7.

Eccles. 11. ℣. 2.

Matth. 19. ℣. 29.

Luca 18. ℣. 30. ctus Lucas Euangelista explicuit. Deinde cùm Salomon nominat iustum, non illâ iustitiâ hominem præditum intelligit, quæ ex numero virtutum Cardinalium est vna, quamque S. Ambrosius definit: Iustitia est virtus, quæ suum cuique tribuit: alienum non vendicat: vtilitatem propriam negligit, vt communem custodiat. Est enim præter hanc iustitiam alia interna, quæ in rectâ fide ac dilectione Dei consistit, & propter quam homo vicissim à Deo diligitur, amicusq; eius efficitur. Meminit huius iustitiæ S. Paulus ad Romanos scribens: *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.* Est & iustitia moralis dicta, cuius est, opera bona & actus virtutum exercere; præcipuè verò Decalogi præcepta, & quæ ad illum spectant, diligenter seruare. Talem iustitiam commendabat Deus per Prophetam Ezechielem illis verbis: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vitâ viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quæ operatus est, non recordabor: in iustitiâ suâ, quam operatus est, viuet.* Memorabilis quoque iustitia est, legalis à nonnullis appellata, ad quam pertinebat legem antiquam per Moysem traditam exequi, & quæ circa religionem cultumque Dei, potissimùm autem circa sacrificia sacrosque ritus præscripta erant, inuiolata retinere. Laudem habet ista iustitia in illis verbis Psalmistæ: *Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda.*

Iustitia multiplex.

Ambr. lib. 1. Offic. cap. 24.

Rom. 3. ℣. 22.

Ezech. 18. ℣. 21. & 22.

Psalm. 18. ℣. 9.

Atque hac triplici iustitiâ ornatum hominem intelligit Rex Salomon, cum iustum nominat: vel quod idem est, qui communiter solet dici sanctus, hunc ille vocauit iustum, retento vocabulo Sacræ scripturæ familiari, & ita vsitato, vt etiam nouæ legis libri frequenter eo vtantur, dum Iosepho sanctissimæ Virginis sponso, alteri item Iosepho decurioni, Ioanni Baptistæ & paren-

Matth. 1. ℣. 19.
Lucæ 23. ℣. 50.
Marci 6. ℣. 20.
Luca 1. ℣. 6.

parentibus eius Zachariæ, & Elisabeth, Simeoni, Cornelio, & alijs hoc nomen tribuunt. *Luc. 2. ℣. 25. Actor. 10. ℣. 22.*

His ita præmissis, videndum est, qualemnam casum & cuiusmodi resurrectionem intelligat Salomon, cum de iusto pronuntiat, quòd septies, id est frequenter, & cadat & resurgat. Examinans hoc pronuntiatum S. Augustinus ait, quòd Salomon, non de iniquitatibus, sed de tribulationibus ad humilitatem perducentibus, dictum suum intelligi voluerit. Sentit ergo Salomonem asseruisse, quòd homines iusti crebrò in varias calamitates incidant, ex quibus tamen, singulari Dei auxilio adiuti, feliciter & citò emergant. *August. lib. 11. de Ciuit. cap. 31.* Verborum Salomonis interpretatio S. Augustini.

Equidem libenter quisque concesserit, iustos homines plerumque rebus aduersis conflictari. Innuit hoc prudens Abigail, cùm Dauidi diceret: *Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima Domini mei custodita, quasi in fasciculo viuentium.* Cur enim homines iustos fasciculum viuentium appellauit? Magni momenti sunt huius appellationis causæ, quas Blasius Viegas breuiter attingit. Illa ad rem præsentem spectat, quòd sicut fasciculus, ne quid eorum, quæ complectitur, excidat, constringi solet: ita iusti, ne malitiâ animi quidpiam noxium committant, & lenocinijs blandæ fortunæ remissiores facti, gratiam diuinam perdant, tribulationibus stringuntur. Iusti in varias tribulationes incidunt. *1. Reg. 25. ℣. 29.* Fasciculus viuentium cur vocentur. *Viegas in 3. Apoc. com. 2. sect. 4.*

Qui eas abundè senserat, dilucidè scripsit: *Multæ tribulationes iustorum.* Vbi quamuis textus Hebræus non plurali Iustorum, sed singulari numero, Iusti, habeat, vt Genebrardus & Bellarminus obseruârunt, ideoque nonnulli censeant, Christum à Dauide sic vocatum esse, qui solus verè fuerit iustus, & multis tribulationibus pressus: dubium tamen non est, voluisse Psalmistam, non vnius, sed vniuscuiusque iusti, & quod consequens est, omnium iustorum tribulationes memorare. Hanc mentem eius cùm *Psalm. 33. ℣. 20.* *Genebrar. in eundem Psalm. & Bellarm.*

Septuaginta assecuti essent, rectè & ipsi plurali numero dictum nomen verterunt.

Clarissimus earundem tribulationum narrator est S. Paulus, cuius est vox illa, à Salomone priùs aliquâ sui parte vsurpata: *Quem enim diligit Dominus castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Cuiusmodi voce quinque nobis proponuntur expendenda.

Hebr. 12. ℣. 6.

Prouerb. 3. ℣. 11.

Notanda quinque circa tribulationes iustorum.

Primum, vitam iustorum in hac vitâ degentium esse instar illius diei, quem, vt maximè festum & solennem Lacedæmonij agebant, & διαμαστίγωσιν, id est flagellationem vocabant. Illo enim die, in Dianæ Orthiæ fano, nobilissimi quique adolescentes flagellis cædebantur: tantumque abfuit, vt parentes vel propinqui circumstantes eos miserarentur, verberibusque subducere vellent: vt potiùs ad omnes ict⁹ constantissimè excipiendos, imò ad ipsam mortem, si ita fors ferret, gloriosè obeundam, illos hortarentur. Memorat hanc antiquam consuetudinem inter alios Tertullianus: Quæ hodie, inquit, apud Lacedæmonas solennitas maxima est, διαμαστίγωσις, id est flagellatio, non latet. In quo sacro ante aram nobiles quique adolescentes flagellis affliguntur, astantibus parentibus, & propinquis, & vt perseuerent, adhortantibus. Ornamentum enim, & gloria deputabitur maiori quidem titulo, si anima potiùs cesserit plagis, quàm corpus.]

Tertul. lib. ad Mar. cap. 4.

Secundum. Flagellationem iustorum cum dilectione ab Apostolo coniungi. Quòd enim Deus flagellet iustos, non ex aliquo erga illos odio, sed potiùs ex magno amore id prouenit: sicut etiam non ira, sed amor persuadet medico, vt ægroto, quem vult sanare, amara pharmaca, venæ incisionem, & id genus alia præscribat. Hinc illud Augustini: Intelligat homo medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento posi-

August. in Psalm. 21. expos. 2.

positus, vreris, secaris, clamas: non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem.]

Tertium. Rite eum nominari filium, quem Deus flagellat. Tribulatio enim est nota, quâ legitimus quisque Dei Filius ab illegitimo discernitur. Hoc modo discernendi vtitur ibidem S. Paulus, cùm Hebræis ait: *Quod si extra disciplinam*, id est, afflictionem & tribulationem, *estis, cuius particeps facti sunt omnes: ergo adulteri* (Græcè νόθοι, id est spurij) *& non filij estis.* Idem S. Paulus, cùm videret, Titum multis ærumnis affici, vocauit eum legitimum filium. Ita enim propriè sonat nomen γνήσιος vel γενήσιος, id est, genuinus: licet latina versio pro legitimo dicat dilectum. Et verò dicta nota admirationem meretur. Filiorum & nepotum Seleuci Regis, vt Iustinus & Pierius referunt, nota fuit anchora, quam in femore cuiuslibet illorum natura exprimebat: eò quòd & ipse Seleucus anchorâ similiter femur signatum habuerit. Thebani, teste Homero, vt sui filij vbicunq; essent, Thebis oriundi agnoscerentur, postquam quintum ætatis annum implessent, ferro candente in frontibus eorum literam Græcam T, inurebant. His & alijs modis filios hominum signatos inuenimus: qui verò vnquam, præter filios Dei extiterunt, qui tolerandarum tribulationum notam & insigne habuerint?

Cap. 12. ℣. 8.

Ad Titum cap. 1. ℣. 4.

Iustinus lib. 15. Pierius lib. 45.

Anton. de Guenara lib. 2. cap. 41. Horol. Princ.

Quartum. Non reperiri vllum, qui quidem filius Dei sit, & à Deo non flagelletur. Absolutè enim Apostolus dicit, quòd Deus omnem filium flagellet. Expendens hoc S. Augustinus inquit: Ne te sine flagello speres futurum, nisi fortè cogites exhæredari. Flagellat enim omnem filium, quem recipit. Itané omnem? vbi te volebas abscondere? Omnem & nullus exceptus, nullus sine flagello erit. Quid? An non omnem? vis audire, quem omnem? Etiam vnicus sine peccato, non tamen sine flagello, videlicet Christus Dominus. Sic sic

Aug. ap. enarr. 2. in Psalm 31.

omnes ornantur à Deo tribulationum tolerantiâ, quam Tertullianus commendans inter cætera ait: Fidelem delectat, gentilem inuitat, seruum domino, dominum Deo commendat, feminam exornat, virum approbat: amatur in puero, laudatur in iuuene, suspicitur in sene: in omni sexu, in omni ætate formosa est.]

Tertul. lib. de patientia, cap. 17.

Quintum. Promptum esse Deum in expediendis flagellis, & castigandis filijs, mox vt eos pro suis agnouerit, & gratiâ suâ illos ditauerit. Veluti imaginem huius rei proponit S. Gregorius illud, quod Ezechieli Prophetæ faciendum præscripserat Deus: *Et tu fili hominis, sume tibi laterem, & pones eum coram te: & describes in eo ciuitatem Ierusalem: & ordinabis aduersum eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra. Et pones arietes in gyro.* Sensu historico ostenditur modus, quo Babylonij Hierosolymam obsessuri & oppugnaturi erant: at tropologico S. Gregorius indicari docet, quid de homine fiat, qui cælestis Hierosolymæ imaginem in sua anima gerit. Quasi enim iam Ierusalem (inquit S. Doctor) in latere descripta est, cùm terrena mens cœperit, quæ sint illa internæ pacis gaudia vera, cognoscere, & ad conspiciendam gloriam patriæ cælestis anhelare. Quasi interna visio pacis describitur, quando mens, quæ priùs terrena sapuerat, per amorem iam ad contemplandam gloriam regni cælestis eleuatur. Sed mox, vt animus amare cælestia cœperit, mox vt ad visionem pacis intimæ, tota se intentione collegerit, antiquus ille aduersarius, qui de cælo lapsus est, inuidet, & insidiari ampliùs incipit, & acriores, quàm consueuerat, tentationes admouet. Et paulò post: In qua anima pacis visio describitur (vbique ad etymon vocis Hebrææ Ierusalem alludit) ei necesse est, vt tentationum bella puntientur. Nam vt valeat ad illa pacis gaudia æterna pertingere, hanc hîc, proculdubio, oportet tribu-

Greg. Hom. 12. in Ezech.

Ezech. 4. ℣. 1. & 2.

Quò magis homo ad cælum tendit, eò acriùs à Diabolo impugnatur.

tribulationum certamina multa sustinere. Omnia hæc sanctus Gregorius.

Est ergo verissimum, quod supra commemoratus S. Augustinus tradidit, iustos homines, & sæpè, & in multas tribulationes cadere. Verissimum etiam quod addidit, huiusmodi tribulationes ad euitandam superbiam, ad virtutem autem humilitatis acquirendam multùm prodesse. Quis enim nesciat, tunc vel maximè arrogantes & intolerabiles quosdam spiritus in hominibus generari, cum eis omnia ex animi sententia succedunt? Nouerat hoc diuinus Vates, qui scripsit: *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideò tenuit eos superbia.* Vbi non sine causa Dauid eos, qui varijs laboribus à Deo fatigantur & flagellantur, bis appellauit homines; cum diuersæ sortis, nonnisi vel iniquos, vel peccatores vocet. Nempe is tantum verè homo est, qui virtutem colit, vt in aliquot locis S. Chrysostomus docet, doctus ipse ab Ecclesiaste, qui libro suo finem imponens, postquam dixisset: *Deum time, & mandata eius obserua*; statim subiunxit: *Hoc est enim omnis homo.*

Tribulationes humilitatem generant.

Psalm. 72. ℣. 5. & 6.

Chrysost. Hom. 23. in Genes. & Hom. 9. in 3m. 12. ad Cor & Hom. 23. ad popul.

Eccles. 12. ℣. 13.

Atque de his peccatoribus, prosperam semper & propitiam fortunam, quasi ex pacto habentibus, loquens Dauid, imprimis ait, eos cum hominibus non flagellari: sed simul innuit, statim post mortem cum Dæmonibus flagellandos, vt rectè S. Bernardus annotauit. Quamuis nonnunquam contingat, vt tales etiam ante mortem à Dæmonibus verè flagellentur. Horrendum est, quod in Polonia ante trecentos annos accidisse, Martinus Cromerus in hunc modum narrat: Homo quidam splendidus equestris ordinis, sed violentus, & rapax, cùm grauiter ægrotaret, admonitus crebrò à Religiosis viris, vt ad Dei clementiam confugiens animæ suæ saluti consuleret, negauit sibi veniæ locum relictum esse. Iam enim diuino iudicio traditum se esse Dæmonum

Bernard. in serm. ad Pastores.

Cromerus lib. 9.

Exemplum hominis rapacis terribile.

num potestati. Nec mora, audiuntur à circumstantibus vehementium verberum & percussionum strepitus. Apparent in corpore ægroti fædi liuores atque vibices, ita vt omnes obstupescerent. Inter hæc ille infelix nullam vocem, nullumque gemitum edens, ter infelicem animam exhalauit: hîc orsus supplicia, quæ deinde apud inferos æternùm expenderet.]

Pagninus.

Chaldæus.

Præterea dicit Psaltes; Ideò solùm, quia peccatores non flagellantur, Tenuit eos superbia, vel vt Pagninus ex Hebræo vertit: Torque ligauit eos superbia. Posset eodem Pagnino iudice, legi: Coronauit eos superbia. præsertim cum & Chaldæus talem hîc paraphrasim faciat: Ideò circumdedit eos superbia coronâ, quam imponunt capiti suo, de rapinis illorum est. Quomodocunque legatur, sensus non variatur, & Dauidicæ propositionis veritati nihil officitur. Certò enim omnes, qui nullis vnquam miserijs humanis inuoluuntur, tenet superbia, secundum vulgatam 70. versionem: tenet autem ligatos torque. Sit iste torquis aureus, quales vulgò solent esse propriè dicti torques, semper tamen erit hominum à superbia subactorum, & seruitutis impositæ signum, vt etiam fuit, cum Baiazetem Turcarum Imperatorem Tamerlanes vicisset, aureisque torquibus vinxisset. Certò item nominatos homines coronat superbia, illâ vtique coronâ de qua Isaias dixit: Væ coronæ superbiæ, vel vt ibi 70. habent ὑβρεως, id est iniuriæ, quam scilicet ijdem alijs inferunt.

Qui nihil vnquam patiuntur, facilè in superbiam eriguntur.

Isaiæ 28. ℣. 1.

Iusti in tribulationes cadentes quomodo resurgant.

Cæterum ita iusti in tribulationes cadunt, vt mox resurgant. Resurgunt autem, quando illis pressi, non tantum aliqua erga Deum indignatione non mouentur: sed etiam ad agendas ei gratias excitantur. Tali modo Iob resurgebat, cuius inter illos ingentes ærumnarum omnium fluctus, vox constans fuit: *Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.*

Iob 1. ℣. 21.

Eodem

Eodem modo resurgebat S. Gregorius Nazianzenus, qui cum in morbum incidisset, graueſque dolores sentiret, dicebat: Gratias ago, vt in lætis rebus, ita etiam in acerbis: quandoquidem illud exploratum habeo, nihil rerum nostrarum, apud summam rationem, expers rationis esse.] Et ideò iustis conuenit emblema illius Poëtæ, qui cum testudinem, citharam, & alia similia instrumenta musica pinxisset, tale illis lemma subscripsit: Non percussa silent. Quamuis enim semper inueniatur *vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum*, vt testatur Dauid, præcipuè tamen per id tempus omnia apud eos diuinis laudibus resonant, quo calamitate aliquâ premuntur. *Psalm. 117. ℣. 15.*

Iusti in tribulationibus florent.

Resurgunt etiam iusti, quando qui in tribulatione iam iam videbantur perituri, vitam laudabilem & floridam viuere incipiunt. An non laudabilis vita, quam ne vllus reprehendere audeat, monet Eusebius Emyſsenus: Cauete inquit, ne bonam vitam, si quando afflictionibus subditam videritis, miseram iudicetis: cauete, ne in arena mundi, in quam ad subeundos agones missi sumus, aliquam felicitatem expectandam putetis. Beatitudo hîc parari potest, acquiri non potest.] An non florida, quam iustus agens, floret inter cruciatus, vt scripsit S. Gregorius Nazianzenus, ac vitæ molestiam, virtutis segetem existimat, atque in aduersis gestit & gloriatur?] Ibidem, S. Doctor memorat arborem, cum qua iustus quisque decenter conferri possit. Est, inquit, quædam in fabulis arbor, quæ, cum cæditur, viret, & aduersus ferrum certat, ac, si de re nouâ, nouo more loquendum est, morte viuit, & sectione pullulat, atque eum absumitur, crescit. Meminit & Plinius arborum; quas, cum cecidissent, spontè resurrexisse ait. Inter eas numerat vlmum, quæ decisis omnibus ramis, & vertice amputato, cum solus truncus remaneret, sibi ipsi ita restituta

Euseb. Hom. de Mart.

Nazian. orat. 28.

Plinius lib. 16. cap. 32.

ſtituta fuit, vt protinus floreret. A quo deinde tempore (inquit Plinius) maieſtas populi Romani reſurrexit, quæ ante vaſtata cladibus fuerat. Nonné & iſti arbori iuſtus ab aduersâ fortunâ rebus ſpoliatus, quarum amore homines capiuntur, aptè conferretur? Aptè quoque compararetur tam cum armoracea herba, quæ conculcata viret, & obtrita aſſurgit: quàm cum amarantho, cui ea vis ineſt, vt, quod ipſo vocabulo Græco indicatur, nunquam marceat, tabeſcat nunquam. Sed præ his omnibus, aptiſſimè ipſa ſcriptura Sacra iuſtum cum palmâ confert, dicens: *Iuſtus vt palma florebit.* Palma enim eius eſt vigoris, vt ſi ſuper ramos eius pondus aliquod ponas, deorſum non flectatur, ſed ſemper ſurſum tendat, & contra deprimens onus aſſurgat. Quod vnde proueniat, in quæſtionibus naturalibus indagat Plutarchus, attingitque nonnulla, quæ iuſto viro applicata facilè ſuggerunt, cur eius animus omni calamitate ſuperior euadat.]

Pſalm. 91. ℣. 13.

Plutarch. in Quæſtione Moral.

Iuſti in tribulationibus fortiores fiunt.

Ad hæc reſurgunt iuſti, vt bellum cum alijs atq; alijs calamitatibus inſtaurent. Hæc eſt enim calamitatis natura, quemadmodum ſanctus Chryſoſtomus obſeruauit, vt cum ſtrenuam animam nacta eſt, plus ei ad ſubeunda certamina promptitudinis ac roboris addat. Id ita eſſe, liquet. Nam compertum eſt, iuſtos, poſt deuictam aliquam calamitatem, paratiores & alacriores ad congrediendum cum qualibet fortunâ fieri, & re ipſâ præſtare, quod verbis duntaxat præſtabat Seneca, qui quoties Sextium legebat, ad fortiter cum aduerſis rebus dimicandum, expeditum ſe eſſe oſtentabat, & dicebat: Cum lego Sextium, libet omnes caſus prouocare, libet exclamare: Quid ceſſas fortuna? congredere, paratum vides. Libet aliquid habere, quod vincam; cuius patientiâ exercear.] Comprobatur, quod de iuſtis eſt dictum, exemplo Dauidis, qui quòd varijs huius vitæ

Chryſoſt. Epiſt. 17.

Seneca Epiſt. 64.

malis

malis exercitus fuerit, nihil illi videbatur graue, quod cunctaretur ferre, ideoque ad omnia se offerebat Deo: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Exemplo quoque magni illius Pancratiastæ Iobi, qui cum derepente & liberis & omnibus bonis orbatus esset, Tunc (inquit scriptura) surrexit, & scidit vestimenta sua. En Iob in superandis calamitatibus versatus promptissimè surgit, vt iterum in aciem, cum infestâ fortunâ præliaturus veniat. En vestimenta sua scindit, vt nudo pectore quæliber tela eius excipiat. Lege Origenem, vel eius nomine alium, pulchrè & copiosè hoc tractantem. Comperium quoque est, eosdem iustos per tolerantiam calamitatum, ad vincendas alias robustiores reddi. Nugantur Mythologi, cum narrant, quòd luctando cum Hercule Anteus, semper fortior surgeret, quotiescunque viribus Herculis superatus in terram caderet. Iustis hoc competit, qui verè cum in tribulationes aliquas cadunt, maiores animæ vires contra illas acquirunt.

Psalm. 56. ℣. 8.

Iob 1. ℣. 20.

Origen. lib. 1. in Iob.

O quàm longè abduxit me S. Augustini sententia, asserentis verba Salomonis, de prolapsione iustorum in varias tribulationes, & felici earum euentu intelligi debere. Redeo iam ad institutum ductu S. Hieronymi, S. Gregorij, S. Bernardi, Cassiani, & aliorum multorum, qui docent, de iustorum in peccata frequenti lapsu, Salomonem locutum esse. Quam doctrinam roborat ipsum hoc verbum Salomonis, Cadit. Cadere enim in Scriptura, idem interdum sonat, quod Peccare; vt patet ex illo Dauidis dicto: *Impulsus euersus sum, vt caderem.* Licet quidem verba ista referre ad illa pericula amittendi & regnum & vitam, in quæ toties cadebat Dauid, ingenti hostium multitudine impulsus: aptiùs tamen referuntur ad illud infortunium, quando idem Rex peccatum admittendo in tristem casum datus fuit. Ideoque Paraphrastes Chaldæus Dauidem sic loquentem inducit:

Altera interpretatio de prolapsione iustorum in peccata.

Hieron. Epist. 46. ad Rustic.

Greg. l. 6. in 1. Reg. cap. 15.

Bernar. serm. 2. in Cantic.

Cassian. coll. 22. cap. 13.

Cadere in scriptura idem sæpè quod peccare.

Psalm. 117. ℣. 13.

Chaldæus.

Impulsione impulit me peccatum meum, vt caderem. Scitè etiam Cassianus ad eadem Dauidis verba scripsit: Quid enim aliud est cadere, quàm peccare?] Accedit quòd planè peccato conueniat, vt sine impulsore eiusque impulsu non fiat? Quæris quis ille impulsor? inquit sanctus Bernardus, & respondet: Non est vnus. Impulsor Diabolus est: impulsor mundus: impulsor homo. Quis iste homo sit, quæris? Quisque sui. Noli mirari; vsque adeò homo impulsor sibi est, & suimet præcipitator, vt non sit, quod ab altero impulsore formides, si ipse à te proprias contineas manus. *Quis enim, inquit, vobis nocere poterit, si boni æmulatores fueritis?* Manus tua, consensus tuus.]

Bernard. serm. 85. in Cant.

1. Petr. 3. ℣. 13.

Hieron. loco cit.

Quamuis autem S. Hieronymus per peccata, in quæ, Salomone teste, etiam iusti sæpiùs cadunt, maiora & grauiora peccata intelligere videatur: congruentiùs tamen ad contextum, alij, quos adduxi, minora & leuiora intelligunt. Cùm enim Salomon monuisset impium, ne curiosiùs in vitam & actiones iusti inquirat, si fortè in domo siue in conscientiâ eius grande aliquod flagitium inuenire possit: connexè eundem docere debuit, sæpè quidem iustum in peccata cadere, sed in minuta & exigua, ex quibus facili negotio se expediat, & resurgat.

Quomodo iusti cadant in peccata, & resurgant.

Greg. Hom. 8. & 9. in Ezech.

Ezechiel. 2. ℣. 1. & 2.

Congruam huius casus, & resurrectionis imaginem proponit S. Gregorius Ezechielem Prophetam, qui de se ipso scripsit: *Cecidi in faciem meam, & audiui vocem loquentis: Et dixit ad me: Fili hominis sta super pedes tuos, & loquar tecum. Et ingressus est in me spiritus, postquam locutus est mihi, & statuit me supra pedes meos.* Nam inprimis iusti non solent communiter in profundum mortalium peccatorum cadere: sicut etiam Ezechiel, non in profundam aliquam foueam, sed in planam terram ceciderat. At verò impij profundè cadunt, cum promiscuè enormia, & supplicio æterno digna peccata committunt.

tunt.

tunt. Sunt instar illius stellæ, quæ Angelo quinto tuba canente, de cælo ceciderat: cumque data sibi claue, puteum abyssi aperuisset, tam densus ex ea fumus eruperat, vt & sol & totus aër obscuratus esset. Planè enim abyssus est quoduis lethale peccatum, quam peccator cum liberi arbitrij claue aperit, ingentes ex ea tenebræ prorumpunt, quibus lumen rationis opprimitur. Quocirca salubre consilium tali peccatori dat idem S. Gregorius: Attendat vnusquisque, in quo profundo iaceat, & quàm longè à Deo peruersè agens effectus sit. Clamet ad Deum totis viribus, qui intuetur abyssos, & sedet super Cherubim, donec de profundi tenebris erutus, superno illustretur lumine, & claritate perfruatur cognitionis diuinæ.] *Apocal. 9.* *Greg. super 6. Psal. Pœnitent.*

Deinde iusti cum cadũt, proni & in facies suas cadunt, non vt impij qui retrorsum & supini cadere solent. Vt idcircò exemplar iustorum præter commemoratum Ezechielem, sint etiam Abraham, Moyses, & illi tres discipuli, qui transfigurationi Christi adfuerunt. Hos enim omnes in facies suas cecidisse legimus. Impios verò repræsentat Heli, qui vt sacræ literæ testantur: *Cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est.* Repræsentant & illi Iudæi, qui duce Iuda, antequam comprehendissent Christum, abierunt retrorsum & ceciderunt in terram, vt S. Ioannes scripsit.] Iusti si cadant, proni cadunt. *Genes. 17. ℣. 3. & 17. Num. 16. ℣. 4. Matth. 17. ℣. 6. 1. Reg. 4. ℣. 18. Ioan. 18. ℣. 6.*

Quid verò sit, peccando cadere in faciem, sanctus Gregorius docet. In faciem, inquit, nostram cadimus, quia ex malis erubescimus, quæ nos reminiscimur perpetrasse. Ibi enim cadit homo, vbi confunditur. Vnde & Paulus quasi quibusdam in facie iacentibus dicebat: *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?*] Cadere ergo in faciem ex doctrinâ sancti Gregorij est, propter peccatum admissum erubescere, & præ verecundiâ vultum abscondere. Laudat talem cadendi *Greg. Hom. 8. in Ezechiel. & 9.* *Roman. 6. ℣. 21.* Iusti propter peccata sua erubescunt.

Greg. Hom. 10. in Ezech.

cadendi modum idem S. Doctor: Sicut verecundia, inquit, laudabilis est in malo, ita reprehensibilis est in bono. Erubescere enim malum, sapientiæ est: bonum verò erubescere fatuitatis. Vnde scriptum est: *Est confusio adducens peccatum: & est confusio adducens gloriam.* Qui enim erubescit pœnitendo mala, quæ fecit, ad vitæ libertatem peruenit. Qui vero erubescit bona facere, à statu rectitudinis cadit, atque ad damnationem tendit, sicut per Redemptorem dicitur: *Qui me erubuerit, & meos sermones: hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate suâ.*]

Eccles. 4. ℣. 25.

Luc. 9. ℣. 26.

Greg. Hom. 9. in Ezech.

Alterum modum in faciem cadendi, iustorum item proprium, idem S. Gregorius tradit: quòd iusti cum in peccatum cadunt, statim illud, etiamsi sit minimum, vident, & quòd Deum offenderint, pœnamque promeruerint, cernunt. Dispar impiorum ratio, qui cum retrorsum cadant, etiam ingentia delicta, &, quæ illa necessariò comitantur, tormenta, non aduertunt. Verba ipsius S. Gregorij sunt hæc: Quid est hoc, quòd electi in faciem, & reprobi retrorsum cadunt? nisi quòd omnis, qui post se cadit, ibi proculdubio cadit, vbi non videt: qui verò ante se ceciderit, ibi cadit, vbi videt. Iniqui ergo, quia in inuisibilibus cadunt, post se cadere dicuntur: quia ibi corruunt, vbi quid eos tunc sequatur, modò videre non possunt. Iusti verò, quia in istis visibilibus semet ipsos sponte deijciunt, vt in inuisibilibus erigantur, quasi in faciem cadunt: quia timore compuncti videntes humiliantur.]

Iusti lapsum suum facile vident.

Et quomodo statim resurgant, diligenter cogitant.

Præterea cum iusti cadunt, citra vllam moram has cogitationes suscipiunt, vt resurgant: & quidquid de sanitate animæ cadendo, deperdiderunt, id surgendo reparent. Talibus eorum cogitationibus accommodat Theodoretus illud Canticorum: *Capilli tui sicut greges Caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Rectè nimi-

Cant. 4. ℣. 1. Theodoretus ibid.

rum

rum cogitationes vocari possunt capilli, partim quòd ex mente, vt ex capite comæ, oriantur, ait ibidem apud Theodoretum trium Patrum commentarius: partim quòd sint subtilissimæ, vt S. Gregorius perpendens illam legem Dei, quâ iubebatur, vt Leuitæ omnes pilos carnis raderent, scripserit: Oportet Leuitas omnes pilos carnis radere, quia is, qui in obsequijs diuinis assumitur, debet ante Dei oculos à cunctis cogitationibus mundus apparere: ne illicitas cogitationes mens proferat, & pulchram animæ speciem, quasi pilis fructificantibus, deformem reddat.] Passim etiam Virginis sanctissimæ cultores, purissimis ei⁹ cogitationib⁹, adaptant illa sponsi verba: *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa: vulneraſti cor meum, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Nam vno etiam colli sui crine, id est, qualibet etiam minimâ cogitatione, Mater castissima cor Dei ad se attrahebat.

3. Patrum Commentum. *Numer. 8. ℣. 7.* *Greg. lib. 5. Moral. cap. 33.* *Cant. 4. ℣. 9.*

Itaque cogitationes iustorum, integram animæ sanitatem post lapsum procurantium, similes sunt gregibus caprarum, quæ cùm pascerentur in monte Galaad, pascebantur in loco non minùs salubri quàm fertili, vt & saturarentur, & si quæ languebant, sanarentur. Mons enim Galaad, non solius graminis, sed & præcipuarum arborum, aromatum, balsami, & variorum medicamentorum feracissimus fuit. Abundabat etiam pinis laudatissimam resinam copiosè sudantibus, quæ vulnera feliciter curabat, ideoque pretium habebat. Hinc illud Ieremiæ: *Nunquid reſina non eſt in Galaad? aut medicus non eſt ibi? Quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei.*

Ierem. 8. ℣. 22.

Ad extremum cum iusti cadunt, statim vt manum Dei adiutricem senserint, exemplo Ezechielis erigi se permittunt & surgunt, faciuntque satis illi S. Pauli monito: *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore.* Vbi S. Gregorius obseruat, non dixisse Apostolum, vt peccatum non sit, sed vt non regnet. Quamuis enim nemo

Iusti Deo illos erigenti parent.

Roman. 6. ℣. 12. *Greg. lib. 14. Moral. cap. 9.*

nemo præstare queat, vt sibi nullum peccatum insit: quilibet tamen efficere potest, vt in suo corpore non regnet, id est, sedem non figat. Ideò autem manus Dei adiutricis mentionem feci, quòd absque illâ, ne ex veniali quidem peccato iustus surgere valeat. Quam veritatem Catholicam attigit S. Gregorius, explicans illud Ezechielis: *Et ingressus est in me spiritus, postquam locutus est mihi, & statuit me super pedes meos.* Sic enim ad hæc verba scripsit: Ecce diuina vox iacenti Prophetæ iussit, vt resurgeret. Sed surgere omnino non posset, nisi in hunc omnipotentis Dei Spiritus intrasset: quia ex omnipotentis Dei gratiâ ad bona opera conari quidem possumus; sed hæc implere non possumus: si ipse non adiuuat, qui iubet. Sic Paulus cum discipulos admoneret, dicens: *Cum metu & tremore vestram salutem operamini*: illico quis in eis hæc ipsa bona velle, & perficere pro bonâ voluntate operaretur, adiunxit: *Deus est enim qui operatur in nobis, & velle & perficere, pro bonâ voluntate.* Hinc est, quod ipsa veritas discipulis dicit: *Sine me nihil potestis facere.*] Vtiliter legeretur S. Thomas in aliquot locis, in quibus de remissione tam venialium quàm mortalium peccatorum disputat. Omnia enim, quæ ad hanc remissionem tanquam necessaria requirit, Dei manum adiutricem postulant.

Idem Hom. 9. in Ezech.

Philip. 2. ℣. 12. & 13.

Ioan. 15. ℣. 5.

S. Thom. 1. 2dæ. Q. 109. art. 7. & 3. par. q. 87. art. 1. 2. 3.

Atque hæc manus nulli mortalium deest, quamuis in maximum peccatum prolabatur, vt prolixè demonstrat S. Hieronymus, scribens ad Rusticum, qui promissam continentiam violauerat, eique suadens, vt ad Sacramentum Pœnitentiæ confugiat, vel vt ipse S. Hieronymus loquitur, coronam pœnitentiæ ex speciosissimis sacræ Scripturæ floribus contextam, capiti suo imponat. Quo loquendi modo excitat memoriam illius narrationis, quæ refert artis medicinæ peritissimum Æsculapium, iter quadam vice cum faceret, in pasto-

Hieron. Epist. 46. ad Rustic. cap. 5.

Petr. Berchor. in Diction. Moral. V. Corona.

rem

rem cum basiliſco pugnantem ex improuiſo incidiſſe. Magna admiratione in eo defixus, quòd paſtori tanta ſui veneni diritate nihil noceret ſerpens, qui ſolo aſpectu non tantum homines, ſed etiam cunctas animantes interimere ſoleat: tandem conijcere cœpit, quòd venenum repelleret virtus alicuius ex floribus, quibus conſtabat corona, quam paſtor in capite gerebat. Explorandæ veritatis gratia, coronam illam longâ perticâ ex capite eius deiecit: cum ſubitò paſtor mortuo non abſimilis in terram corruit. Sed cùm rurſus in capite eius coronam repoſuiſſet, rurſus paſtor ſurrexit, pugnamq; cum basiliſco reſumpſit. Sit vnicuique, num aliquando talis corona extiterit, ambigere liberum: at verò id, quod ex diuinis libris de coronâ pœnitentiæ S. Hieronymus narrat, vel in minimum dubium vocare nefas. Quis enim dubitare audeat, coronam pœnitentiæ eius efficacitatis eſſe, vt animam in peccatum prolapſam erigat, & mortuæ vitam reſtituat? Cùm igitur omnibus, & ſingulis manum ſuam porrigat Deus, quis ſatis execretur homines impios, qui illam non tantũ non apprehendãt, ſed etiam deſpicatui ducant, iuxta illam ipſiuſmet Dei querelam: *Extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret?* *Prouer. 1. ℣. 24.*

Cum autem, teſte S. Paulo, diligentibus Deum, omnia cooperentur in bonum, meritò S. Auguſtinus docet, hæc ipſa peccata, in quæ cadunt iuſti, magno illis emolumento eſſe. Tale emolumentum eſt, quòd iuſti de ſeipſis humiliter & demiſſè ſentire diſcant. Diſcunt, inquit S. Auguſtinus, iuſti in ipsâ viâ cum tremore ſe exultare debere, non ſibi arrogando, tanquam de ſuâ virtute fiduciam permanendi, nec dicendo in abundantiâ ſuâ, non mouebimur in æternum: propter quod eis dicitur: *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de viâ iuſtâ.* Neque enim ait, & ne veniatis ad viam iuſtam; ſed, ne pereatis, inquit

Roman. 8. ℣. 28.

Pleriſque vtile eſt in peccata ceciderſe.

Auguſt. lib. de corrept. & gratia c. 9.

Pſalm. 29. ℣. 7.
Pſalm. 2. ℣. 11. & 12.

inquit de viâ iustâ. Quid ostendens? nisi eos esse commonitos, qui iam ambulant in viâ iustâ, vt in timore Deo seruiant, id est, non altum sapiant, sed timeant.]

Ambr. in Apolog. 1. Dauid. cap. 2.

Non minoris æstimanda duo emolumenta, à S. Ambrosio assignata, quorum alterum in hoc consistit, quòd iusti, si quando in viâ, quâ itur ad cælum, langueseere incipiant, ad alacriùs & feruidiùs currendum, ipsâ suâ in aliquod peccatum prolapsione excitentur. Sancti, inquit S. Ambrosius, qui consummare pium certamen gestiunt, & currere cursum salutis, sicubi fortè, vt homines corruerint, naturæ magis fragilitate, quàm peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo maiora reparantes certamina: vt non solùm nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiua cumulasse. Alterum, quòd faciliùs ad imitandas virtutes Sanctorum prouocemur, vtpotè eorum, qui æquè ac nos, naturæ fragilis, & ad peccandum procliuis fuerint. Verba S. Doctoris sunt. Sancti propositi nobis ad imitandum sunt: & ideò curatum est, vt & ipsi aliquando laberentur. Nam si inoffensum à vitijs, inter tot lubrica huius seculi, curriculum peregissent, dedissent nobis occasionem infirmioribus existimandi, cuiusdam superioris eos naturæ ac diuinæ fuisse, vt delictum recipere, & culpæ consortium non habere possent. Quæ opinio vtique, vt exortes nos illius substantiæ, ab impossibili imitatione reuocaret.]

Satis illustratum Salomonis dictum, eoque pariter ostensum, quod præsentis instituti fuit. Cum enim Rex sapientissimus generatim affirmet, iustos quoque in peccata, quamuis leuiora & minora cadere: quid aliud affirmat, quàm nullum esse hominem, qui vitis vitiosa non sit?

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

Eadem veritas probatur illis verbis à Christo traditis: Et dimitte nobis debita nostra.

NVllum reperiri hominem, qui vitis saltem aliquantùm vitiosa non sit, nec quod putetur habeat, vnico testimonio ex antiquâ lege desumpto, probatum est in præcedenti capite: vnicum & in præsenti, ex nouo testamento, ad eandem veritatem demonstrandam sufficiat. Vtor autem illo, quod à Christo Domino prodijt, quando Apostolos suos, & vniuersè omnes homines, sic æterno Patri supplicare docuit: *Et dimitte nobis debita nostra.* In quibus verbis, prout à S. Matthæo referuntur, quòd peccata nomine debitorum intellexerit Christus, declarauit subiungens: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra.* Sed & S. Lucas idem declarauit, cuius Euangelium expressè sic habet: *Et dimitte nobis peccata nostra.* *Matth. 6. ℣. 12.* *℣. 14.* *Luc. 11. ℣. 4.*

Porrò quando peccata vocantur debita, absit, vt quis etiam tenuissimâ cogitatione in hunc errorem incidat, quasi idcircò ita sint vocata, quòd illa Deo ab hominibus exigat, creditoris instar, qui à suis debitoribus, id quod sibi debetur, exigere solet. Nam in primis, quomodo Deus exigeret peccata, quæ illi necessaria non sunt, iuxta illud Ecclesiastici: *Non dicas: Ille me implanauit: non enim necessarij sunt ei homines impij?* Verùm quidem est, quòd neque iustis opus habeat Deus, bonisque illorum operibus & virtutibus non indigeat: *cum non sit indigens aliquo,* vt S. Paulus Areopagitis dixit. Et idcircò Iobum, & quemlibet iustum interrogat Eliu: *Si iustè egeris,* *Deus nulla peccata ab hominibus erigit.* *Eccles. 15. ℣. 12.* *Actor. 17. ℣. 25.* *Iob. 35. ℣. 7.*

egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tuâ accipiet? Huc etiam spectat illud apud Psalmistam. *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* id est, omnibus bonis affluis, humanâque iustitiâ non indiges. Verùm si quis bonum efficiat, ipse iuuatur: tibi verò nullum hinc emolumentum prouenit. Talem adductorum verborum periphrasim Theodoretus facit, addit-que: Nos à Deo bona recipimus, & ipse nostris iustis operibus non eget: propter nostram vtilitatem hanc legem, vt benè faciamus, constituit.] Eodem pertinet illa definitio, quâ, quid sit Deus, declarabant antiquorum Philosophorum nonnulli, vt Rhodiginus refert: Deus est viuens immortale, per semetipsum ad beatitudinem sufficiens: Essentia sempiterna, ipsius boni causa, ens incorporeum, aperimetron, beatum, beatificum, omnium Pater, optimum, nullâ re indigens, cuncta conferens.

Psalm. 15. ℣. 2.

Theodoretus in Psalm. 15.

Rhodig. l. 12. c. 2.

Attamen si qua indigentia fingi posset in Deo: non impijs & peccatis ipsorum, sed iustis & bonis eorum operibus indigeret. Iusti enim sunt lux, quam cum Ethnici aspiciunt, facilè notitiam Dei acquirunt, & in laudes eius celebrandas se totos effundunt, exclamant-que, vt S. Chrysostomus scripsit: Verè magnus est Christianorum Deus. Propterea commendans istam lucem Christus suis discipulis, dicebat: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Magistrum imitatus est sanctus Petrus, qui per epistolam alloquebatur Christianos: *Conuersationem vestram inter Gentes habentes bonam: Vt in eo, quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.*

Iusti ad agnoscendum Deum lumen præbent.

Chrysost. Hom. 9. ad Populum.

Matth. 5. ℣. 16.

1. Petr. 2. ℣. 12.

Iidem sunt imagines Dei.

Iidem iusti sunt viuæ imagines Dei, quæ multas eius proprietates perspicuas reddunt. Omnes quidem homi-

homines, teste scripturâ Sacrâ, *fecit Deus ad imaginem, & similitudinem suam*, eamque ita illis impressit, vt non aliter, quam tollendo humanam naturam, auferri ab eis possit. Proinde meritò compararentur cum celebri Mineruæ clypeo, quem nobilis sculptor Phidias narratur fecisse, atque in eum effigiem suam tam artificiosè inclusisse, vt ea integro clypeo, tolli omnino non posset. *Genes. 1. ℣. 26. & 27.*

Præcipuè tamen iustus quilibet hanc sibi laudem vendicat, quòd sit planè imago Dei, & expressa similitudo eius. Nescio quomodo id assecutus sit Plato, qui in libro 13. qui Theætetus inscribitur, ait: Deo similes efficit, cum prudentiâ, iustitiâ simul, & sanctitas paulò post: Deus nusquam & nullo modo iniustus, sed quàm iustissimus, totam videlicet iustitiæ complexus potestatem, nihilque illi simile, quàm iustissimus homo. *Plato in Theæteto.*

Iidem iusti sunt peculium Dei, secundum illud, quod ipse Deus populo suo dixit: *Eritis mihi in peculium*, id est, in peculiarem possessionem & pretiosum thesaurum. Cum enim tota antiquorum substantia pecoribus constaret, inde deducto peculij nomine vocabatur omne id, quod singulare, & magni pretij esset. Et idcircò Hieronymus ab Oleastro verba Dei adducta vertit: Eritis mihi thesaurus dilectus: & addit huic suæ versioni respondere in Hebræo vnicam dictionem SEGVLAH, cuius significatio etiam Hebræis non satis sit nota: illâ tamen denotari, quidquid pretiosum est, ex pluribus scripturæ locis, in quibus hoc nomen inuenitur, colligit. Iidem peculium Dei. *Exodi 19. ℣. 5.* *Oleast. in 19. Exod.* *Eccles 2. ℣. 8.* *Psalm. 134. ℣. 4.* *Malach. 3. ℣. 17.*

Quid consecter plura, quandoquidem ex dictis sufficienter constat, semper in iustis inueniri, quod Deo ipsi quodammodo conducat, cum interim nihil in peccatoribus reperiatur, quod eidem non obsit. Breuiter id S. Thomas perstrinxit dicens, quòd per actum hominis, Deo secundum se nihil possit accrescere vel deperire: sed tamen homo, quantum in se est, aliquid subtrahit *S. Thomas 1a. 2dæ. Q. 21. art. 4. ad 1m.*

hit Deo, vel ei exhibet, cum seruat vel non seruat ordinem, quem Deus instituit.

Sine contemptu Dei peccata committi non possunt.

Secundò. Quomodo peccata exigeret Deus, quæ sine aliquo ipsius contemptu committi non possunt? Cum magno dolore animi solent Sancti Patres de hoc contemptu agere, inter quos est, S. Augustinus, qui scripsit: Fecerunt ciuitates duas, amores duo: terrenam scilicet amor sui, vsque ad contemptum Dei; cælestem verò amor Dei, vsque ad contemptum sui. Est quoque S. Hieronymus, si non potiùs Paulinus Episcopus Nolanus, qui in epistola ad Celantiam: Nos, inquit, securo ac bono animo sumus, qui per singula quæque præcepta inhonorantes Deum clementissimum, ad iracundiam prouocamus, eiusque imperium superbissimè contemnendo, in tantæ maiestatis imus iniuriam. Quid enim vnquam tam superbum, quid verò tam ingratum videri potest, quàm aduersus eius viuere voluntatem, à quo ipsum viuere acceperis? quàm illius præcepta despicere, qui ideò aliquid imperat, vt causas habeat remunerandi.]

August. l. 14. de Ciuit. Dei, c. 28.

Hieron. Epist. 14. ad Celantiam.

Sed & ipse Deus frequenter de eodem contemptu queritur. Nam vt alia sileam, ei⁹ vox est de omnibus licenter & perditè peccantibus: *Verterunt ad me tergum & non faciem.* Vbi sanctus Hieronymus: Qui proijciunt (inquit) sermones Dei retrorsum, ipsi vertunt contra eum tergum, & non faciem. Quando enim Magister præcipit, obedientis indicium est, si demisso contra audiat capite: sin autem vertat tergum, signum est contemnentis.] Ibidem S. Doctor adducit illam alteram, & propositæ simillimam Dei querelam: *Auerterunt scapulam recedentem*, vel vt 70. habent: Dederunt dorsum contemnens. Proinde hoc etiamnum peccatores faciunt, quod olim in celebri Romanorum templo Pantheon dicto, operâ Dæmonum fiebat. Memoriæ

Ierem. 2. ℣. 27.

Hieron. ibid.

Zachar. 7. ℣. 11.

Didac de La Vega super Psalm. 1. Pœnit. cone. 3.

enim

enim proditum est, in illo templo, quamdiu Christiano ritu, Dei Matri sacrum non erat, vt iam nunc est, & sancta Maria Rotunda dicitur, simulacra plurimorum Deorum fuisse; præcipuè verò illorum, qui apud diuersas prouincias Romano imperio subiectas, venerationem habebant. Inter omnia principem locum tenuit simulacrum repræsentans Deum, quem Romani colebant, eique reliqua honorem deferre videbantur: quoad suæ prouinciæ aliud iuberent, nullamque defectionem molirentur. Statim enim vt aliqua illarum à Romanis desicere, & iugum ipsorum excutere volebat, simulacrum eius Romanorum simulacro tergum obuertebat. Hoc ipsum, vt dixi omnes qui peccant, faciunt: quia prauis cupiditatibus abstracti, cum offensionem quamlibet apud Deum suscipere non verentur, verè illi cum contemptu tergum obuertunt, & rebellionem faciunt. Meminit eius rebellionis paraphrastes Chaldæus, ad illa verba cum suo populo expostulantis Dei: *Filios enutriui & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me.* Nam loco verbi spreuerunt, paraphrastes nominatus habet; Rebellârunt contra. *Isaiæ 1. ℣. 2. Chaldæus.*

Tertiò. Quomodo Deus exigeret peccata, quæ, qui sincerè abominantur, & malitiam eorum benè penetrant, Deicidium appellare illa non dubitant? Equidem sciunt isti non posse Deo adimi vitam, de quo sanctus Paulus asseruit, quòd solus habeat immortalitatem, videlicet per naturam, & non per gratiam, vt sanctus Hieronymus explicat, hoc est, non aliunde, quemadmodum nos & Angeli, qui beneficio Dei, immortalitatis participes facti sunt, ideoque in nihilum redigi possunt. Quod cum etiam Plato non ignoraret, sic Deum cum Angelis loquentem inducit: Quia generati estis immortales, indissolubiles omnino non estis. Nec tamen vnquam dissoluemini, nec mortis fatum subibitis. Deicidium quoddam sunt peccata. *1. Ad Timoth. 6. ℣. 16. Hieron. lib. 2. contra Pelagianos. Plato in Timæo.*

tis. Nam voluntas mea, maius præstantiusque vobis est vinculum, ad vitæ custodiam, quàm nexus illi, quibus estis tunc, cum gignebamini, colligati. Sic Plato immortalitatem Angelorum diuinæ voluntati, seu Dei beneficio adscribens: vt & S. Ambrosius adscribit, solumque Deum per naturam & essentiam suam esse immortalem docens, inquit: Alia immortalitas suæ naturæ, alia nostræ est. Non sunt fragilia comparanda diuinis. Vna sola substantia diuinitatis est, quæ mori nescit. Vnde & Apostolus, cum sciret & animam, & Angelos immortales, quòd solus Deus immortalitatem habeat, prædicauit. Nam & anima moritur. Anima enim quæ peccat, ipsa morietur. Nec Angelus est immortalis naturaliter, cuius immortalitas in voluntate est creatoris. Neque ad iudicium trahas, quòd non moritur Gabriel, non moritur Raphàël, non moritur Vriel. Et in ipsis enim naturæ capacitas vitio obnoxia, sed non obnoxia disciplinæ. Hæc D. Ambrosi⁹. Præterea sciunt supra memorati auctores, fundamentũ tam perfectæ immortalitatis, quam Deus habet, esse immutabilitatem eius, vt in aliquot locis S. Augustinus tradit, præcipuè contra Maximinum scribens, vbi adducens paulò ante posita Apostoli verba, inquit: Immortalitatem Deus habere dicitur solus, quia est immutabilis solus. In omni enim mutabili naturâ, nonnulla mors est ipsa mutatio: quia facit aliquid in eâ non esse, quod erat.

Ambr. lib. 3 de fide, ad Gratian. cap. 2.

1. Timoth. 6. ℣. 16.

Ezech. 18. ℣. 20.

August. lib. 3. contra Maximinum.

Atque hæc omnia cum illi auctores sciant, nihilominùs quodlibet peccatum graue, audacter Deicidium vocant, idque tali similitudine illustrant. Si quis lethalem sagittam arcu in Regem emitteret, quamuis eum non occideret, eò quòd arma, quæ Rex induit, vulnus ei infligi non permiserint: regicidij tamen iste teneretur reus: quia quantum in illo fuit, id totum fecit, quod nisi arma obstitissent, ad occidendum Regem

satis

satis erat. Atqui similiter cum peccatum sit quædam sagitta in cælum emissa, & humano more loquendo, ad occidendum Deum apta, si eum nulli morti obnoxia natura non muniret: certè qui illud committit, quantum in eo est, Deo vitam adimit. Ipse Deus id confirmat per Malachiam Prophetam dicens: *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me. Et dixistis: In quo configimus te? In decimis & primitijs.* En Deus configi se ait, quotiescunque sibi per auaritiam improborum hominum, decimæ & primitiæ negantur. Quid de grauioribus peccatis sentiendum, si leuiora tantopere Deum configunt? *Malach. 3. ℣. 8.*

Huc etiam pertinet illud S. Thomæ: Peccator peccando, Deo nihil nocere effectiuè potest: tamen ex parte suâ dupliciter contra Deum agit. Primò quidem, in quantum eum in suis mandatis contemnit. Secundò, in quantum nocumentum aliquod infert alicui, vel sibi vel alteri: quod ad Deum pertinet, prout ille, cui nocumentum infertur, sub Dei prouidentiâ & tutelâ continetur. Confirmatur idem S. Pauli dicto, qui etiamnum Christicidium committi asserit, cum de omnibus in peccata relabentibus dicit: *Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.* Cui dicto rectè Hugo attexit illud Iobi: *Effudit in terra viscera mea: concidit me vulnere super vulnus.* & illud Psalmistæ: *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* tum sic inquit: Viscera Christi in terram effundit, qui amorem, quo Christus pro nobis mori voluit, pro nihilo ducens, terreno eum corde recolit, id est, duro & arido: & concidit eum vulnere super vulnus, qui iniquitatem super iniquitatem apponit.] *S. Thom. 1. 2. Q. 47. art. 1. ad 1m.* *Hebr. 6. ℣. 6. Hugo.* *Iob 16. ℣. 14. & 15.* *Psalm. 68. ℣. 27.*

Cur peccata vocentur debita, rationes aliquot.

Reiectâ insigniter delirantium ratione, cur peccata vocentur debita, aliquot veras huius appellationis causas proponamus. Primam dat Bellarminus, quòd cum peccando quilibet iniuriam Deo inferat, efficiatur *Bellarm. lib. 1. de bon. oper. in p. c. 6.*

Ratio prima quia propter peccata admissa, debetur Deo satisfactio.

debitor satisfactionis, qua illi satisfaciat. Solet huius satisfactionis ex Concilio Tridentino, & ex Sanctis Patribus talis definitio tradi: Satisfactio est punitio criminum à nobis commissorum, vel sponte susceptа, vel Sacerdotis arbitrio, pro grauitate delicti imposita. In quâ definitione inprimis nominatur punitio peccatorum, quia peccator, vt Deo peccatis suis offenso satisfaciat, & pœnas, quas pro illis Diuina iustitia infligere solet, effugiat, debet seipsum propter illa punire. Hanc punitionem postulat Deus, cum aliàs sæpiùs, tum maximè per Prophetas monendo, vt homines delictorum suorum consciį iudicium faciant. Cum enim iudicium facere, frequenter in Sacris literis sit idem, quod punire: sanè hoc loquendi modo iubentur peccatores, vt in sua crimina inquirant, & pœnis conuenientibus sese adiudicent, quibus Deus contentus alias non irroget. Nam vt S. Gregorius scripsit: Delinquenti Dominus nequaquam parcit, quia delictum sine vltione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans, percutit.]

Satisfactio quid sit.

Ezech. 18. ℣. 5.

Mich. 6. ℣. 8.

Exodi 12. ℣. 12.

Psalm. 9. ℣. 17.

Greg. lib. 9. Moral. cap. 27.

Luca 3. ℣. 8.

Ad punienda quoque peccata S. Ioannes Baptista ducebat Pharisæos, & Sadducæos, quibus dicebat: *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Nam per hos fructus, Concilium Tridentinum intelligit satisfactionis opera, quæ & peccatores affligant, & quod Deo pro illata iniuria debetur, soluant. Sancti verò Patres, quàm accuratè exposcunt, vt peccatores sua peccata vindicent? Tria (inquit S. Gregorius aliqua interponendo) in vnoquoque consideranda sunt veraciter pœnitente, videlicet conuersio mentis, confessio oris, & vindicta peccati. Tertia verò species, id est vindicta quasi medicina necessaria est, vt apostema reatus, quod conuersione compungitur confitendo purgetur, afflictionisque medicinâ sanetur.] Dignum memoratu & illud

Trident. sess. 14. cap. 8.

Greg. l. 6. in 1. Reg. cap. 15.

illud S. Augustini dictum: Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, nisi vt id, quod mali fecerit, impunitum esse non sinat. Eo quippe modo sibi non parcenti ille parcit, cuius altum iustumque iudicium, nullus contemptor euadit.] Relinquo alios Sanctos Patres, & solam S. Thomæ doctrinam, prætereunti similis, attingo, qui disputans: Vtrum oporteat fieri satisfactionem per opera pœnalia? inter multa inquit: Ad hoc, quod aliquod opus sit satisfactorium, oportet quòd sit bonum, & in honorem Dei sit, & pœnale.]

Augustin Epist. 54. ad Macedonium.

S. Thom. in supplement. 3. p. q. 15. art. 1.

Qui autem sint modi fructuosè peccata puniendi, Deoque satisfaciendi, etiam hos non neglexerunt Sancti Patres tradere. Præcipui sunt duo. Primus, cum factis, quibus læsa est diuina maiestas, facta contraria opponuntur. Hunc modum assignat S. Chrysostomus, explicans illa verba paulò ante proposita: *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*: Quo autem modo, inquit, fructificare poterimus? Si vtique peccatis aduersa faciamus. verbi gratia. Aliena rapuisti? Incipe donare iam propria. Longo es tempore fornicatus? A legitimo quoque vsu suspendere coniugij, ac perpetuam continentiam, sæpiùs paucorum dierum castitate meditare. Iniuriam vel opere cuiquam vel sermone fecisti? Refer benedictionis verba conuicijs, & percutientes te nunc officijs, nunc etiam beneficijs placare contende. Neque enim vulnerato sufficit ad salutem, tantummodo spicula de corpore euellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus. Delicijs antea, & temulentiâ diffluebas? Ieiunio, & aquæ potu, vtrumque compensa.] Eundem modum puniendi peccata assignat S. Ambrosius lapsam Virginem alloquens: Lugubris tibi accipienda est vestis, & mens ac membra singula dignâ castigatione punienda. Amputentur crines, quæ per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt. Defluant oculis lacrymæ,

Modi fructuosè peccata puniendi.

Chrysost. in Matt. cap. 3. Hom. 10.

Ambr. tract. ad ad Virg. lapsam, cap. 8.

mæ, qui masculum non simpliciter aspexerunt. Pallescat facies quæ quondam viruit impudicè. Denique totum corpus incuriâ, & ieiunijs maceretur: cinere aspersum, & opertum cilicio perhorrescat, quia malè sibi de pulchritudine placuit.]

Altermodus, cum bona opera sedulò exercentur, illa præsertim quæ corpus afflictant, & quæ Angelus Raphael Tobiæ sufficienter enumerauit dicens: *Bona est oratio, cum ieiunio & eleemosyna.* Dixi sufficienter, quia ad hæc facilè reducuntur omnia, quæ ad expiandas culpas, & ad compensandam Deo factam iniuriam conferunt. Ad orationem enim reuocantur omnes religionis actiones, vt laudes, gratiarum actiones, dolor de peccatis, confessio eorundem, professio fidei, & id genus alia. Ad ieiunium pertinent cilicia, flagellationes, peregrinationes, Chameuniæ, Xerophagiæ, vt à sancto Hieronymo vocantur, id est, humi cubationes & aridorum esus, aliaque permulta. Ad eleemosynam spectant omnia misericordiæ opera, quibus alij aliorum & animas & corpora miserantur. Deinde tria tantum genera bonorum habemus, per quæ Deo satisfacere possimus, scilicet animæ, corporis & fortunæ, seu exteriora bona. Et per bona quidem animæ, satisfaciamus orando, per corporis ieiunando, per fortunæ eleemosynam largiendo. Præterea commodè per illa tria obstruuntur tres omnium peccatorum fontes à S. Ioanne indicati: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Ieiunium enim aduersatur concupiscentiæ carnis, eleemosyna concupiscentiæ oculorum, id est auaritiæ, oratio superbiæ vitæ. Plura legi possunt in supplemento 3. Partis D. Thomæ quæst: 15. art. 3. Nos vt cœpimus in expendendâ satisfactionis definitione pergamus.

Tob. 12. ¥. 8.

Hieron. in 3. Amos.

1. Ioan. cap. 2. ¥. 16.

Addebatur in illa: Vel sponte susceptâ, vel Sacerdotis.

dotis arbitrio imposita. Potest enim ipsemet peccator, iustâ irâ contra sua delicta incitatus, pœnam aliquam de seipso sumere. Audiat S. Augustinum loquentem: In hac pœnitentiâ maiorem quisque in se severitatem debet exercere: vt à seipso iudicatus non iudicetur à Domino; sicut Apostolus ait: *Quodsi nosmetipsos diiudicaremus, non vtiq; iudicaremur.* Ascendat itaque homo aduersum se tribunal mentis suæ: existimet illud, *quod oportet nos exhiberi ante tribunal Christi, vt illud recipiat vnusquisq;, quod per corpus gessit, siue bonum siue malum*: constituat se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat. Nam minatur hoc Deus peccatori dicens: Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Atque ita constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Postremò ab ipsâ mente talis sententia proferatur, vt se indignum homo iudicet participatione corporis, & sanguinis Domini.]

Peccator potest de seipso pœnam sumere.

August. Hom. 50.

1. Cor. 1. ℣. 31.

Psalm. 49. ℣. 21.

Possunt etiam Sacerdotes, imò debent, peccatoribus, qui delictâ suâ confessione detexerint, aliqua opera ex paulò ante dictis iniungere. Omnibus enim Sacerdotibus hanc potestatem, in Petro & Apostolis, contulit Christus cùm diceret: *Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcunq; ligaueritis super terram, erit ligatum & in cælis*: & *quodcunq; solueritis super terram, erit solutum & in cælis.* & iterum: *Quæcunque alligaueritis super terram*, &c. Nam claues Sacerdotum (inquit Concilium Tridentinum) non ad soluendum duntaxat, sed ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres, & credunt & docent. Sicut ergo ad Sacerdotes pertinet soluere, id est culpam remittere: ita eorundem est ligare, siue pœnâ aliquâ peccatores constringere. Non immeritò autem affirmat Concilium, hanc sententiam & doctrinam antiquorum Patrum semper fuisse. Nam S. Leo ante mil-

Potest quoque sacerdos illam irrogare.

Trident. Sess 14. cap. 8.

Leo Epist. 91. ad Theodorum cap. 2.

le & ducentos annos scripsit: Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.] Scripsit & S. Gregorius ante mille annos: Afflictio pœnitentiæ ad delenda peccata, tunc demum idonea est, cum Sacerdotis fuerit iudicio imperata: cum ab eo confitentium actibus discussis, pro modo criminis onus eis decernitur afflictionis.]

Greg. lib. 3. in 1. cap. Reg.

Puniendi peccata tres causas antiqui Philosophi dabant.

Vide porrò quàm diuinè sit factum, vt dicta potestas Sacerdotibus daretur. Refert Aulus Gellius, puniendis peccatis tres causas olim à Philosophis traditas esse. Vna, inquit, est, quæ νουθετικὴ vel κόλασις vel παραίνεσις dicitur: cum pœna adhibetur castigandi atque emendandi gratia, vt is, qui fortuitò deliquit, attentior fiat correctiorque. Altera est, quam ij, qui vocabula ista curiosiùs diuiserunt, τιμωρίαν appellant. Ea causa animaduertendi est, cùm dignitas auctoritasque eius, in quem est peccatum, tuenda est: ne prætermissa animaduersio contemptum eius pariat, & honorem eleuet. Idcircò & id vocabulum à conseruatione honoris factum putant. Tertia ratio vindictæ est, quæ παράδειγμα à Græcis nominatur: cùm punitio propter exemplum necessaria, vt cæteri à similibus peccatis, quæ prohiberi publicitus interest, metu cognitæ pœnæ deterreantur. Quæ rationes cum omnino sint bonæ, ostendunt, recte in qualibet Republicâ benè ordinatâ, certos magistrat' creari, qui delicta punire & possint & debeãt. Quomodo autem non rectè & sanctè, cum potestate peccata hominum puniendi, constituantur Sacerdotes in Ecclesiâ Christi, in quâ locum habent, & istæ rationes quas nominatus auctor retulit, & longè plures ac graniores, quibus Concilium Tridentinum prolixè demonstrat,

Aul. Gellius lib. 6. Noct. Attic. c. 14.

Trident. lib. cit.

monstrat, per pœnas à Sacerdote in Sacramento pœnitentiæ assignatas, non tantùm Deo pro peccatis satisfieri, sed etiam multa commoda parari.

Postremò in illâ definitione satisfactionis dicebatur: Pro grauitate delicti: Culpæ enim debet respondere pœna, secundum illud scripturæ: *Pro mensura peccati erit & plagarum modus.* & illud S. Basilij: Magnum est & graue peccatũ? Multâ opus habes confessione, lacrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indiulso & continenti ieiunio. Leuis est nec intoleranda offensio? huic quoq; exæquetur pœnitentia. Hinc natum est, & à Concilio Tridentino toties nominato cõmendatum illud monitum: Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentiũ facultate, salutares & conuenientes satisfactiones iniungere: ne, si forte peccatis conniueant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.]

Culpæ debet respondere pœna.

Deuter. 25. ℣. 2.

Basil. in orat. super illud, Attende tibi.

Secundam causam, cur peccata appellentur debita, tradit supra commemoratus Bellarminus, quia, qui illa committit, etiamsi remissionem eorum quoad culpam obtinuerit, tamen propter præuaricationem legis diuinæ, contraxit debitum pœnæ, vel in hoc mundo, vel in igne purgatorio luendæ. Neque enim ideò, quòd alicui culpa condonetur, existimandum est, simul eidem omnem pœnam condonari: sed potiùs firmiter tenendum, post remissam culpam, superesse aliquam pœnam, quam is luere debeat. Stabiliuit hoc omnium orthodoxorum dogma, Concilium Tridentinum, tali suo canone: Si quis post acceptam iustificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti, ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro,

Conc. Trid. Sess. 6. Canone 30.

futuro, in purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere possit, anathema sit.]

Idem dogma stabilitum habemus à Sanctis Patribus, præsertim à S. Augustino, cuius sunt hæc: Productior est pœna, quàm culpa: ne parua putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna. Ac per hoc vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem iam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa.] Item à S. Gregorio, qui ponderans illa verba Iob: *Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti*, sic ait: Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus sine vindictâ laxatur. Sic Dauid audire post confessionem meruit: *Dominus transtulit peccatum tuum*: & tamen multis post cruciatibus afflictus ac fugiens reatum culpæ, quam perpetrauerat, exoluit. Sic nos salutis vndâ à culpâ primi parentis absoluimur: sed tamen reatum eiusdem culpæ diluentes, absoluti quoque adhuc carnaliter obimus, &c. Idem confirmant omnes, qui, vt supra vidimus, docent, ab ijs etiam, quos peccatorum pœnitet, oportere Deo satisfieri per opera, quæ corpus affligunt, vt sic peccatis debitæ pœnæ redimantur.

Augustinum tract. 124. in Ioan.

Greg. lib. 9. Moral. cap. 27.

Iob 9. ℣. 28.

2. Reg. 12. ℣. 13.

Psalm. 10. ℣. 8.

Nimirum *Deus iustus Dominus, & iustitias dilexit*, vt Psalmista canit. Iustitiæ autem est, vt præmio bonos, ita pœna malos afficere. Imò vt annotauit Guillelmus Parisiensis, magis ad iustitiam pertinet, mala merita punire, quàm bona præmio ornare. Rationem dat, quia mala merita, vt sunt omnia peccata, omnino nostra sunt; bona verò merita, ferè omninò Dei sunt, & à parte nostrâ minimum habent, iuxta illud pronuntiatum *Osee 13. ℣. 9.* Dei: *Perditio tua Israël: tantummodò in me auxilium tuum.* Fauet Guillelmi doctrinæ illud S. Augustini: Quid enim tam iustum, quàm vt puniatur peccator? Rationem

Guill. Paris. c. 21. de lege.

August. in Psalm. 62.

quoque

quoque eius iuuat illud eiusdem Doctoris Deum allo-
quentis: A te habeo, quidquid boni habeo: quidquid *Idem in Psal. 70.*
autem mali habeo, à me habeo.]

Vt proinde mirum sit, quòd multi, cûm diuinam
iustitiam talem esse non dubitent, audacter peccata pec- Mirum quod suis
catis aggregando, tot tantisq; debitis se implicent, impli peccatis obdor-
catique in vtramque (quod vulgò dicitur) aurem dor- miat peccator.
miant, ac si nullas vnquam pœnas daturi essent. Mira-
tur olim Augustus Imperator, teste Macrobio, equitem *Macrob. lib. 2. Sa-*
Romanum, ducenties sestertiûm varijs creditoribus de- *turnal. cap. 10.*
buisse, & dormire potuisse. Quare cùm supellex mor-
tui venderetur, cubicularem eius culcitram emi sibi ius-
sit, mirantibusque præceptum, talem rationem dedit:
Habenda est ad somnum culcitra, in quâ ille, cûm tan-
tùm deberet, dormire potuit. Atqui longè maiori ad-
miratione digni sunt omnes, qui nullo angore, nullâ
solicitudine exeduntur, placidoque somno vtuntur,
quamuis multorum criminum se reos esse agnoscant, &
cuilibet peccato pœnam deberi sciant.

Jmaginem istorum dicit S. Hieronymus fuisse *Hieron. in 1. Ionæ.*
Ionam Prophetam, qui arctissimè dormiebat, cùm nauis,
quâ per mare ventorum vi agitatum vehebatur, fluctib⁹
obrueretur. Somnus (inquit Heronymus) Prophetæ, &
grauissim⁹ sopor, hominem significat erroris sopore tor-
pentem: cui non sufficerat fugisse à facie Dei, nisi quadã
vecordiâ mens illius obruta, ignoraret iracundiam Dei,
& quasi securus dormiret, & profundissimum somnum *Ioan. 1. ℣. 6.*
raucâ nare sonaret. Sicut autem dormientem Ionam,
excitabat gubernator nauis, ita etiam peccatores noxiâ
securitate sopiti, gaudere deberent, excitari se, atrocita-
te ipsâ pœnarum, quamuis hæ à solo igne purgatorio in- *August. lib 50.*
fligendæ essent. Hac illos excitat S. Augustinus: Hi, in- *Hom 16.*
quit, qui temporalibus pœnis digna gesserunt, de quibus
Apostolus dicit: *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur,*

ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem: per fluuium igneum, de quo propheticus sermo commemorat; Et
1. Cor. 3. ℣. 15. Dan. 7. ℣. 10. fluuius igneus currebat ante eum; per fluuium igneum & vada feruentibus globis horrenda transibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranseundi mora. Quantùm exegerit culpa, tantùm sibi ex homine vindicabit quædam flammæ rationabilis disciplina. Et quantùm stulta iniquitas suggesserit, tantum sapiens pœna desæuiet. Et quia sermo diuinus quodam loco, æneæ
Ezech. 24. ℣. 11. ollæ, animam peccatricem comparat, dicens: *Pone illam super prunas vacuam, donec concalescat æs eius, & omne stannũ eius defluat*: illic sermones otiosi, & cogitationes iniquæ vel sordidæ, illic multitudo leuium peccatorum, quæ puritatem nobilis naturæ infecerãt, exundabunt: illic stannum vel plumbum, diuersorum subrepentium delictorum, quæ diuinam imaginem obscurauerant, consumentur: quæ omnia hìc ab animâ separari, per eleemosynas & lacrymas, compendiosâ transactione, potuissent. Sic D. Augustinus.

Magna Dei in notandis hominum peccatis diligentia. Est etiam ad excitandos eosdem peccatores magnæ efficacitatis modus, si expendatur mira Dei in notandis hominum peccatis diligentia, vt nullum elabatur, quod pœnam sibi irrogatam non habeat. Indica-
Iob 14. ℣. 17. tam hanc diligentiam illis verbis Iobi: *Signasti quasi in*
Greg. lib. 12. Moral. cap. 11. *sacculo delicta mea*, S. Gregorius censet. Signantur, inquit, quasi in sacculo delicta nostra: quia hoc, quod nos exteriùs agimus, nisi pœnitentiâ interueniente diluamus, in secreto iudiciorum Dei sub quadam occultatione seruatur: vt quandoque etiam de sigillo secreti exeat ad publicum iudicij. Vnde etiam per Moysen dicitur:
Deuter. 32. ℣. 34. *Nonné hæc congregata sunt apud me, & signata in thesauris meis: In die vltionis reddam illis.* Ibidem S. Pontifex bonum dat consilium, si velimus delicta nostra educere ex dicto sacculo, siue ex rationario Dei; scilicet, vt illa in sacculo

cordis

cordis nostri reponamus, & quod à nobis commissa sint, doleamus, nosque ipsos puniamus. Quid namq; est cor hominis, inquit, nisi sacculus Dei? vbi dum studiosè conspicim⁹, per quanta deliquimus, peccata nostra, quasi in Dei sacculo signata portam⁹. An non peccatũ suum Dauid signatum tenebat in sacculo, quidicebat: *Iniquitatem meam ego cognosco, & delictum meum coram me est semper?* *Psalm. 50. ℣. 5.*

Latet & aliud in eisdem verbis Iobi, ad quod peccatores dormientes exhorrescere, & excitari debebrent. Videtur enim Ioanni Pinedæ, quòd Latinus interpres intellexerit sacculum, in quo solebant seruari pondera, siue, vt à Græcis vocantur, sacomata, quæ in libra ponuntur ad æquilibrium faciendum, & examinandum, quid res aliqua momenti habeat. Frequens in sacris libris talium sacculorum, & ponderum mentio, vt cum dicitur: *Non habebis in sacculo tuo diuersa pondera,* & *Nunquid iustificabo stateram impiam, & saccelli ponderadolosa?* item: *Pondus & statera iudicia Domini sunt: & opera eius omnes lapides sacculi.* Vbi eadem pondera appellantur lapides, quia olim erant lapidea, quæ iam ærea vel ferrea fiunt. Quod si ita est, vt nominato auctori videtur, satis Iob declarauit, quòd ponderanda sint cuiuslibet hominis peccata, ne quidquam ex pœnâ desit, quæ illis, iuxta diuinum decretum, debetur. *Pineda. in 14. Iob ℣. 17.* *Deuter. 25. ℣. 13.* *Mich. 6. ℣. 11.* *Prouerb. 16. ℣. 11.*

Tertiam rationem, ob quam peccata appellata sint debita, tradit S. Ambrosius, quòd per illa homines fiant debitores Dæmonis, qui creditoris instar submini-strat eis pecuniam, quam in officina inferorum cudit, & suâ imagine signat. Quæ sit Dæmonis pecunia, docet Origenes: Homicidium, inquit, pecunia Diaboli est. Ille enim ab initio homicida est. Fecisti homicidium? Diaboli pecuniam suscepisti. Adulterium, Diaboli pecunia est. Diaboli enim imago, in eo est, & superscriptio. Commisisti adulterium? Accepisti Diaboli numisma, *Ambr. lib. 5. de Sacramentis c. 4o* *Orig. in 15. Exodi Hom. 6.* *Ioan. 8. ℣. 44.*

sma. Furtum; falsum testimonium, rapacitas, violentia, hæc omnia Diaboli census est, & Diaboli thesaurus. Talis enim pecunia de eius monetâ, id est, ex eius officinâ prodit.] Hanc enim Origenes monetam vocat, imitando Ciceronem, & aliquot alios, qui monetam vocauerunt locum, in quo pecunia cuditur. Atque hanc pecuniam à suis debitoribus solicitè Diabolus cum fenore exigit, vrgens eos, vt congeriem peccatorum alijs atque alijs peccatis adaugeant. Et idcircò illum Propheta Isaias vocat exactorem. *Iugum, inquit, oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius, superasti, sicut in die Madian.* Quod licet nonnulli de Sennacherib Assyriorum Rege explicent, qui iniusta tributa à Iudæis exigebat: Sanctus tamen Hieronymus de victoriâ Christi ex Diabolo reportatâ Prophetam locutum esse docet, vt hic sit sensus: Tu Domine atque Saluator iugum oneris eius, hoc est, Diaboli, qui priùs exultabat in mundo; qui cunctis gentibus imperabat; qui grauissimo seruitutis iugo colla omnium deprimebat; & virgam, quâ percutiebat, iustos, & peccata sibi quasi quoddam tributum reddere compellebat, detraxisti de humeris eorum, & tibi liberatos seruire fecisti, absque vllo exercitu, & absque effusione sanguinis in absconditâ manu: sicut quondam sub Gedeone populo Israéli de Madianitis victoriam præbuisti. Sic Hieronymus.

Cic. Attic. 8. 7.

Isaiæ 9. v. 4.

Hieron. ibid.

Iudic. 7.

Capitis totius intentio infertur.

Plurima, quæ se hîc vltro ingerunt, recido, vt iam quod præsentis est capitis, cum antiquis Patribus inferam. Nam Tertullianus, Cyprianus, Gregorius Nyssenus, Augustinus, & alij, ex eo, quòd tantæ sanctitatis Apostolos suos docuerit Christus orare, vt illis cælestis Pater debita, id est peccata dimitteret, summo consensu inferunt, omnes homines, quamuis alioqui iustos, non carere peccatis, quam diu vitam mortalem in hoc mundo degunt. Solius Augustini verba pono: Fra-

Tertul l. de Orat. Dom. cap. 7. Cyprian de eadem, Greg. Nyss. orat. 5 de eadem. August. in Expos. Ps. 142.

tres

tres vt citò agnoscatis, ipsi, id est, Apostoli didicerunt orare, quod oramus: ipsis data est regula postulandi à iurisperito cœlesti. Sic orate inquit: Et cùm quædam præmisissem, posuit & hoc, vt dicerent arietes nostri, duces ouium, & præcipua membra pastoris, & congregatoris vnius gregis: ipsi didicerunt dicere: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Non dixerunt: Gratias tibi, qui dimisisti nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. sed dimitte sicut & nos dimittimus. Orabant autem, vtique iam fideles, iam Apostoli. Et paulò post: Et cùm eis dictum fuerit; quare hoc dicitis? Quæ debita vestra respondeant: *Quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Hæc Augustinus. *Psalm. 142. ℣. 2.*

Et verò potentem esse dictum inferendi modum, patet. Quos enim potissimùm, si non Apostolos decuit, vt omni labe peccati carerent? Hi namque præter id, quod S. Augustinus attigit, præ alijs hominibus, & abundantiùs Spiritum sanctum habebant, & vberiùs gratiâ diuinâ affluebant. Hoc sonant illa S. Pauli verba: *Nos ipsi primitias spiritus habentes.* Quæ commentarius sancti Thomæ ita illustrauit: Spiritum sanctum, & tempore priùs, & cæteris abundantiùs, Apostoli habuerunt: sicut & in fructibus terræ illud, quod primò ad maturitatem peruenit, est pinguius & magis acceptũ. Ierem. 2: *Sanctus Israel domino primitiæ frugum eius.* Hebr. 12: *Accessistis ad Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlestibus.* Ex quo patet quòd Apostoli sunt omnibus alijs Sanctis, quacunque prærogatiuâ præfulgeant, siue virginitatis, siue doctrinæ, siue Martyrij, præferendi, tanquam abundantiùs Spiritum sanctum habentes. Tum paulò inferiùs: Vnicuique dat Deus gratiam proportionatam ei, ad quod eligitur: sicut homini Christo data est excellentissima gratia, quia ad hoc est electus, vt eius natura, in- *Roman. 11. ℣. 28.* *S. Thom. ibid.* *Ierem. 2. ℣. 3.* *Hebr. 12. ℣. 23.*

Vnicuique dat Deus gratiam proportionatam ei, ad quod eligitur.

vnitatem personæ diuinæ, assumeretur: & post eum habuit maximam plenitudinem gratiæ Beata Maria, quæ ad hoc est electa, vt esset Mater Christi. Inter cæteros autem ad maiorem dignitatem sunt electi Apostoli, vt scilicet immediatè ab ipso Christo accipientes, alijs traderent ea, quæ pertinent ad salutem, & sic in eis Ecclesia quodammodo fundaretur, secundùm illud Apocalypsis: *Murus habebat fundamenta duodecim, & nomina Apostolorum erant in eis scripta*: & ideò dicitur 1. Cor. 12. *Deus posuit in Ecclesia primùm quidem Apostolos.* Et ideò Deus eis abundantiorem gratiam præ cæteris tribuit. Huc vsque S. Thomæ commentarius.

Apocal. 21. ℣. 14.
1. Cor. 12. ℣. 28.

Cùm igitur, ne cum tantâ quidem gratiâ Dei, & Spiritus sancti abundantiâ, omnes peccatorum maculas euitarint Apostoli, atque à debitorum, quamuis leuium, nexu, liberi non fuerint: quis reperiatur, de quo affirmare liceat, quòd ab illis prorsus immunis sit?

CAPVT SEPTIMVM.

Probatur tertiò auctoritate Sanctorum Patrũ.

Hieron. in 8. & 23. cap. Ierem. August. Epist. 92. & 95.

DOctrina fuit nonnullorum Hæreticorum, præcipuè verò Pelagianorum, vt S. Hieronymus, & S. Augustinus referunt, posse ac debere homines, omnibus peccatis carere: siue, vt eam S. Augustinus explicatiùs proponit, posse hominem in hac vitâ, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem iustitiæ, sine adiutorio gratiæ Saluatoris, per solum liberum voluntatis arbitrium peruenire, vt ei non sit iam necessarium dicere: *Dimitte nobis debita nostra.* Ne autem sine exemplo hanc doctrinam tradidisse Pelagiani viderentur, Zachariam & Elizabeth S. Ioannis parentes memorabant,

rabant, quorum sanctitati perfectæ, & ab omni labe cuiuslibet peccati liberæ, hoc testimonium S. Lucas dederit: *Erant autem iusti ambo, ante Deum incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela.* Porrò doctrinam istam, ipsimet auctores eius, magnâ vitæ & morum improbitate refutârunt. Quam enim sanctitatem posse ac debere in quouis homine inueniri asserebant, ab hac illi longissimè aberant. Nec mirum. Omnis enim Hæreticus, inquit S. Hieronymus, hypocrita est, aliud agens, aliud simulans, & quidquid loquitur, licet videatur esse sapientia, stultitia est.]

Luc. 1. ℣. 6.

Doctrinæ Hæreticorum contradicit vita ipsorum.

Hieron in 9. Isaiæ

Omnis Hæreticus hypocrita est.

Proindè conuenienter hos hypocritas, id est hæreticos, confert S. Hieronymus cum lamijs, de quibus Propheta Ieremias scripsit: *Lamiæ nudauerunt mammam: lactauerunt catulos suos*, Lamiæ, inquit, humanam faciem habent, sed corpus bestiale: Hæretici similiter humanam quidem faciem, sed belluina per impietatem corda gestant. Hi tunc mammam nudant, quando errorem suum liberè prædicant. Tunc catulos lactant, quando malè, sequaces paruulorum animas, dum peruersa insinuant, ad impietatem nutriendo, confirmant.] Jisdem accommodat, quod Ieremias addit: *Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto*: Simulatio, inquit, & immanitas hypocritarum designatur, qui fingere sciunt virtutum opera, non veraciter agere.] Quomodo autem id designetur, facilè intelligit, qui nouit, quòd Struthio, licet magnas alas habeat, & quasi ad volandum eas erigat, nunquam tamen illis à terra eleuetur. Nouerat hoc S. Gregorius, & ideò æquè ac S. Hieronymus, hypocrisim struthioni comparans ait: Struthio volandi speciem habet, sed vsum volandi non habet: quia & hypocrisis cunctis intuentibus imaginem de se sanctitatis insinuat; sed tenere viam sanctitatis ignorat.

Thren. 4. ℣. 3. Hieron. in 4. Thren.

Cum lamijs conferuntur Hæretici.

Cum Struthione similiter.

Greg. lib. 7. Moral. cap. 18.

His igitur Hæreticis, præter sacram Scripturam oppo-

opponimus Sanctos Patres, quorum constans sententia fuit, posse quidem hominem, non per liberum voluntatis arbitrium, sed per singulare priuilegium Dei, sine omni peccato viuere: tamen re ipsâ neminem esse, qui sic viuat aut vixerit: excipiendo semper Christum Dominum, & Matrem eius sanctissimam, de quibus initiò huius operis egimus. Paucos ex his Patribus hîc pono: quamuis ad ostendendum, quid illi in hac materiâ senserint, varijs occasionibus superiùs dicta, sufficerent.

Hieron. l. 2. cont. Pelagianes cap. 2.

Sit ergo S. Hieronymus, qui tribus suis eruditissimis libris impiam Pelagij sectam obruit. In horum secundo hæc habet: Hominem ἀναμάρτητον, id est, sine peccato esse, nego. Id enim soli Deo competit, omnisque creatura peccato subiacet, & indiget misericordia Dei, dicente, Scriptura: *Misericordiâ Domini plena est terra.* Et ne quasi maculas quasdam in sanctis viris videar perscrutari, in quibus errore sint lapsi: pauca proferam, quæ non ad singulos, sed ad omnes in commune pertineant. Jn trigesimo primo Psalmo scriptum est: *Dixi, pronunciabo aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu dimisisti impietatem cordis mei*: statimque sequitur: *Pro hac*, hoc est impietate siue iniquitate (vtrumque enim intelligi potest) *orabit omnis sanctus in tempore opportuno.* Si sanctus est, quomodo orat pro iniquitate? si iniquitatem habet, quâ ratione Sanctus appellatur? Iuxta illum videlicet modum, qui & in alio loco scribitur: *Septies cadit iustus, & resurget.* &: *Iustus accusator sui est in principio sermonis, &c.*]

Psalm. 32. ℣. 5.

Psalm. 31. ℣ 5. & 6.

Prouerb. 24. ℣. 16.

Prouerb. 18. ℣. 17.

Hieron. lib. 3 contra Pelag.

Plura ex Hieronymo qui desiderat, librum eius tertium contra Pelagianos legat, quo ille ferè toto probat idem, scilicet nullum hominem nominari aut ostendi posse, qui ab omni peccato immunis sit, vel aliquando fuerit. Concedit tamen S. Hieronymus ibidem, posse aliquem hominem ad breuissimum aliquod tempus absque omni peccato esse.

Sit

Sit S. Augustinus. Exceptâ, inquit, sanctâ Virgine Mariâ, de quâ propter honorem Domini, nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem: vnde enim scimus, quòd ei plus gratiæ, collatum fuerit, ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine exceptâ, si omnes illos sanctos & sanctas, cùm hîc viuerent, congregare posse-mus, & interrogare, vtrum essent sine peccato, quid fuis-se responsuros putamus? vtrum hoc, quod iste dicit, nempe Pelagius: an quod Ioannes Apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentiâ sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonnè vnâ voce clamassent: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est?* An illud humiliùs responderent fortasse, quàm veriùs? Sed huic iam placet, & rectè placet, laudem humilitatis non ponere in parte falsitatis. Itaque hoc si verum dicerent, haberent peccatum, quod humiliter faterentur, quia veritas in eis esset. Si autem hoc mentirentur, nihilominus haberent peccatum, quia veritas in eis non esset. Hæc ibi S. Doctor. qui etiam ad illud, quod superiùs Pelagiani de parentibus S. Ioannis ex Euangelio Lucæ affe-rebant, respondet: aliud esse viuere sine querela, aliud sine peccato. Nam sine querela viuit, de quo nulla querela ab hominibus institui potest; quòd nulli noceat, nullum verbo aut facto lædat: licet interim coram Deo peccatis venialibus non careat.

Augustin. l. de Nat. & gratia c. 36.

1. Ioan. 1. ℣. 8.

Idem Augustin. lib. de gratia Christi, cap. 42.

Sit S. Gregorius Papa, qui explanans secundi Psalmi pœnitentialis versum illum: *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno*, sic ait: Scriptum est, *quia nemo sine peccato, nec infans, cuius est vnius diei vita super terram.* Et iterum Iob testatur, *quia cæli non sunt mundi in conspectu eius, & in Angelis suis reperit prauitatem.* Quantò

Greg. in 2. Psalm. Pœnit. ℣. 6. Ps. 31.

Iob 15. ℣. 15.

ergo electus quisque maiori sanctitate præeminet: tantò magis de his, sine quibus hæc vita non ducitur, veniabilibus peccatis dolet. Quis autem sanctior Paulo, qui cum delectatur legi Dei secundum interiorem hominem, & aliam legem in membris suis, legi mentis suæ videret repugnantem, miserum se exclamans commemorat, & de se diffidens, de corpore mortis illius per Dei gratiam liberari expectat. Idem nihil sibi conscius fuerat, sed nequaquam in hoc se iustificatum credebat. Sancti etenim viri, licet magnis iam virtutibus polleant, habent tamen adhuc de culpæ obscuritate quod feriant. Et licet magnâ iam vitæ claritate luceant, aliquas tamen peccati nebulas, velut quasdam noctis reliquias nolentes trahunt. Quod diuinæ profectò pietatis dispensatione agitur: vt qui ascensiones in corde suo disposuit, ad humilitatis celsitudinem suâ meliùs infirmitate subleuetur: quatenus vnde parua reprehensibilia humiliter patitur: inde veriùs in iustitiæ virtute roboretur. Et eò se in virtutis culmine erectus, nimirum sentiat, quò suis viribus etiam parua, quæ eum impediunt non expugnat. Orat ergo pro remissione peccati omnis sanctus, quia sine peccati maculâ solus inuenitur homo Christus Iesus.

Ambr. Octonario 16. Psalm. 118. Denique sint illa aliquot S. Ambrosij verba: Non potest hoc iustus negare, quia nemo sine peccato.

Quatuor Doctoribus Latinis, duos tantum ex Græcis addo. Sit prior Chrysostomus, qui scripsit: *Chrysost. Hom. 20. in Matth.* Si vnius saltem diei nostra vellemus accuratè peccata numerare, tunc optimè disceremus, quantorum rei essemus malorum. Paucis interiectis: Quis (inquit) nostrum non habuit in oratione desidiam? Quis non superbiæ inflatus est tumore? Quis non inanis gloriæ aurulâ ventilatus est? Quis non de fratre detraxit? Quis non concupiscentiam admisit malignam, vel impudicis oculis

oculis aspexit? Quis non inimici cum passione animi recordatus est, & cor suum intumescere fecit? Quis non æmuli sui, aut cruciatus est prosperis, aut delectatus aduersis? Sin autem & in Ecclesiâ constituti, & breui in tempore, tantorum efficimur malorum rei: quales tandem nos futuros putamus, cum hinc fuerimus egressi? Si tantos fluctus patimur in portu: cùm exierimus in Euripum illorum malorum, forum dico, & vrbana negotia, & domesticas curas, putamusné nos saltem ipsos poterimus agnoscere?

Alter sit S. Gregorius Nazianzenus, cuius sunt illa: Magnum est, ne omnino quidem peccasse, aut certè non grauissimè: quandoquidem eum vitæ statum, qui omni prorsus peccato vacet, Deus supra humanæ naturæ modum constituit. *Greg. Nazianz. orat. 4. in Iulian. 2.*

Quis igitur de veritate assertionis Catholicæ dubitet, cui tot subscripserunt Patres docti, graues, sancti, veritatis acerrimi defensores aduersus garrulas vanitates: in quorum ratione, eruditione, libertate, nihil quod spernatur, inueniri possit: quibus item, post Apostolos Sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus creuit? Talibus encomijs Doctores Ecclesiæ ornauit S. Augustinus, talibus etiamnum ornari debent.

CAPVT OCTAVVM.

Probatur quartò propriæ singulorum hominum conscientiæ testimonio.

COnscientia humana solet à plerisque appellari facies, præcipuè verò ab Auctore operis imperfecti, qui explicans illud Christi: *Tu autem cum ieiunas, vnge* *Auctor. oper. imp. Hom. 15. in Mat. 6.*

vnge caput tuum, & faciem tuam laua: Facies, inquit, animæ, est conscientia eius. Cur autem sic appelletur, plures assignantur causæ, Prima, quia sicut facies corporis solet lauari, ne si negligatur, sordes contrahat, quibus aspectum hominum offendat: ita & conscientia lauari debet, ne pluribus peccatorum maculis respersa diuinis oculis detestabilis fiat. Quis sit modus conscientiam laurandi, docet nominatus auctor. Proijce, inquit, abs te auaritiæ sordes, periurij stercora, malitiæque putredinem: & lauisti faciem, id est, conscientiam tuam, aquâ propheticâ, de quâ dicit Isaias: *Lauamini & mundi estote*: auferte nequitiam ab animabus vestris. Si enim abstuleris nequitiam ab animâ tuâ, lauisti conscientiam tuam.]

Cur conscientia appelletur facies, causæ assignantur.

Isaiæ 1. ℣. 16.

Secunda. Sicut in conspectu hominum gratiosa est facies pulchra: sic in oculis Dei speciosa est conscientia munda. Quomodo verò speciosa non sit, quæ ita cælesti lumine splendet, vt sæpè illud faciei corporis communicet? Exemplo est S. Stephanus, de quo in Actis Apostolicis scriptum: Omnes qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius, tanquam faciem Angeli. Quod considerans Hilarius Arelatensis affirmat, abundantiam cordis in S. Stephano transisse in decus corporis, & in exteriori gloriâ candorem interioris exundasse, & abscondita pectoris ornamenta, speculum frontis irradiasse, & cum haberet in se Spiritum sanctum, os præ se gestasse Angelicum.] Est etiam exemplo S. Antonius, in cuius faciem, teste S. Athanasio, singularis decor ex conscientia mundâ prodibat: ita, vt qui sanctum virum nunquam antea vidisset, solumque nomen eius audiuisset, viso eo, statim etiam in maximo religiosorum numero, hunc & non alium esse Antonium, nullo indicante, cognouisset. Relictis alijs, est etiam exemplo nostræ Societatis parens & conditor S. Igna-

Actor. 6. ℣. 15.

Hilar. Arelat. Hom. de S. Steph.

Athan. in Vita S. Antonii.

Comp. Vita S Ignat. cap. 20.

S. Ignatius, cuius caput & faciem eximio splendore sæpiùs fulsisse, non pauci testantur. Primas teneat S. Philippus Nerius, qui cum S. Ignatio vt familiariter & amicè vixit, ita eorum, quæ de illo narrabat, spectator fuit. Narrabat autem, animi eius interiorem pulchritudinem, foràs emicare solitam fuisse, & in vultu oculisque ipsius, coruscantes lucis radios sæpiùs à se visos esse.

Hinc apparet, vtri pulchritudini, exteriori ne corporis, an interiori conscientiæ, magis competat nomen Græcum κάλλος, quod pulchritudinem sonat. Si enim vt docet S. Dionysius Areopagita, inde natum est hoc nomen, quòd pulchritudo oculos hominum καλεῖ, id est, ad se inuitet & aduocet: certè magis conuenit interiori conscientiæ pulchritudini, quæ ipsius Dei oculos ad se attrahit. Patet etiam nimis imprudentes esse, qui pulchritudine interiori neglectâ, solam exteriorem curant. Potiùs instar Silenorum essent, cum quibus Alcibiades in conuiuio Platonis conferebat Socratem, qui extrinsecus homo nihili esse videbatur, cum tamen intùs eximiâ sapientiâ & doctrinâ longè cæteris antecelleret. Erant autem Sileni imagunculæ plicabiles, quæ extra, & in superficie suâ exteriori, ridiculam tibicinis speciem habebant, interiùs verò numen quoddam diuinum ostentabant. Atqui communiter homines, malunt esse similes Ægyptiorum templis, quæ, vt scribit Clemens Alexandrinus, extra auro, argento, varijsque lapillis pretiosis collucebant, sed intus, vel felem, vel Crocodilum, vel aliquam similem belluam continebant.

Dionys. cap 4. de Diuin. Nomine.

Plato de Amore.

Barrad. Tom. 1. lib. 6. cap. 10.

Clem. Alexandr. lib 3. Padag. c. 2.

Tertia. Sicut homines de facie se agnoscunt, ita Deus de conscientiâ omnes nouit. Sic verò nouit, vt cum homines exterior corporis facies sæpissimè, Deum interior conscientiæ nunquam in errorem inducat. Quoties enim, & quàm multis hominibus errandi occasionem dederunt illi Seruilij gemini, quos, vt annotauit

Cicer. 4. Acad. Quæſt. Cicero, propter eadem faciei lineamenta, vix aliquis internoſcere potuit? Meminit etiam Plautus Menæchmorum itidem geminorum, quos neque nutrix, ac ne

Plautus.

Albert. Magn. lib. de animal. mater quidem, quæ pepererat, dignoſcebat. Albertus quoque Magnus geminos in Germaniâ ſe vidiſſe ſcribit, eâ membrorum compoſitione & parili formâ, vt dignoſci nullo modo poſſent. Sed & inter Cn. Pompeium, & Vibium, inquit Solinus, humili loco natum,

Solinus cap. 5. tantus error extitit de paribus lineamentis, vt Romani Vibium Pompeij nomine, Pompeium Vibij vocabulo cognominarent. Plura huius generis legi poſſunt apud

Lud. Viues in 8. cap. lib. 21 de Ciuit. Dei, S. Aug. Maiol. colloquio 4. Val. Max. lib 9. cap. 15. Ludouicum Viues, Simonem Maiolum, Valerium Maximum, & alios. Tam frequenter homines, exterior facies illudit, Deum verò interior conſcientiæ, quando illuſit? Ille eſt, qui prorſus abſque vllo errore nouit, qui

Auguſt. tract. 12. in Ioan. permaneant ad coronam, vt S. Auguſtinus loquitur, & qui permaneant ad flammam. Nouit in aream ſuâ triticum; nouit & paleam: nouit ſegetem; nouit & zizania.

1. Reg. 2. ℣. 3. Et idcircò rectè in ſcripturâ Sacrâ, *Deus ſcientiarum*, vel vt aliqui vertunt, Deus cognitionum appellatur.

Quarta cauſa. Omnes has cauſas probo: ſed quartam iam ponendam, veluti huius capitis propriam agnoſco. Solet communiter exterior hominis facies, quid delicti intra

Conſcientia prodit peccata. hominem lateat, prodere: ſolet & conſcientia. Exemplar vtriuſque, ſunt hucuſque Iudæorum vultus, de quibus

Iſaia 3. ℣. 9. Propheta Iſaias dixit: *Agnitio vultus eorum reſpondit eis.* Quaſi dixerit: non multùm querantur Iudæi, quaſi immeritò in tantum exitium præcipites ſint dati, nec multis interrogent, quî fiat, quòd tot malis obruantur, ſub quibus reſpirare illis non liceat. Vultus tantùm ſuos inuicem contemplentur, & mox in illis, velut in tabulâ, quàm enormia peccata patrârint, legent. Le-

Ibid. ℣. 8. gent enim *quia lingua eorum & adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent*, vel vt alia verſio habet, *læderent*

oculos

oculos maiestatis eius. Sunt eiusdem Prophetæ verba, plane ad describendos Iudæos apta, qui vt S. Hieronymus inquit, contra Dominum blasphemauerunt atque dixerunt: *Tolle, tolle, crucifige talem: non habemus Regem nisi Cæsarem*: & clementissimum Dominum, furore linguæ suæ ad amaritudinem prouocauerunt. Iidem læserunt oculos maiestatis Iehouah, quia æterni Patris filium ignominiosâ morte affecerunt, quem ille, tanquam oculos suos diligit. Ideoque S. Paulus vocat eum filium dilectionis Patris, sic ad Colossenses scribens: *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.* Exemplar quoque talis vultus, fuit vultus illius nefariæ mulieris, quam, vt S. Chrysostomus loquitur, in perniciem innocentis Ioseph accenderat libido. Gestabat, inquit, in facie teterrima mulier, dubios & ancipites vultus, & alterna coloris intentio, rubor pallori immixtus, diuersos mentis æstus verbis trementibus præferebat: vt videres & conscientiam vicij facinoris aperiri, & innocenti accusationem rabido furore aptari. Quamobrem scitè S. Ambrosius ait: Vultus intentior est quidam cogitationis suæ arbiter, & tacitus cordis interpres. Et paulò inferiùs: Index facies plerumque est conscientiæ, & quidam tacitus sermo mentis.

Hieron. ibid.

Coloss. 1. ℣. 12. & 13.

Chrysost. serm. de Ioseph. eiusq; venditione.

Ambr. lib. de Elia & ieiun. cap. 10.

Atquæ hæc conscientia vnicuiq; suum peccatum patefacit, & quod deliquerit, hoc modo conuincit. Cùm conscientia sit quoddam dictamen rationis practicum, indicans quid in vnaquaq; re sit bonum vel malum, quid item fugiendum, vel amplectendum: si quid secus quàm illa dictauerit, fiat, statim perperam factum & peccatum esse ostendit. Ideoque à diuino Psalte conscientia vocatur *lumen vultus diuini*; à S. Basilio naturale iudicatorium; à S. Damasceno lux intellectus nostri; à S. Chrysostomo

Psalm. 4. ℣. 7. Basil in l. Prouerb. initio. Damasc. lib. 2. de Fide Orthod. c. 12.

Chryſoſt. in Geneſ. Hom. 54. ſoſtomo dux & demonſtrator viæ, item magiſter & ſcientia faciendorum & non faciendorum. Nullus prætexat (inquit S. Chryſoſtomus) quòd ignorans virtutem negligat, vel quòd non habeat aliquem viæ ducem & demonſtratorem. Sufficientem enim magiſtrum habemus conſcientiam. Et fieri non poteſt, vt quis illo adiumento priuetur. Nam ſimul cum formatione hominis, implantata eſt ſcientia faciendorum & non faciendorũ.

Sufficiens magiſter conſcientia.

Eadem pictor.

Vt autem cuilibet ſuum peccatum magis appareat, pingit illud eadem conſcientia, veluti quoddam infauſtum ſpectrum, truci & minaci facie horridum. Nam vt ait Origenes explicans illud Dauidis: *Non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum*: Eſt facies quædam etiam peccatorum, &, vt ita dixerim, color quidam & ſpecies, per quam recoli & recognoſci ſolent ea, quæ aliquando commiſſa ſunt. Tandem vbi peccatum depinxerit ob oculos illud peccatoris ponit, vt experientia ipſa didicerat Dauid, cuius vox eſt: *Et peccatum meum contra me eſt ſemper*, id eſt, peccatum meum ſemper mihi obuerſatur ante oculos, vt ſemper illud videam, vel, vt S. Ambroſius explicat: Sine interuallo aliquo recordatio, & ſpecies ipſa mei me erroris impugnant: qui & ſubiungit: Conſidera, quomodo nos confundat cum aliquid deliquimus, quomodo incurſet oculos, quomodo in memoriam ſemper recurrat.

Pſalm. 37. ℣. 4.

Origen. Hom. 1. in eundem Pſalm.

Pſalm. 50. ℣. 5.

Ambr. ibidem.

Peccatum, non ſine angore animi, ante oculos verſatur.

Ambr. in Pſal. 35.

Quantos verò angores dicta peccatorum ante oculos obuerſatio & continua occurſatio parit? Multa paſſim eâ de re apud Sanctos Patres reperire licet, præſertim apud citatum S. Ambroſium, qui inter alia ſcripſit: Oſtenditur nobis vltrix noſtri imago peccati: nec quietum reum ſuum eſſe permittit, inferens miſeram ſeruitutem, atque in ſua vincula trahit, vt enodare ſe non queat. Itaque dum oramus, peccatum offunditur: vbi ſomnus ſenſum corporis relaxauerit, peccatum recurrit.

currit. Semper nobis error noster, tanquam malus exactor occurrit, vel tanquam improbus fenerator conueniens debitorem.] Ethnicos quoque ea non latuerunt, qui, teste Macrobio, vt exprimerent, quanta interiùs supplicia, quiuis improbus pati cogatur, pingebant vulturem iecur immortale Tityi rodentem, (verba sunt huius auctoris) nihil aliud intelligi volentes, quàm tormenta conscientiæ, obnoxia flagitio viscera interiorum antis, & ipsa vitalia, indefessâ admissi sceleris admonitione laniantis, semperque curas, si requiescere fortè tentauerint, excitantis, tanquam fibris renascentibus inhærendo, nec vllâ sibi miseratione parcentis, lege hac, quâ se iudice nemo nocens absoluitur, nec de se suam potest vitare sententiam.]

Macrob. lib. 1. de Somnio Scipion. cap. 10.

Totum id exemplo nostratibus noto, vlteriora non perquirens, illustrabo. Celeberrimus Poloniæ Princeps Boleslaus Criuousti, qui quadragies septies, secundis prælijs dimicasse, & victoriam reportasse memoratur, cùm fratrem suum Sbigneum vitâ priuasset, vt hoc peccatum expiaret, quas de se ipso pœnas non sumpsit? quæ bona opera non exercuit? Iam magna, inquit Cromerus, in ornatum templorum, & in alimenta Sacerdotum atque egenorum impendia, & donationes fecerat: iam iugi precatione & lacrymis, & aspero tenuique victu, & cultu corporis, cilicio pro veste vtens, & cinere sese aspergens, membra sua extenuauerat: iam frequenter mendicorum pedes manibus suis abluerat, aliaque complura, quæ ad placandum Deum maximè idonea esse iudicaret, præstiterat: nihilominùs tamen ac si nihil horum fecisset, facti sui memor intimis sensibus angebatur, animumque à grauissimâ ægritudine auocare non potuit. Laborem ergo longæ molestæque peregrinationis adijciendum ratus, in Narbonensem prouinciam ad S Ægidij sepulchrum, peregrinationem priuati habitu

Exemplo Boleslai Criuousti res declaratur. Cromerus lib. 5.

bitu susceпit: atque id iter magnâ ex parte nudis pedibus confecit: nullum templum, nullum monasterium, nullum egentium domicilium, nullum denique Sacerdotem aut mendicum, prætericns, quin liberalitatis & munificentiæ quidpiam in eum depromeret. Quindecim dies apud Diui sepulchrum ieiunijs, & supplicationibus vacans, commoratus, cùm in Poloniam reuertisset, & nec dum optatam cordis quietem recuperasset, in Vngariam ad Diui Stephani sepulchrum alteram peregrinationem instituit, eamque religiosè & pedestri itinere obiuit. Gnesnam etiam adijt, & S. Adalberti reliquias inuisit, tum octoginta marcas auri gemmasque multas in vrnam S. Martyris contulit. Deus bone, quis satis vim conscientiæ, peccatum prodentis miretur, quam tot bellorum hostiumque victor, sufferre non potuit? Quis ad Symbolum illorum trium puerorum, corporis Darij Regis custodum, non adijciat: Conscientiam omnium fortissimam esse?

3. Esdræ 3.

Solet etiam interdum eadem conscientia Iudicium seu Tribunal vocari, præsertim à S. Chrysostomo, Ambrosio, & Gregorio Nazianzeno. Sicut autem priori, ita hac posteriori appellatione declaratur, vnicuique à suâ propriâ conscientiâ ostendi, quòd ab omni peccato liber non sit. Conscientia enim (inquit sanctus Ambrosius) reatum suum semper tacita, sine contradictione conuincit & iudicat. Quod dum præstat, planè officium tribunalis exercet, ad quod pertinet, eum qui alicuius culpæ reus citatur, si eam neget, conuincere, conuictoque iustam pœnam irrogare. Hinc ille ipsius Dei ad populum Israëliticum peccata sua negantem & plagis, quas merebatur, reclamantem, sermo: *Et dixisti: absq; peccato & innocens ego sum: & propterea auertatur furor tuus à me. Ecce ego iudicio contendam tecum, eò quòd dixeris: Non peccaui.*

Habet

Habet porrò tribunal Conſcientiæ multa, quibus cuicunque humano tribunali & iudicio antecellit. Nam inprimis incorruptum eſt. Equidem humana etiam tribunalia, vt ſint talia, requirebat olim Salomon. Non enim abſque myſterio cum ſtruxiſſet porticum, in quâ tribunal erat, texit eam lignis cedrinis à pauimento vſque ad ſummitatem, vt ſacra Scriptura refert. Fecerat in eadem porticu domunculam, in quâ ſedebatur ad iudicandum, ſimili opere. Hoc enim myſterium in hac ſtructurâ nonnulli agnoſcunt, quòd omne iudicium non debeat corrumpi, inſtar cedri, quæ nec tineam nec cariem ſentit: ideoque digna cedro dicuntur, quæ immortalitatem promerentur, & vt poſteris ſeculis conſecrentur, digna cenſentur. Clariùs hæc iudiciorum integritas à corruptelis libera requirebatur, cum Moyſi mandaretur, vt ad iudicandum vniuerſum populum, *eligeret viros potentes & timentes Deum, in quibus eſſet veritas, & qui auaritiam in odio haberent.* Clarè enim ea iudicibus præſcripta erant, quibus ſi illi non deſtituerentur, omne periculum corruptionis longè ab eis arceretur. Ethnici quoque, ne ſua tribunalia corruptionibus exponerentur, quantùm laborârunt? Areopagus id ſatis docet, cuius iudices in templo vel iuxta templum Martis iudicabant, vt ipſa loci religione, de iuſtitiâ rectè adminiſtrandâ monerentur. Iudicabant etiam nocturno tempore & in tenebris, veriti, ne ſi ſecus facerent, munerum vel reorum aſpectu mouerentur. Deinde nullis verborum lenocinijs aures ſuas occupari ſinebant, ſed ſincerè, breuiter, & quàm ſimpliciſſimè cauſam proponi iubebant, ne compta aliqua & fucata oratio animis eorum caliginem offunderet. Tandem ſententiam, non loquendo, ſed calculos, vel abſolutionis, vel damnationis, in vrnam conijciendo, ferebant: vt eò liberiùs, quò ſecretiùs procederent, & de vnâ quaque re, quod æquitas

Multis humana iudicia & tribunalia conſcientia ſuperat.

2. *Reg. c. 7. ℣. 7. & 8.*

Exodi 18. ℣. 21.

Areopagitæ, iudices exactiſſimi & ſeueriſſimi

tas postulabat, securiùs statuerent. Quid memorem Thebanos, apud quos iudicum statuas sine manibus spectari solitas, Plutarchus narrat, vt hac earum mutilatione notum fieret, perinde munerum acceptione iudices abstinere debere, ac si manibus carerent.]

Plutarchus de Iside & Osiride.

An verò pro eo ac curatum est, semper sint aut fuerint incorrupta iudicia, multâ inuestigatione non est opus. Nam, vt alia taceantur, plerumque iudices sunt δωροφάγοι, vt eos appellat Hesiodus, id est, munerum voratores: ego verò addiderim, eosdem simul esse οἰνοποτὰς, id est vini potatores: illius autem vini, quod in

Proverb. 31 ℣. 4. & 5.

Prouerbijs prohibetur regibus & iudicibus per Lamuelem dari, ne obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis; & quod ibidem linguâ Hebræâ vocatur SSECHAR, id est, potus ebrietatem generans: cui in

Psalm. 72. ℣. 10.

eadem lingua affinis vox est ESSCHAR, quæ donum siue

Ezech. 27. ℣. 15.

munus sonat: ita vt hac vocum tam affinium collusione,

Isaia 29. ℣. 9.

indicari videatur, quòd munera inebrient iudicem, &

Ibid. 51 ℣. 21.

à regulâ normâq; iustitiæ procul aberrare faciant. Quod

2. Reg. 7 ℣. 6.

autem duobus his nominibus dictis, id vnico verbo SSACHAR docetur, quod & inebriare, & mercari, operamque alicuius ad tempus emere significat. Quamobrem commemorati vini potatores aptè conferrentur cum illis Regibus & Principibus terræ, qui vt S. Ioannes in

Apocal. 17. ℣. 2. & 4.

Apocalypsi refert, *Inebriati sunt de vino prostitutionis Babylonicæ meretricis, circumdatæ purpurâ & coccino, & inaurato auro, & lapide pretioso, & margaritis.* Cumque tam sublimis dignitatis essent, nihilominùs mercatores vocantur, quia apud eos, cuilibet ius ad vtilitatem suam nundinari licebat.

Chrysost. de Lazaro conc.

Hæc & longè plura cùm S. Chrysostomus videret, solum conscientiæ tribunal incorruptum esse agnouit, & omnibus iudicijs humanis illud prætulit: Externi, inquit, iudices & pecunijs corrumpuntur, & assentationibus

nibus deliniuntur, & metu simulant, denique multa sunt alia, quæ rectum illorum iudicium deprauant: at conscientiæ tribunal nulli hominum nouit cedere: sed quamuis dederis pecunias, quamuis mineris, quamuis aliud quidlibet feceris, iustam feret sententiam aduersus peccatorum cogitationes. adeò, vt ipse quoque, qui peccatum admisit, seipsum condemnet, etiamsi nullus alius accuset.]

Deinde humana tribunalia certis terminis, & loci, & temporis circumscribi solent. Verbi gratia: Areopagiticum tribunal paulò ante commemoratum, in solo Areopago, & nonnisi in templo Martis, locum habuit: item ter tantum singulis Mensibus, iudices eius, causas diiudicaturi conueniebant, scilicet quarto Calendas, tertio & pridie, vt Budæus refert. Tribunal verò conscientiæ nullam talem circumscriptionem nouit, sed quod S. Chrysostomus scripsit, & domi, & in foro, & in templis, & in mensâ, & dormientem, & surgentem adoritur, rationem delictorum exigit, obque oculos proponit, & delictorum grauitatem, & subsecuturam pœnam.]

Bud. in Pandect. leg. Glt. de Seg.

Chrysost. Hom. 17. in 3. Genes. & cons. 4. de Lazaro.

Quomodo autem ad hoc, vt tribunal conscientiæ id, quod sui muneris est, liberè exequatur, nihil obstet, etiamsi à patrato delicto longissimũ tempus elabatur, & is, qui illud patrauit, solum vertat, & in remotissimas regiones commigret, declarat idem sanctus exemplo filiorum Patriarchæ Iacob, qui cum fratrem suum Ioseph Ismaelitis vendidissent, & circiter post duos & 20. annos frumenta empturi, in Ægyptum venissent, etiam ibi huius tribunalis efficacitatem experientiâ didicerunt. Satis hoc indicârunt, cum asperè tractati ad inuicem loquerentur: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus: idcircò venit super nos ista tribulatio.*

Genes. 42. ℣. 21.

bulatio. Quorum verborum lectorem sic affatur sanctus Chrysostomus: Vides? post tantum temporis, peccati illius recordabantur, & ad patrem quidem dixerant: *Fera pessima deuorauit Ioseph*: cæterum ipso Ioseph præsente audienteque peccatum suum prodebant. Quid hac re mirabiliùs accidere possit? Iudicium absque redargutionibus peragitur, & excusatio sine accusatione, probatio sine testibus: dum ipsi, qui facinus peregerant, seipsos redarguunt, quodque clam factum fuerat, efferunt. Quis credo, quis adegit, in publicum efferre, quæ ante tantum temporis patrata sunt? An non perspicuum est, huc adegisse conscientiam iudicem, cui verba dari non possunt?] Porrò cum S. Chrysostomus ait, hoc iudicium, cuius vim experti sunt in Ægypto Iosephi fratres, sine accusatione & testibus peractum esse, intelligit accusatores & testes extraneos ac forenses, qualibus humana iudicia vtuntur. Alioqui toties S. Doctor affirmat, quòd conscientia sit, & iudex, & accusator, & testis, omniaque hæc munia fideliter obeat. Est ergo iudex & quidem non solùm incorruptus, semperque & quouis in loco iudicandi potestatem habens, vt iam expositum est, sed etiam prorsus omnibus causis æquè magnis ac paruis iudicandis sufficiens iudex.

Chrysost. circ. conc. 4. de Lazaro.

Genes. 37. v. 20.

Conscientia est iudex, omnibus causis iudicandis idoneus.

Olim apud Hebræos pro diuersitate causarum diuersa fuisse tribunalia Cardinalis Baronius, ex Angelo Caninio & ex Thalmudicis refert. Si enim aliquæ illarum leuiores erant, de his disceptare, ad tres viros pertinebat. Quod si grauiores exortæ fuissent, remittebantur ad iudicium trium & viginti virorum, quod Synedrion paruum dicebatur. Fuit & iudicium, Synedrion magnum vocari solitum, quod duobus & septuaginta iudicibus constabat, & nonnisi grauissima negotia iudicabat. Quorum nonnulla, licet non nemo in dubium vocet, certum tamen est, plura genera iudiciorum apud

Card. Baron. Tom. 1. ex Canin. & Thalmud.

Hebræos

Hebræos fuisse, & ad eorum singula, certas duntaxat causas pertinuisse. Confirmatur hoc illo loco, in quo de Moyse sic legimus scriptum: *Et electis viris strenuis de cuncto Israël, constituit eos Principes populi, & tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicabant plebem omni tempore: quidquid autem grauius erat, referebant ad eum, id est Moysem, faciliora tantummodo iudicantes.* Paululùm ibi Hieronymus ab Oleastro, lectorem sistit: Aduerte inquit, qualiter secundum causarum difficultatem & multitudinem, iudices multiplicauerit, vt ad supremas mille, ad inferiores centum, ad alias infimas quinquagenarios & decanos: vt nos doceat, pluribus oculis opus esse ad difficiliores, quàm ad alias causas.] Quantum igitur alijs iudicibus conscientia excellit, quæ sola & vnica, vt dixi, omnibus rebus iudicandis sufficit, his etiam, quæ sicut in profundissimis animorum latebris, & recessibus delitescunt, ita nunquam ad subsellia exteriorum iudicum perueniunt? Atque hanc excellentiam S. Ambrosius attigit, de conscientiâ affirmans, quòd innocentium & flagitiosorum merita discernat, sitque vera atq; incorrupta pœnarum præmiorumque arbitra.]

Exodi 18. vers. 25. & 26.

Hieron. ab Oleastro in Comment. Moral. super cap. 18. Exodi.

Ambr. lib. 1. de offic. cap. 12.

Etiam accusatoris personam conscientia gerit.

Eadem conscientia personam accusatoris gerit, quandocunque grauiora peccata admitti videt: miraturque S. Chrysostomus si acrimoniam eius peccator sustineat: Quomodo, inquit, feret conscientiam redarguentem, acerbam & amarulentam accusatricem, vbique secum ferens?] Grauiorum peccatorum memini, quia horum præcipuè reos conscientia insectatur, & acerrimè accusat: quos verò ab illis liberos nouit, hos potiùs excusat, & benignum patronum illis se exhibet; quamuis interim, à leuioribus noxis, eos non esse immunes sciat. Luculenter pro hac re sanctus Paulus facit, cum docet Gentiles in die iudicij vel defendendos vel accusandos; prout conscientia

Chrysost. Hom. 3. de Verbis Isaiæ Vidi Dominum.

tia testimonium dederit, quòd legem diuinam in cordibus eorum scriptam, seruauerint aut non seruauerint. Verba Apostoli sunt: *Testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus, in die, cum iudicabit Deus occulta hominum.* Quæ S. Thomas explanans ostendit, quomodo idem etiam nunc conscientia faciat, quod in fine mundi facturam Apostolus ait. Insurgit inquit. S. Thomas homini circa aliquod factum aliqua cognitio accusans, dum propter rationem aliquam cogitat se malè feciſſe. Psalmo 49. *Arguam te & statuam contra faciem tuam.* Isai. 3. *Agnitio vultus eorum respondebit eis.* Quandoque etiam insurgit aliqua cognitio defendens, dum per aliquam rationem cogitat se feciſſe benè, secundùm illud Iob. 27. *Non reprehendit me cor meum, in omni vitâ meâ.* Et inter hanc accusationem & defensionem, locum habet testimonium conscientiæ, cui statur. Ita S. Thomas.

Roman. 2. ℣. 15.

S. Thom. ibid.

Psalm. 49. ℣. 21.

Isaiæ 3. ℣. 9.

Iob. 27. ℣. 6.

Ex cuius, simulque S. Pauli verbis, præter dicta, hoc quoque habetur, quòd conscientia sit etiam testis. Quis satis explicet auctoritatem huius testis, cuius testimonium, vt modo commemoratus Apostolus asseruit, dies ille nouissimus, de omnibus omnium mortalium actionibus, sententiam laturus, exquiret? Auctoritatem eius extollebant Gentiles Philosophi, quorum vox fuit, vt Quintilianus meminit; Conscientia mille testes. Similiter illi, de quibus Theophilus Patriarcha Antiochenus, scribens contra Christianæ religionis calumniatores, narrat, quòd conscientiam inter Deos numerârint. Vnius ex illis nempe Menandri, etiamnum circumfertur dictum: Cunctis mortalibus conscientia est Deus.

Testis quoq; personam eadem conscientia gerit.

Quintil. lib. 5. Orat. instit.

Theophil. Antioch. lib. 2.

Cùm autem ad testem etiam pertineat, vt rem de quâ testatur, bene cognitam habeat, nemo inficiari potest, conscientiam esse testem, qui omnium rerum,

quæ

quæ ab hominibus geruntur, perfectissimam cognitionem & scientiam possideat. Ipsum nominis eius etymon, id demonstrat, siquidem conscientia idem est, quod simul scientia, vel, cum homine quidpiam facente, scientia. Nec aliud sonat vox Græca συνείδησις composita ex συν & εἰδέναι, id est simul scire. Quocirca meritò quemlibet, qui talem ac tantum testem contemnit, sua exclamatione percellit Seneca: O te miserum, si contemnis hunc testem.] Ad cuius imitationem, meritò etiam hucusque alter alterum inclamaret. O te miserum, si hoc iudice, hoc accusatore, hoc teste, videlicet conscientiâ, dicere audeas, nulla vnquam labe peccati te inquinatum esse. *Seneca Epist. 43*

CAPVT NONVM.

Probatur quintò, aliquot moralibus speculis nosmetipsos nobis repræsentantibus.

INgenium humanum, sicut alia innumera, ita & specula inuenit, in quibus elegantioris munditiei studiosi, effigiem suam contemplari solent. Primus Praxiteles Magni Pompeij ætate, argentea quòd fecerit, Plinius refert. His succesſere alia, ex ferro, plumbo, crystallo, vitro, mistisque materijs, incertis tamen auctoribus. Humano ingenio, vt Polydorus Vergilius inquit, præiuit natura, quæ & ipsa hominibus sua specula dedit. Talia sunt omnia humida & liquida, potissimùm autem est aqua, quæ præ omnibus speculis, quòd in repræsentando humano vultu, nullam fraudem committat, ideò ab Aristotele naturale speculum vocatur. Atque hoc, quod de natura asseritur, etiam annotauit Seneca: Re-

Praxiteles specularum inuentor. *Plinius lib. 33. c. 9.*

Polyd. lib. 2. de inuent. rerum c. 20.

Natura ipsa hominibus quædam specula dedit.

Seneca lib. 1. natur. Quæst. c. 17. rum, inquit, natura facultatem nobis dedit nosmetipsos videndi. Fons cuique perlucidus, aut læue saxum, imaginem reddit, vt reddebat illi, qui cecinit: Nuper me in littore vidi: Cùm placidum ventis staret mare.]

Speculorum vtilitas multiplex. Neque verò pauca vel exigua sunt emolumenta, quæ omnis ætas hominum, ex inspectione speculorum capit. Aliquot recensèt ibidem Seneca. Inuenta inquit, sunt specula, vt homo ipse se nosceret. Multa ex hoc consecuta. Primò sui notitia, deinde & ad quædam consilium. Formosus; vt vitaret infamiam: deformis, vt sciret redimendum esse virtutibus, quidquid corpori deesset: iuuenis, vt flore ætatis admoneretur, illud tempus esse discendi, & fortia audendi: senex, vt indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret.] Consimile de speculis iudicium alijs Philosophis fuisse con-

Laert. lib. 7. c. 1. stat. Nonne Zeno adolescentem, curiosas quasdam quæstiones proponentem, ad speculum adduxit, & vt vultum suum in illo aspiceret, monuit: tum interrogauit, deceretne eius formæ, & ætatis hominem talia sci-

Lycost. Verb. Spec. ex Brus. lib. 6. cap. 16. scitari? Nonne Socrates discipulis suis, vt se in speculis contemplarentur, commendabat, dicens: Si tibi pulcher videris, vide, vt probè viuas: quia nimiùm dedecet, pulchrum esse & malum. E contra si tibi deformis

Idem ibidem. videris, eò rectiùs te gerito, & corporis defectum morum probitate compensa. Nonne Plato ebrijs iratisq; suadebat, vt se in speculo ita affectos intuerentur, visaque totius faciei turpitudine, tam ebrietatem quàm iram vitarent? Omnes isti iudicarunt, etiam ad cognoscenda nonnulla vitia, & corrigendos prauos mores, plus interdum speculi inspectionem, quàm longas ad-

Aristot. l. Polit. 8. cap. 6. hortationes, & multa monita posse. Pertinet huc exem-

Plutarch. in lib. de non irascendo n. 20. plum Mineruæ, cuius meminerunt Aristoteles & Plutarchus, & de qua referunt, quòd canere tibiâ maximum eius oblectamentum fuerit, nec vnquam Satyro, toties

illi

illi indecoram oris inflationem exprobranti, & vt hoc genere cantus supersederet monenti, parere voluerit. Sed cùm in amne quodam, veluti in speculo, vultus sui speciem canendo vidisset, ad deformitatem eius exhorruit, tibiasque abiecit.

Etiam anima sua specula habet.

Videndum iam est, num anima quoque pars hominis corpore nobilior, aliqua specula habeat, in quæ consideration em intendendo perspicuè cognoscat, etiam sibi non deesse maculas, & nævos, in quibus tollendis omnes laboris impensas agere oporteat? Habet omninò, sanctique Patres, quæ nam illa sint, manifestè indicant. Sanctus enim Augustinus speculum animæ dicit esse Scripturam sacram, & vnicuique eam commendans ait: Scriptura sacra sit tibi tanquam speculum. Speculum hoc, habet splendorem non mendacem, splendorem non adulantem, nullius personam amantem. Formosus es? Formosum te vides. Fœdus es? Fœdum te vides. Sed cùm fœdus accesseris, & fœdum teibi videris, noli accusare speculum.] A S. Augustino S. Gregorius non dissidet. Scriptura inquit, sacra mentis oculis; quasi quoddam speculum opponitur, vt interna nostra facies in ipsa videatur. Ibi etenim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus. Ibi sentimus quantùm proficimus, ibi à profectu quàm longè distamus.]

August. serm. 237. de tempore.

Greg. lib 2. Moral. cap. 1.

Cæterum alio in loco idem S. Doctor legem & mandata Dei, specula vocat, & cum illo labro æneo, quod Moyses narratur fecisse cum basi sua, de speculis mulierum, comparat. Labrum, inquit, æneum Moyses ponit, in quo Sacerdotes lauari debeant, & sancta sanctorum ingredi: quia lex Dei priùs nos lauari per compunctionem præcipit, vt nostra immunditia, ad penetrandam secretorum Dei munditiam, non sit indigna. Quod benè labrum de speculis mulierum perhibet factum, quæ ad tabernaculi ostium indesinenter excubabant.

Idem Homil. 17. in Euang.

Exodi 38. ℣. 8.

bant. Specula quippe mulierum sunt præcepta Dei, in quibus se sanctæ animæ semper aspiciunt, & si quæ in eis sunt fœditatis maculæ, deprehendunt. Cogitationum vitia corrigunt, & quasi retinentes vultus, velut ex reddita imagine componunt: quia dum præceptis Dominicis solerter intendunt, in eis procul dubiò, vel quid in se cælesti viro placeat, vel quid displiceat, agnoscunt.]

Leo serm. 11. de Quadrag. cap. 4.

Adiunge his S. Leonem, cuius est vox: Artifex misericordia Dei splendidissimum in mandatis suis condidit speculum, in quo homo faciem suæ mentis inspiceret, & quàm conformis imagini Dei, aut quàm dissimilis esset, agnosceret.]

Diligenter autem, dictum sacræ Scripturæ, & mandatorum Dei speculum, inspici debet. Antiqui Christiani specula, de quibus paulò ante actum, laudabiliter vitabant, & probro illis criminique fuit, si quis in ornando se, illa consuleret. Patet id ex scriptis S. Iustini Philosophi & Martyris, qui in Epistola de vita Christiana ad Zenam & Serenum indicat, quòd etiam mulieres verecundiâ prohiberentur, ne se ad speculum comerent: & si quæ venustatis nimis appetentes essent, vndam vel oleum facie inclinata clanculum aspectarent. Næ illi priores Christi & Ecclesiæ filij, grauiter confundunt posteriorum seculorum effeminatos viros, inter pectinem, vt loquitur Seneca, & speculum occupatos, in quorum numero non neminem repereris, qui magis velit Rempublicam turbari, quàm comam suam: qui solicitior sit de capitis sui decore, quàm de salute: qui comptior esse malit, quàm honestior. Verùm his mollibus hominibus relictis, ad serios & primigenios Christianos redeo, qui quòd speculum exteriorem faciem repræsentans vitârint, laudabiliter illos feciſſe dixi. Sed num etiam laudabiliter Scripturæ, & mandatorum Dei speculum vitassent, aut negligenter illud intueri

Iustinus. Epist. ad Zenam & Serenũ.

Seneca lib. de brevitate vitæ cap. 12.

con-

consueuissent? Minimè. Scripturæ enim accurata & diligentissima debet esse inspectio, vt ipse Christus illo monito docuit: *Scrutamini Scripturas.* Quod expendens S. Chrysostomus ait: Christus Iudæos ad scripturarum non simplicem, & nudam lectionem, sed ad inuestigationem perquam diligentem relegauit. Non enim dixit: Legite scripturas, sed, Scrutamini. Diuina enim summâ indigent diligentiâ.] Scriptura sacra diligenter inspici debet. *Ioan. 5. ℣. 39.* *Chrys. in 5. Ioan. Homil. 40.*

Atque hanc diligentiam quisquis adhibuerit, absque difficultate verè, & sæpiùs se deliquisse aduertet. Tam clarè enim in sacris libris, quid Deus vel præcipiat, vel prohibeat, proponitur; tam enodatè virtutes, & vitia etiam minuta exprimuntur; vt qui illos sedulò inspicit, & multa bona se omisisse, & non pauca mala commisisse, ingenuè fateri cogatur. Ipsâ proinde experientia discet, verissimè à S. Paulo scriptum esse: *Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum, in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Discet præterea Scripturam sacram esse speculum dissimillimum illi, quod, vt refert Pausanias, apud Arcades in templo Cereris parieti inclusum, tantummodò simulacra quædam Deorum ostentabat, nullos verò hominum vultus repræsentabat. Quamuis enim primariò Deum, sacræ Scripturæ speculum repræsentet, siquidem in eo, præter innumera alia, consilia quoque, vt ait S. Gregorius omnipotentis Dei agnoscimus, & amorem, quo humanum genus dilexit, inuenimus: simul tamen repræsentat homines, vt vnusquisque, quid sibi ex virtutibus desit, quid item ex vitijs insit, commodissimè videre, & quidlibet corrigere possit. Illustrat id exemplo suo Æthiops Eunuchus potens Candacis reginæ Æthiopum, qui nigrorem & deformitatem animæ suæ non priùs vidit, & correxit, quàm dictum speculum intuitus fuisset, id est, librum *2. ad Timoth. 3. ℣. 16.* *Pausan. in Arcad.* *Greg. in cap. 2m. 1. Reg. ℣. 35. expos. poster.* *Actor. 8. ℣. 27.*

librum Isaiæ Prophetæ legisset. Hac enim lectione & eius interpretatione mentis suæ tenebras dispulit, abiectoque cultu idolorum, cui, vt sentiunt nonnulli, deditus erat, vero Deo adhæsit, & aquâ baptismi à Philippo Diacono candidus factus, quomodo Æthiops pellem suam possit mutare, ostendit. Quòd totum considerans S. Chrysostomus meritò in laudes sacræ Scripturæ excurrit, & exclamat: Tanta res est ac tam vtilis scripturarum lectio. Meritò & illum Eunuchum prædicat, qui cum magnæ dignitatis, & eximiæ amplitudinis esset, non solùm domi, sed etiam in itinere, & in curru, Scripturam sacram lectitabat.

Isaiæ 53. ℣. 7.

Aerem. 13. ℣. 23.

Chrysost. Hom. 19. in acta Apost.

Ad eandem verò illustrandam, præstò sunt aliorum exempla, qui itidem in Scripturæ sacræ speculo animæ suæ maculas aduerterunt. Talis fuit S. Iustinus Philosophus & Martyr, qui non aliter errores suos fidei Catholicæ oppositos agnouit, quàm, vt ipsemet in suo dialogo cum Tryphone testatur, sacros Prophetarum libros legendo, vel vt verbis S. Petri vtar, attendendo prophetico sermoni, *quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies eluceseret, & lucifer oriretur in corde eius.* Talis fuit & S. Augustinus, qui cùm priùs in cœno voluptatum turpium volutaretur totus, omnem deinde honestatem & virtutem coluit, postquam illa S. Pauli verba legit: *Sicut in die honestè ambulemus; non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, &c.* Proponam alterum speculum, si S. Bernardi adhortationem, ad diligentem Scripturæ sacræ lectionem nos omnes excitantem, præmisero. Commemorans verba illa S. Iacobi Apostoli: *Siquis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti, vultum natiuitatis suæ in speculo: Considerauit enim se & abijt, & statim oblitus est, qualis fuerit.* hæc inquam verba commemorans, ait vir sanctus: Nos autem fratres, non sic, obsecro, non sic, sed con-

Iustinus in dialogo cum Tryphone.

August. 8. confes. cap. 12.

Roman. 13. ℣. 13. & 14.

Iacob. c. 1. ℣. 23. & 24.

Bernard. serm. 1. de 7. Panibus.

consideremus nosmetipsos in ea, quam audiuimus, sacri Euangelij lectione, vt proficiamus ex ea, & corrigamus secundùm eam, si qua in nobis deprehendimus corrigenda.]

Christus est quoqs animæ speculum.

Est quoque humanarum animarum *Speculum Christus Dominus*, & tota eius vita, quam in terra, salutem generis humani operando, gessit. Hoc vocabulo illum appellauit Salomon, cùm scripsit: *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Nam Origenes & S. Augustinus, vel eius nomine alius, sanctus item Ambrosius, de Filio Dei istum locum explicant. Et verò, vt annotauit super illa Salomonis verba Lorinus, benè attribuitur dictum vocabulum Filio: Causa dictæ attributionis est, quia Filius instar speculi læuissimi, & nitidissimi cælestem Patrem, atque diuinam essentiam eius repræsentat: vtpote qui eam ipsam essentiam, & diuinitatem habeat, quam Pater habet. Et idcirco Christus Dominus roganti Philippo, vt sibi & reliquis Apostolis ostenderet Patrem, respondit: Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.] Adde ex eodem Origene, & ex D. Augustino, quòd sicut speculum omnes actus, & motus hominis illud intuentis exprimit: ita Filius Dei perfectissimè exprimit omnes perfectiones æterni Patris, & omnes operationes eius, iuxta illud dictum: *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.* Vnde patet, quo sensu S. Paulus Filium Dei vocarit figuram substantiæ eius, vel vt in Græco textu habetur, characterem hypostasis eius. Patet secundò, longissimè à perfectione huius speculi distare res omnes creatas, quæ etiam ab Apostolo vocantur speculum, in quo à nobis videatur Deus. Nam vt S. Ambrosius inquit, solus Christus est plena imago Dei, propter expressam in se paternæ claritudinis vnita-

Sapient. 7. ℣. 26.

Origen. lib. 1. Peri archon cap. 2.
August. lib. 1. de Incarnatione c. 13.
Ambr. lib 1. de fide cap. 4.
Lorin. ibid. Psal. 35. ℣. 10.

Ioan. 14. ℣. 9.

Ioan. 5. ℣. 19.

Hebr. 1. ℣. 3.

1. Cor. 13. ℣. 13.

Ambr. lib. 10. in cap. 22.

vnitatem, & perfectissimam Patris repræsentationem.

August. lib. de vera religione c. 16.

Sed his aliò remissis, vbi de talibus differi solet subtiliùs, loco illorum sit S. Augustinus, qui etiam de Christo perinde ac de speculo loquitur: Tota inquit, vita eius, in terris per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit.] Antequam autem hoc dixisset, priùs enumerauit non pauca, quæ Christus in seipso, tanquam in speculo expressit: vt ea homines contemplando, praua de rebus iudicia corrigerent, & quàm sæpè amplectenda respuant, respuenda amplectantur, viderent. Verba eius sunt: Satellites voluptatum diuitias perniciosè populi appetebant: pauper esse voluit. Honoribus & imperijs inhiabant: Rex fieri noluit. Carnales filios magnum bonum putabant: tale coniugium prolemque contempsit. Contumelias superbissimè horrebant: omne genus contumeliarum sustinuit. Iniurias intolerabiles esse arbitrabantur: quæ maior iniuria, quàm iustum innocentemque damnari? Dolores corporis execrabantur: flagellatus atque cruciatus est. Mori metuebant: morte mulctatus est. Ignominiosissimum mortis genus crucem putabant: crucifixus est. Omnia quæ habere cupientes non rectè viuebamus, carendo vilia fecit. Omnia, quæ vitare cupientes, à studio deuiabamus veritatis, perpetiendo deiecit.]

Robert. Holcot in 7. Sapientiæ lect. 102.

Meretur eruditus libri Sapientiæ interpres Robertus Holcot, vt quam inter Christum, & speculum similitudinem inuenit, eam hîc non præteream. Speculũ, inquit, cùm est integrum, vnius hominis illud intuentis, vnam imaginem refert: at si in plures partes scindatur, & omnes illæ eidem homini obijciantur, tot imagines apparebunt, quot particulæ erunt. Similiter quam diu Christus animam suam cum mortali corpore coniunctam habuit, tam diu vna tantum eius natura, scilicet humana, apparebat, passimque ab hominibus homo tantùm,

tantùm, & non simul Deus & homo, Christus fuisse credebatur. Sed postquam illius animæ à corpore facta est per mortem separatio, statim altera eius natura, videlicet diuina, innotuit: ita vt cruci astans Centurio clamaret: *Verè hic homo Filius Dei erat*: idemque profiterentur omnes, qui à monte Caluariæ, percutientes pectora sua, domos redibant. Ad maiorem huius speculi commendationem addit nominatus auctor, quòd ideò à Salomone dictus sit Christus speculum sine macula, vt constet, quantum interfit inter illum, & omnes homines, qui etiam specula quædam, sed non sine macula, appellari possunt. Quilibet enim illorum habet fomitem concupiscentiæ, spiritui continuè repugnantem, à quo frequenter eò pertrahitur, vt variorum peccatorum maculas contrahat, quas intelligebat Iob dicens: *Quis est homo, vt immaculatus sit, & vt iustus appareat, natus de muliere?*

Marci 15. ℣. 39. Luca 23. ℣. 48.

Iob 15. ℣. 14.

Cùm autem multiplex sit differentia speculorum, quòd alia sint plana, alia concaua, alia conuexa, dicit Christum fuisse speculum planum planè docendo: speculum concauum, humiliter moriendo: speculum conuexum, potenter resurgendo. Et sanè placet similitudo prior. Nam imprimis cùm specula plana imagines rebus obiectis æquales, verè & clarè exhibeant, similem illis Christum docentem fuisse ait. Doctrinas enim suis auditoribus adæquatas tradebat, implens illud, quòd hostes eius, licet fraudulento corde, dicebant: *Non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum.* Verè etiam docebat secundùm illud eorundem dictum: *Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Clarè quoque, tum quòd verbis perspicuis vteretur, tum quòd doctrinas factis ipsis confirmaret. Multùm enim claritatis cuilibet doctrinæ accedit, si doctor, quod ore docet, hoc opere præstat. Hinc illud Pla-

Matth. 22. ℣. 16.

Plato in dialogo de regno.

tonis: Arduum est absque exemplis res magnas lucidè ostendere.]

Placet quoque secunda. Huius enim proprietatis sunt concaua specula, quòd rei obiectæ superiorem partem reddant inferiorem, & eam, quæ inferior est, reddant superiorem: ita vt homo coram speculo concauo, pedes versus cælum, caput versus terram habere videatur. Atqui similiter inuerso ordine fiebant omnia, cùm Christus pateretur & moreretur. Nam summus Deus (inquit is auctor) à vilissimis hominibus torquebatur: summè iustus accusabatur: summus iudex plectebatur. Tribuitur & hoc speculis concauis, quòd in illis radij solis collecti ignem excitent, & omnia quæ vri possunt, si in illa directi fuerint, inflamment. Experientiâ id probatum, Romanis Syracusas obsidentibus, quo tempore celeberrimus Archimedes, speculis versus solem suspensis, radijsque eius in hostium naues conuersis, effecit, vt eas omnes, ex aére accensoingens flamma instar fulminis erumpens combusserit. O quàm præstans ignis, quem cœleste speculum Christus in mundo accendit, & de quo dixit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur?* Charitas est hic ignis, de qua benè S. Augustinus: Ipsa, inquit, est virtus, quam nemo vincit. Huius ignem nulli fluctus seculi, nulla flumina tentationis extinguunt. De hac dictum est: *Valida est sicut mors dilectio.* Quomodo enim mors, quando venit, resisti ei non potest, quibuslibet artibus, quibuscunque medicamenris occurras, violentiam mortis vitare non potes, quia mortalis natus es: sic contra violentiam charitatis mundus nihil potest.]

Dion. & Zonar Tom. 2. in Syrac. obsid. & Tom. 3. in Anast. Dic. ero.

Luca 12. ℣. 49.

August. Psal. 47.

Cant. 8. ℣. 6.

Postremò placet tertia. Sublimis enim eminentiæ apparuit speculum Christus, quando à mortuis redijt, victorque mortis nobilem triumphum ex ea egit. Nempe tunc nouo argumento ostendit, quòd non solùm

lùm homo, sed etiam verus Deus esset, iuxta illud sancti Pauli: *Prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum.* Roman. 1. ℣. 4. In quo loco S. Chrysostomus, tres modos aduertit, quibus Apostolus, Christi diuinitatem probat: scilicet, quia virtutem miraculorum, quæ operabatur, à se ipso habebat: deinde, quia Spiritum sanctificationis, siue Spiritum S. humanas animas sanctificantem dabat: postremò, quia se ipsum mortuum ad vitam reuocauit. Hoc enim viribus proprijs nemo præstare potest, qui tantùm sit homo & non simul Deus. Præterea resurgens Christus, admirandæ excellentiæ potestatem accepit, de qua ipse discipulis suis in monte Galilææ rediuiuus apparens, dixit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Matth. 28. ℣. 18. Equidem, vt ait doctus horum verborum interpres, Christus vt Deus, omnem potestatem à Patre per æternam generationem habuit. Eandem habuit secundum humanitatem ipso conceptionis puncto, propter admirabilem naturæ humanæ cum diuina vnionem: vt idcircò diceret: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Matth. 11. ℣. 27. & S. Euangelista Ioannes de illo: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* Ioan. 13. ℣. 3. Atqui nouo titulo dictam potestatem comparauit sibi Christus, scilicet per merita, quæ potissimùm in passione & in cruce enituerunt. Ideoque S. Paulus commemorata Christi morte, morte autem crucis, statim subiunxit: *Propter quod & Deus exaltauit illum.* Philip. 2. ℣. 9. Quodsi per potestatem Christi intelligatur potestas, quam habuit ad regnum suum spirituale propagandum, & ad illud, omne genus hominum congregandum, etiam sic excellentis dignitatis fuit. Ipse cœlestis Pater eam voce illa indicauit: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuã, & possessionem tuam terminos terræ.* Psalm. 2. ℣. 8. Propheta quoque Daniel: *Dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus & linguæ ipsi seruient: potestas eius, potestas æterna, quæ*

Chrys. Hom. 1. in Epist. ad Roman.

Barrad. Tom. 4. lib. 9. cap. 6.

Daniel. 7. ℣. 14.

na, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur.

Coram hoc ergo ſpeculo, Chriſto, inquam, ſiſtat ſe aliquis, etiam qui iuſtiſſimus & ſanctiſſimus videtur eſſe, innocentiam eius ſpeculetur, virtutes eius conſideret, & cum ſuis comparet: an non ſtatim multis peccatorum maculis, quas eluere oporteat, ſe inquinatum eſſe aduertet? Hoc modo fuſcum ſuum colorem aduertit Sponſa, cuius vox eſt: *Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim, quia decolorauit me Sol.* Quem locum expendens S. Bernardus, poſt alias eius explicationes, hanc etiam ponit: Decolorauit me Sol, ſui nimirum comparatione ſplendoris, dum appropians illi, ex eo me obſcuram deprehendo, nigram inuenio, fœdam deſpicio. Cæterùm aliàs quidem formoſa ſum, quid fuſcam dicitis, ſolius ſolis pulchritudini ſuccumbentem?] Quare non multùm etiam diſſimilis Chriſtus ſpeculorum, quæ Græci dicunt ἑτερόσχημα, & παράχροα, quòd in illis figuræ & colores rerum aliter appareant, quàm ſint. Eius generis fuit illud in templo Smyrnæ, quod egregias quaſque ſpecies, admodum deformes & aſpectu horribiles reddebat. Horum vt dixi, ſpeculorum non multùm diſſimilis Chriſtus, quem qui contemplatur, deformitatem animæ ſuæ videre, Chriſtumque illis verbis Pſalmiſtæ, alloqui cogitur: *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Quæ ſic illuſtrauit Origenes: Fuerit licet iuſtus Abraham, iuſtus Moyſes, iuſtus vnuſquiſque illuſtrium virorum: ſed ad comparationem Chriſti non ſunt iuſti. Lux eorum cum eius luce compoſita, tenebræ reperiuntur. Et quomodo lumen lucernæ ad ſolis radios obſcuratur, & velut alia quædam cæca materies contenebreſcit: ſic licet fulgeat iuſtorum omnium lumen ante homines, non tamen fulget ante Chriſtum. *Luceat quippe lumen veſtrum*, non ſimpliciter dictum eſt, ſed, *luceat ante homines.* Ante Chriſtum non poteſt lumen fulgere iuſtorum. Sic Origenes.

Cant. 1. ℣. 5.

Bernar. ſerm. 28. in Cant.

Plinius l. 33. c. 9. Cauſin. in parab. h. ſt. l. 12. ſymb. 58.

Pſal 42. ℣. 2.

Origen. Hom. 9. in Ezechiel.

Matth. 5. ℣. 16.

Præte-

Præterea ſpeculum eſt Virgo Deipara, quam S. Ambroſius virginibus, & per eas omnibus hominibus ad hunc modum commendat: Sit vobis tanquam in imagine deſcripta virginitas, vitaque Beatæ Mariæ, de qua velut in ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Hinc ſumatis licet exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari, magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, oſtendunt.] Nihil ab his diſcrepant illa S. Ildephonſi: Virginitas & vita Beatæ Mariæ, ſpeculum & ſpecies fuit totius caſtitatis, & integritas virtutum, decus pudicitiæ, & magiſterium valdè eximium probitatis: in qua rogo, videant virgines, quid vitare, quid corrigere, quid tenere debeant honeſtatis.]

Virgo ſanctiſſima ſpeculum. *Ambr. initio l. 2. de Virginibus.*

S. Ildephonſ. ſerm. 3. de Aſſumpt.

Et quidem, ſi prout iſti ambo magnâ vitæ ſanctimoniâ illuſtres viri admonent, hoc ſpeculum intueremur, expeditam artem, ne nos tartareus ſerpens mortifero veneno inficiat, haberemus. Baſiliſcum, quo nihil dirius, qui ſine vllo periculo ſuo interimere volunt, vndique ſe totos ſpeculis contegunt, vt refert Ludouicus Viues, atque propiùs ad beſtiam accedunt: quæ cùm ſe in illis expreſſam aſpicit, vi venenatorum radiorum, ex oculis eius prodeuntium, in illam ipſam à ſpeculis reflexorum perit. Bonum eſt hoc exemplar induſtriæ, qua contra tartareum Baſiliſcum vti debemus. Nihil enim is nocebit nobis, ſi hoc ſpeculo contecti, id eſt patrocinio Virginis ſanctiſſimæ muniti fuerimus, lætique canemus: *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus.* Nam, vt rectè S. Bonauentura inquit: Non ſic timent hoſtes viſibiles caſtrorum multitudinem copioſam, ſicut âereæ poteſtates Mariæ vocabulum, patrocinium, exemplum. Fluunt & pereunt, ſicut cera à facie ignis, vbicunque inueniunt crebram huius nominis recordationem, deuotam inuocationem, ſolicitam imitationem.

Viues in ſchol. ad S. Auguſt. de Ciuit. lib. 18. c. 13.

Pſal. 14. ℣. 4. Bonauent. in ſpec. B. Virg. lect. 2. ex Bern.

Deinde facilè acquireremus lumen, quo illuminatis difficile sit à via, quæ ducit ad cœlestem vitam, aberrare. Affirmat Simon Maiolus, quòd in speculo, si sub dio mergatur in aqua, repræsentetur horis diurnis stella quædam, licet tunc nulla in cœlo stella compareat, sed, vt idem auctor addit, illud, quod per id temporis in speculo se visendum præbet, est sol ipse, qui superficiem aquæ suis radijs ferit. Quantò certiùs affirmauerit quisque, speculum, de quo nunc agimus, scilicet Virginem Deiparam, nunquam sine stella esse: imò illam ipsam stellam esse, de qua S. Bernardus, interpretans nomen Maria, quod sonat maris stellam, sic ait: Ipsa aptissimè sideri comparatur: quia sicut sine sui corruptione sidus suum emittit radium, sic absque sui læsione Virgo parturit filium. Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virgini filius suam integritatem. Ipsa est igitur nobilis illa stella ex Iacob orta, cuius radius vniuersum orbem illuminat: cuius splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat, terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes, quàm corpora: fouet virtutes, excoquit vitia. Ipsa, inquam, est præclara & eximia stella, super mare magnum & spatiosum necessariò subleuata, micans meritis, illustrans exemplis. Digna lectu, quæ ibidem vir sanctus adiungit.

Maiolus memorat colloq. 23.

Bernard. Hom. 2. super Missus est.

Numer. 24. ℣. 17.

Præterea quid nobis ad spem possidendi æternam beatitudinem ostendatur, in eodem speculo videremus. Magnum illum Philosophum Pythagoram Cælius Rhodiginus hoc in more habuisse narrat, vt quod ipsi collibuisset, sanguine perscriberet in speculo, moxque literis ad lunam orbis pleni obuersis, stanti à tergo, vt in lunæ exaratas disco commonstraret. Fortè augurale fuit hoc Pythagoræ speculum, sed quod non futura cognoscendi, sed turpiter errandi occasionem daret, tantoque Philosopho illuderet. Nobis Deipara est

Rhodig. lib. 9. lect. antiq. cap. 23.

ſpeculum minimè fallax, quod contemplando augurari liceat, quàm felicem totius vitæ noſtræ mortalis euentum habituri ſimus. Si enim illam piè ſanctèque coluerimus, & virtutes eius noſtra imitatione exprimere ſtuduerimus, ſpes eſt fore, vt cœleſtibus gaudijs potiamur. Pro certo id S. Bonauentura promittit: Qui acquirit, inquit, gratiam Mariæ, agnoſcetur à ciuibus paradiſi: & qui habuerit characterem eius, annotabitur in libro vitæ.] Nec minùs S. Bernardus Deiparam alloquens: Tu virtutum tibi inditarum à Deo magnificis exemplis ad imitationem tui nos prouocas, ſicque noctem noſtram illuminas. Qui enim vias tuas conſectatus fuerit, non ambulabit in tenebris, ſed lumen vitæ inueniet. Lege opuſculum Iulij Cæſaris Recupiti de ſignis Prædeſtinationis & Reprobationis.

Bonauent. in Pſalt.

Bernard. in deprec. ad B. Virg. Mariam.

Ad extremùm in multis nos omnes offendiſſe, cum S. Iacobo Apoſtolo ingenuè fateremur, & quæ virtutes in Virgine ſanctiſſima omnibus numeris ſunt abſolutæ, eas in nobis ne inchoatas quidem eſſe agnoſceremus; imò vnicuique illarum oppoſitis vitijs nos ſcatere cerneremus. Aptè ad id proponit nobis hoc ſpeculum S. Ambroſius ſupra commemoratus: Virgo erat non ſolùm corpore, ſed etiam mente, quæ nullo doli ambitu ſincerum adulteraret affectum: corde humilis, verbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior, non in incerto diuitiarum, ſed in prece pauperis, ſpem reponens: intenta operi, verecunda ſermone, arbitrum mẽtis ſolita non hominẽ, ſed Deum quærere: nullum lædere, benè velle omnibus, aſſurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem ſequi, amare virtutem. Quando iſta vel vultu læſit parentes? quãdo diſſenſit à propinquis quando faſtidiuit humilem? quando deriſit debilem? quando vitauit inopem? eos ſolos ſolita cœtus virorum inuiſere, quos

tract. 1. c. vltimo.

Ambr. lib. 2. de Virginibus.

re, quos misericordia non erubesceret, neq; præteriret verecundia. Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum: non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior: vt ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis.]

Homines Sancti speculum.

Postremò speculum sunt homines sancti. Speculum illos appello, non propter illam promiscuè omnibus hominibus communem rationem, propter quam S. Gregorius Nyssenus, quemlibet hominem cum speculo comparat: Homo, inquit, reuera speculo est similis, formas suscipiens ex simulacris institutorum & liberarum electionum: sed propter peculiarem causam, quam intelligebat S. Paulus, cùm seipsum & alios iustos appellans speculum, scriberet Corinthijs: *Nos verò omnes reuelata facie, gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* Vbi præter recentiores explanatores S. Augustinus & S. Thomas aduerterunt verbum Speculantes, non à speculatione, id est contemplatione, sed à speculo sumptum esse. In Græco enim textu habetur κατοπτριζόμενοι, quod à speculo Græcè κάτοπτρον dicto deducitur. Causa autem nominata in hoc consistit, quia Sancti accipiunt à Christo claritatem, & veluti lucidam in speculo puri cordis imaginem, quam subinde in alios transmittunt. Transmittunt porro cum exemplo sanctitatis lucent, & quidquid in peccatore vitiosum, eorumque virtutibus contrarium, id illi ob oculos ponunt.

Greg. Nyss. Hom. in Cant.

2. Cor. 3. ℣. 18.

Augusti. lib. 15. de Trinit. cap. 8.
S. Thom. in comment.
Cos. Magal, lib. 3. in Cant. M. Moysis, sect. 8. an. 5.

Illustrat hoc totum S. Gregorius Magnus explicans illud Eliu: *Respiciet homines, & dicet: Peccaui, & verè deliqui.* In quibus duo S. Doctor notat. Primum, conueniens in sacra Scriptura nomen iustorum esse, vt dicantur homines: quia illi sunt, qui omnia ratione faciunt, nec se bestiarum instar prauis appetitionib⁹ quoquam abripi permittunt. Ad quod confirmandum ad-

Greg lib. 24. Moral. c. 8. & 9. Iob 33. ℣. 27.

ducit

ducit illum sermonem Dei: *Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ, homines estis.* Concedit tamen, interdum ab eadem Scriptura rebus terrenis deditos, appellari homines, vt cùm Apostolus Corinthijs dicit: *Cùm enim sit inter vos zelus & contentio: nonne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis?* mox subijcit: *Nonne homines estis?* Idem & in eadē Scriptura aduerterat S. Chrysostomus, scilicet, nomen hoc Homo, iusto rectè & sæpiùs dari. Nam cùm legat: Nōé homo iustus, vbi vulgata versio, non hominem, sed virum nominat, sic ait: Commune nomen pro laude iusti vsurpat. Nam cæteri ob carnales voluptates, quibus immersi erant, amiserant esse homines. Iste, inquit, in tanto populo, hominis imaginem seruauit. Tunc enim homo est, quando virtutem colit. Neque enim speciem habere hominis, & oculos, & nares, & genas, & os, & cætera membra, hominem esse ostendunt. Hæc enim membra sunt corporis. Hominem illum dicimus, qui imaginem hominis saluam retinet. Quæ autem est imago hominis? Rationalem esse. Quid ergo? an non & illi fuerunt rationales? Verùm non hoc solùm fuerit hominem esse, sed & virtutibus deditum, & vitia fugere, & illicitis affectionibus imperare, & mandatis dominicis obtemperare.] Ostendit deinde S. Chrysostomus, quomodo eadem Scriptura homines, qui non virtutes, sed vitia consectantur, vocabulo hominis spoliet, appelletque eos carnem, terram, equos, aspides, canes, viperas. Tandem concludens ait: Quid ergo miserabiliùs fuerit peccatoribus, qui & ipso hominis nomine priuantur?]

Ezech. 34. ℣. 31.

1. Cor. 3. ℣. 3. & 4.

Chrysost. Hom. 23. in Genes.

Genes. 6. ℣. 9.

Genes. 6. ℣. 12.
Ibid. ℣. 11.
Ierem. 5. ℣. 8.
Psalm 13. ℣. 3.
Isaiæ. 56. ℣. 10. 11.
Matth. 3. ℣. 7.

Alterum, quod in verbis Eliu supra adductis S. Gregorius notat, vtilissimum esse, vitam Sanctorum, quos ille nomine hominum intelligit, contemplari. Ita enim illa verba: *Respiciet homines, & dicet: Peccaui,* explanat: Ac si dicatur: Sanctorum virorum exempla

conſpicit: atque eorum comparatione, ſe penſans, iniquum ſe eſſe deprehendit. Qui enim pleniſſimè intelligere appetit, qualis eſt, tales nimirum debet conſpicere, qualis non eſt; vt ex bonorum forma metiatur, quantò ipſe deſerto bono, deformis eſt. Ex his quippe, quibus pleniſſimè bona adſunt, perpendit rectè, quæ ſibi minùs ſunt: atque in illorum pulchritudine conſpicit fœditatem ſuam, quam in ſemetipſo & poteſt perpeti, & ſentire non poteſt. Lucem namque debet conſpicere, qui vult de tenebris iudicare, vt in illa videat, quid de tenebris æſtimet, per quas videre præpeditur.]

Chryſoſt. Hom. 23. ad populum.

Iucundè eam vtilitatem proponit S. Chryſoſtomus, & omnes, qui eam pro nihilo ducunt, meritò redarguit: Nec tam, inquit, malè diſpoſiti, animæ noſtræ deformitatem cogitamus, nec ipſius animaduertimus turpitudinem. Sed in tonſtrina quidem ſedens, & tondens cæſariem, accepto ſpeculo, crinium compoſitionem diligenter examinas, & aſtantes conſulis, & ipſum tonſorem, an bene, quæ circa frontem ſunt, compoſuerit: & cum ſis plerumque ſenex, iuuenilibus inſanire vanitatibus non erubeſcis: animæ verò noſtræ non tantùm deformitatem non aſpicimus, verùm neque beſtialem indutam ſpeciem, & Scyllam aut Chimæram, quandam, iuxta Poëtarum fabulas effectam, vel paululùm animaduertimus. Quanquam & hic eſt ſpeciale ſpeculum, illo longè melius & vtilius: nec enim deformitatem tantùm oſtendit, verùm & in formam incomparabilem, ſi velimus, tranſmutat. Hoc autem eſt bonorum imitatio virorum, & felicis eorum vitæ narratio, lectioque ſcripturarum, leges à Deo traditæ. Et ſi ſemel tantùm velis in illorum Sanctorum imagines inſpicere, & deformitatem mentis tuæ videbis, & cùm videris, nihil aliud tibi iam opus erit, vt ab huiuſmodi deformitate libereris. Ad hoc enim nobis vtile ſpeculum eſt, & facilem efficit correctionem.] Ne

Ne autem solis verbis niti videatur dicta vtilitas, reuocandus est animus ad memoriam illorum duorum, qui, vt refert S. Augustinus, quo tempore apud Treuiros Imperator Theodosius pomeridiano Circensium spectaculo tenebatur, cùm ad hortos muris proximos animi relaxandi gratiâ exiuissent, & in casam, in qua aliquot serui Dei habitabant, fortuitò incidissent, librumque, qui S. Antonij vitam continebat, in illa inuentum euoluissent: tam ardens, Christo se addicendi, & nominati Sancti virtutes imitandi, desiderium conceperunt; vt mox in illo eodem loco, ad quem diuerterant, stipendijs militaribus renuntiârint, nouæque militiæ Sacramento sese obligârint. Quidni memorem S. Ignatium nostræ Societatis parentem, de quo narrat Petrus Ribadeneira, quòd ei lectio duorum librorum, in quorum altero Christi Domini, in altero Sanctorum gesta, includebantur, mutandæ vitæ cogitationem iniecerit, eumque ab acie & ferro, in quibus versari solebat, auulsum, ad pacifica Christi militum signa & castra pertraxerit. S. Ioannes Columbinus, quem vita Mariæ Ægyptiacæ diligenter lecta & expensa, ad tantam sanctitatem promouit, nonne his annumerari debet? sicut & ille, de quo apud S. Bernardum legimus, quòd ad eius pedes prostratus, talem contra se accusationem instituerit: Væ mihi, quia Monachum in vigilijs vnum consideraui, in quo triginta virtutes numeraui, quarum ne vnam quidem in me inuenio.] Omnes isti, eorumque similes, Respexerunt homines, & dixerunt: Peccauimus, & verè deliquimus.

August. lib. 8. Confes. cap. 6.

Ribaden. lib. 1. vita S. Ignatii.

Bernar. serm. 1. de altit. & basil cordis.

CAPVT DECIMVM.

Probatur sextò, eorum inter quos versamur iudicio.

RAra auis in terris, homo qui seipsum nôrit, & omnia, quæ in ipso sunt vitiosa, cernat. S. Chrysostomus id asserit, qui cùm interrogationem præmisisset: Quis ignorat suam naturam? mox responsionem subiecit: Multi, fortasis omnes: certè pauci. Asserit quoque S. Augustinus: Multi, inquit, nec seipsos nouerunt: quia & seipsum nosse, quemadmodum homo sibi debet innotescere, non omnium hominum est.

Chrysost. Homil. 32. in act.

August. conc. 8. in Psal. 118.

Rationes cur rarò quis seipsum norit.

Cur autem rarò inueniatur, qui seipsum nôrit, causas aliquot ijdem Patres, & alij tradunt. Sanctus enim Chrysostom⁹ hoc malum inde prouenire ait, quòd alijs potiùs quibuslibet rebus, quàm nobis ipsis cognoscendis operam demus. Non spectamus, inquit, quæ nostra sunt, sed de natura quidem terræ, quamuis non simus agricolæ, curiosè inquirimus, & de natura arborum, & de natura auri, quamuis non simus negotiatores, & de vestibus, & de domibus: de nobis autem & de nostrâ naturâ, nunquam sustinemus hoc fieri.]

Chrysost. Hom. 32. cit. in Acta.

Miseri sunt, in quorum persona vir sanctus hæc loquitur. Ignorant isti, cognitionem sui, omnib⁹ scientijs plurimùm præstare, vt docet S. Augustin⁹ his verbis: Scientiam terrestrium cœlestiumq; rerum, magni æstimare solet genus humanum. In quo profectò meliores sunt, qui huic scientiæ præponunt nosse semetipsos, laudabiliorq; est animus, cui nota est vel infirmitas sua, quàm qui eâ non respectâ, vias siderum scrutatur etiam cogniturus, aut qui iam cognitas tenet. Ignorant ijdem, quòd per cognitionem dictam multa euitentur mala, quibus Sponsa in Canticis terretur: *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos, iuxta tabernacula pastorum.* Vbi imperatiui isti, egredere, abi, pasce, positi sunt pro futuris, egredieris, abibis, pasces: iuxta vsitatum Scripturæ sacræ loquendi modum, vt obseruat Franciscus Ribera, &

August. lib. 4. de Trinit. cap. 1.

Cant. 1. ℣. 8.

exemplis

exemplis illustrat. Proinde qui seipsum ignorat, impri- *Ribera Osee 10. Num. 36. & c. 14.*
mis egredietur, scilicet à facie Dei, & à gratia eius pro- *Num. 1. Zachar.*
cul recedet. Sic egressus erat Cain, qui dicebat Deo: *3. Num. 10. &*
Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar. Quot *cap. 13. Num. 12.*
verò mala sic egredientem comitata sunt? Septem pec- *Genes. 4. ℣. 14.*
cata, quæ commiserat Cain, recenset S. Chrysostomus, *Chrysost. Homil.*
sic scribens: Primùm, inuidet fratri damnum illaturus. *19. in Genes.*
Secundò, fratrem suum occidere destinat. Tertiò, frau-
des consuit. Quartò, cædem opere implet. Quintò,
fratrem occidit. Sextò, primus mortem operatus est,
Septimò, Deo mentitus est. Interroganti enim Deo:
Vbi est Abel frater tuus? respondit: *Nescio.*]

Deinde, abibit post vestigia gregum, id est, vi-
tam instar pecudum viuet, vt in eo cernere liceat illud
Psalmistæ: *Homo cùm in honore esset, non intellexit, compa-* *Psalm. 48. ℣. 13.*
ratus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Imo,
vt ait S. Bernardus, ipsa si loqui possent iumenta, dice- *Bernard. in Cant.*
rent illud: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.* Ibidem *serm. 35.*
annotauit, homini seipsum ignoranti, non esse dictum:
abi cum gregibus, sed: *Abi post vestigia gregum.* Cur ve-
rò ita dictum? Puto, inquit, si benè aduertas, poste-
riorem ire pecoribus hominem iudicabis. An non si-
quidem tibi videbitur, ipsis bestijs quodammodo be-
stialior esse homo ratione vigens, & ratione non viuens?
Nam pecus quidem si se ratione non regat, excusatio-
nem habet a natura, à qua hoc ei penitùs munus nega-
tum est: non habet homo, cui ab ipsa speciali præroga-
tiua donatum est. Meritò proinde eo ipso, censetur ho-
mo egredi, & post ire gregalibus animantibus.]

Ad hæc homo seipsum ignorans pascet hœdos,
in extremo iudicio à sinistris collocandos, & in ignem
æternum ablegandos. Per hœdos autem intelligamus
cum S. Bernardo effrenatos appetitus, & vagos petu- *Ibid.*
lantesque corporis sensus, per quos peccatum, tanquam *Ierem. 5. ℣. 21.*

mors per feneſtras intrauit in animam. Atque hos hœdos, qui poſt honeſtiſſima virtutum ſtudia paſcunt, & quidem *iuxta tabernacula paſtorum*, id eſt, iuxta terrena bona, quibus deſideria ſua non tam ſatient quàm irritent, paſcunt: hos S. Bernardus iure ibidem deplorat.

Baſil. in Conſtant. Monaſt. cap. 23. Greg. Homil 4. in Ezech.

Alteram Cauſam, cur rarò homines ſeipſos norint, S. Baſilius & S. Gregorius dicunt eſſe amorem proprium, quo ſeipſum naturaliter quilibet amat. Omnes, qui hoc vitio laborant, appellat Princeps Apoſtolorum S. Petrus, ſibi placentes. Sanctus verò Paulus, ſeipſos amantes. Poſſent etiam appellari, ſibi ipſis, & intus, inſtar Aſpendij citharistæ, canentes. Nam & hanc appellationem patitur Græcum vocabulum, αὐθάδεις, quod Latinus interpres, ſibi placentes vertit. Stabile verò fundamentum cauſa tradita habet. Amor enim dictus ſimul atque occupauerit hominem, illicò eum cæcat, vt ſe videre & agnoſcere nequeat. Ideoque S. Gregorius: Sunt, inquit, multa peccata, quæ committimus: ſed idcircò nobis grauia non videntur, quia priuato nos amore diligentes, clauſis nobis oculis in noſtra deceptione blandimur. Tum mox: Et ſcimus, quia vehementer claudit oculum cordis, amor priuatus.] Similia legi poſſunt apud ſanctum Bernardum, & quod mirum, apud Platonem, cuius ſunt hæc: Dicere ſolent, quòd natura ſibi quiſque amicus eſt, rectèque eſt ita id ſe habere. Sed reuerâ nimius in ſeipſum amor, omnium peccatorum omnibus ſemper eſt cauſa. Obcæcatur quippè circa amatum qui amat. Quapropter qui ſeipſum magis, quàm veritatem, honorandum putat, quid iuſtum, bonum, pulchrum ſit, male iudicat.] Quocirca amore ſui cæcatum rectè cum veſpertilione conferas. Vulgò quæritur, quid cauſæ ſit, quòd veſpertilio tam obtuſum & hebetem viſum habeat? Reſponderique ſolet, inde hoc prouenire, quòd humor cryſtallinus ad videndi ſenſum

2. Epiſt. c. 2. ℣. 18. 2. ad Timot. cap 3. ℣. 2.

Greg. Hom. cit.

Bernard. de int. domo cap 66. Plato de legibus Dialog. 5.

Amans ſeipſum veſpertilioni ſimilis.

sum necessarius, in illas vespertilionis turpes & magnas alas deriuetur. Atqui similiter, cùm homo quilibet per amorem, quo Deum amat, mentis aciem acutam habeat, & omnia ad obtinendam æternam vitam necessaria acriter cernat; postquam illum in amorem sui conuerterit, ita obtunditur & hebescit, vt vbique offendat, vbique in noxia quæque irruat.

Ne autem sit facilè hac cæcitate liberari, alteram idem amor sui superinducit, vt per eum cæcus factus, cæcum se esse nesciat, & illius Harpastes similis fiat, quæ oculis cùm esset capta, talem se esse ignorabat, & de domo, quasi ea nullum lumen admitteret, queri solebat. Senecam iucundè de ea narrantem, & exemplo eius, quòd & nos in vitijs cæci simus, variaque inuolucra illis obtendamus, ostendentem adduco. Sic enim Lucilium in sua epistola alloquitur: Hæc fatua (nempe Harpaste) subitò desijt videre. Incredibilem tibi narro rem, sed veram, nescit se esse cæcam: subinde pædagogum suum rogat, vt migret, ait domum tenebrosam esse. Hoc quod in illa videmus, omnibus nobis accidere, liqueat tibi. Nemo se auarum esse intelligit, nemo cupidum. Cæci tamen ducem quærunt: nos sine duce erramus, & dicimus: Non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter Romæ potest viuere. Non ego sumptuosus sum, sed vrbs ipsa magnas impensas exigit. Non est meum vitium, quòd iracundus sum, quòd nondum constitui certum genus vitæ: adolescentia hæc facit. Quid nos decipimus? non est extrinsecus malum nostrum: intra nos est, in visceribus ipsis sedet. Et ideò difficulter ad sanitatem peruenimus, quia nos ægrotare nescimus. Hæc Seneca. Sed præstat ad declarandam vtramque cæcitatem, vti exemplo illius Laodiciæ Ecclesiæ Episcopi, qui oculos suos quia collyrio non inunxerat, cæcus erat, neque tamen cæcum se esse sciebat, & insolentius se efferens

Duplicem cæcitatem amor propri⁹ generat.

Seneca Epist. 50.

Difficulter ad sanitatem peruenim⁹ quia nos ægrotare nescimus.

Apocal. 3. v. 17. rens dicebat: *Diues sum, & locupletatus, & nullius egeo*: donec sibi dictum audiuisset: *Et nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.*

Cæterùm cùm ita, vt explicatum est hactenus, & propter socordem negligentiam, quâ nos nostraque omnia, considerare negligimus, & propter vesanum amorem, quo nos impensiùs amamus, longè à notitiâ nostri distamus: alijs interim, his præsertim, inter quos versamur, satis noti & perspecti sumus: meritoque nostrûm quemlibet inclammauerit aliquis: In Sphæra solis & lates, & dormis. Sicut enim in Sphæra solis, nihil occultari potest, quin se illam contemplantibus prodat: ita in nobis nihil potest esse reconditum, nihil abstrusum, quod plerisque eorum, quibuscum viuimus, non innotescat. Fit autem hoc propter curiositatis vitium, quod communiter vt omnes peruagatur, ita omnes in lustrandis aliorum etiam minutis erratis, solertes ac multùm perspicaces facit. Ad mentem S. Chrysostomi hoc affirmatur, qui scripsit. Aliena etiam minima solicitè perscrutamur, & ad condemnandum cæteros omne vitæ nostræ tempus absumimus, à quo vitio, neque seculi hominem, neque Monachorum vllum facilè inuenies liberum. Nec minùs ad S. Gregorij sensum, qui ait: Graue curiositatis est vitium, quæ dum cuiuslibet mentem ad inuestigandam vitam proximi exteriùs ducit, semper ei sua intima abscondit, vt aliena sciens, se nesciat: & curiosi animus, quantò peritus fuerit alieni meriti, tantò fiat ignarus sui. Notabatur hæc curiositas, & grauiter carpebatur ab ipsis quoque Ethnicis, potissimùm à Plutarcho, qui curiositatem definiens vocat illam studium aliena mala noscendi, eiusq; alumnos comparabat cum illis lamijs, quæ, cùm se domi continerent, oculos suos in cista reconditos seruabant: cùm autem foras egrederentur, illos resumebant, sibiq; aptabant:

Curiositas facit, vt nos alij cognoscant.

Chrysost. lib. 1. de compunct. cordis.

Greg. Hom. 36. in Euang.

Plutarch. in comment. de curiositate.

bant: ita vt domi semper cæcæ, foris oculatissimæ essent. Tum doctrinam in eis abditam eruens ait: Perinde nostrûm quisque foris, & ad alios malevolentiæ argutam sedulitatem, quasi oculos admouet: in offensas verò & vitia nostra crebrò incurrimus exignorantia, quia visum ad ea & lumen non paramus.] Ibidem & eandem curiositatem appellat non intactum inuidentiâ & improbitate morbum, qui oculos circa aliena vitia occupari sotalitos prorsus faciat lynceos, id est perspicacissimos, quales dicitur habuisse Lynceus quidam, de quo olim circumferebatur fama, quòd acumine visus totam terram penetraret, quæque apud inferos agerentur, optimè videret. Originem fabulæ hanc fuisse nonnulli putant, quòd fodinas æris, argenti, auri, aliorumque metallorum, primus Lynceus inuenisse tradatur.

Est & aliud præter curiositatem, quod facit, vt nos & nostra vitia alij facilè noscant. Nam S. Basilius hoc ideò fieri docet, quòd alij non æquè nos, ac seipsos ament. Sonant hoc illa eius verba: Ab alio cognosci curarique, facile est: cùm ijs, qui cæteros iudicant, ad discernendam veritatem, nequaquam obstet amor sui ipsorum.] Quamobrem cum oculo corporis homines alij similitudinem habent. Nam vt ille non seipsum, quia à seipso nihil distat, sed alia omnia certo interuallo dissita cernit: ita & isti non semetipsos, quia per sui amorem nimis sibi sunt intimi, sed alios homines ab eorum amore longiùs remotos vident, eorumque vitia ferè multò suis minora ponderant, trutinant, & notâ censoriæ seueritatis facilè condemnant. Factum id à Dauide Rege, qui contra simulatum ouis alienæ raptorem excandescens, mortis sententiam tulit; suorum verò tam enormium, adulterij & homicidij peccatorum, ac si nulla essent, ne quidem memor fuit. Factum ab Absolone, qui Chusai, quod à Dauide defeciisset, obiurgauit:

Basil. in Const. Monast. cap. 23.

Alijs non obstat is amor quo nos ipsos amamus, ideo nos nôrunt.

2. Reg. 12. ℣. 5.

2. Reg. 16. ℣. 17.

uit: tacuit autem, & nihili duxit ſuum magis impium ſcelus, quale fuit, quando contra eundem Dauidem patrem ſuum, tot millia perfidorum hominum armauit, bellumque inſtruxit.

Atque huius ingenij homines cùm paſſim reperiantur, paſsim quoque quòd à vitijs non ſimus immunes, ab illis notamur. Quoties enim obiectant nobis, quòd iracundiâ ſæpè efferueſcamus: animo arroganter elati multa nobis arrogemus: res aduerſas cum magno ſenſu doloris feramus; in ſecundis verò immoderatâ lætitiâ exultemus: mirâ mentis mobilitate à benè cœptis reſiliamus: paruam iniuriam nimis acriter vindicemus: nullâ & loci, & temporis, & perſonarum ratione habita, nulloque delectu adhibito, verba fundamus; & ſexcenta alia, quæ nullâ inficiatione defendi poſsint.

Non moleſtè ferendum, ſi nos alij corrigant. *Damian. Epiſt. ad Deſiderium Art.*

Neque verò talia obiectantibus, ſi hoc, vt conuenit, faciant, ſuccenſere debemus. Alioqui contra illud ſalubre Petri Damiani monitum faceremus: Fraternæ correctionis zelum noli moleſtus ferre, ſed gratulabundus amplectere, ac velut certæ curationis antidotum in animæ languentis interiora diffunde. Memento itaque quod per Salomonem dicitur: *Melior eſt manifeſta correctio quàm amor abſconditus. Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula blandientis.*] Incurreremus etiam in illam reprehenſionem, qua S. Auguſtinus peccantem & corrigi nolentem exagitat: Quicunque Dei præcepta iam tibi nota non facis, & corripi non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis. Non vis enim tibi tua vitia demonſtrari: non vis, vt feriantur, fiatque vtilis dolor, quo medicum quæras: non vis tibi tu ipſe oſtendi, vt cùm deformem te vides, reformatorem deſideres, eique ſupplices, ne in illa remaneas fœditate. Tuum quippe vitium eſt, quòd maluses, & maius vitium corrigi nolle, quia malus es: quaſi laudan-

Prouer. 27. ℣. 5.

Auguſt. lib. de corrept. & gratia c. 5.

da vel

da vel indifferenter habenda sint vitia, vt neq; laudentur, neq; vituperentur: aut verò nihil agat timor correpti hominis, vel pudor, vel dolor.] Insuper confundemur exemplis omnium, quibus voluptas fuit, famam & iudicia hominum de seipsis colligere: postquam verò collegissent, omnia, quæ vitiosa erant, corrigere.

Celebratur hoc nomine Matthias Hunniades, qui venationibus cùm vacaret, frequenter se à suo comitatu data opera abducebat, & in casis rusticanis pernoctabat, ideò solùm, vt intelligeret, quid de Rege suo regnique administratione homines simplices, à vitio adulationis liberi sentirent, vel quos ea de re rumores ad se perlatos haberent. Ita illum (inquit Simon Maiolus) nihil fermè vitiorum, vel quibus ipse, vel quibus sui laborarent, neque vlla peccata administrationis fugiebant. Omitto non paucos, de quibus similia traduntur, sed non Ludouicum nostræ Poloniæ & simul Vngariæ Regem, de quo Martinus Cromerus ita scripsit: Nonnunquam dissimulato habitu vicos & oppida perlustrauit, vt cognosceret, quid de publicanis & exactoribus, & iudicibus, & magistratibus suis, ac de se denique vulgus hominum assentandi nescium sentiret, multaque ex huiusmodi sermonibus in se suisque castigauit.

Maiol. in aula & caula.

Cromer. lib. 13.

CAPVT VNDECIMVM.

Probatur septimò varijs plagis, quas Deus propter peccata immittit.

SEptem Apocalyptici Angeli, quòd etiamnum suis tubis clangant, & alij septem, quòd suas phialas effundant, nimis patet. Frequentes enim ac multiplices plagæ mundo hucusque infliguntur, impleturque

Apocal. 8. 9. 15. 16.

Luca. 21. ℣. 10. & 11. quod prædixit Christus: *Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum. Et terræ motus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames terroresq; de cælo, & signa magna erunt.* Et idcircò quod ante annos mille & ampliùs volebat S. Hieronymus, ex alto loco cuilibet demonstrare, id posterioribus his annis longè faciliùs demonstraret. Eius enim vox fuit: O si possemus in talem ascendere speculam, de qua vniuersam terram sub nostris pedibus cerneremus: iam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus, & regnis regna collisa. Recentiores quoque anni, conuenienter cum S. Gregorio, adducta Christi verba explanante, dicerent: Gentem contra gentem exurgere, earumque pressuram terris insistere, plus iam in nostris temporibus cernimus, quàm in codicibus legimus. Quòd terræ motus vrbes innumerabiles obruat, ex alijs mundi partibus scitis, quàm frequenter audiuimus. Pestilentias sine cessatione patimur. Et infra: Ecce fratres mei iam cernimus quod audiebamus. Nouis quotidie & crebrescentibus malis mundus vrgetur. Repentini casus opprimunt: nouæ nos & improuisæ clades affligunt.]

Hieron. Epist. 3. ad Heliodorum c. 11.

Greg. Hom. 1. in Euangel.

Quod autem generatim de mundo, idem singillatim de quolibet homine sentiendum, multis scilicet & magnis calamitatibus quemlibet conflictari. Fusè id populo Antiocheno S. Chrysostomus proponit, adducens exempla Saulis, Dauidis, Salomonis, Abiæ, Ezechiæ, Iosiæ, & tandem concludit: Non potest citra tribulationem, non potest citra tristitiam, præsens vita transmitti. Hinc apparet, quàm non immeritò dixerit Seneca, naturæ stratagema esse, quòd homines rationis expertes nascantur. Si enim tunc rationis vsum haberent, naturæ in mundum tot & tantis plagis obnoxium, illos emittenti repugnarent, & quod Sagunti ab vno fuit aliquando prodigiosè factum, idem & alij facere attentarent.

Chrysost. ad pop. Hom. 66. & 67.

Seneca.

Naturæ stratagema quòd homines sine ratione nascantur.

tentarent. Refert enim Plinius in vrbe Hiſpaniæ Saguntum dicta, natum fuiſſe infantem, quiex vtero matris ſuæ cùm prodijſſet, protinus ad eundem redierit. Hoc autem, quia illo anno acciderat, quo Annibal Saguntum deleuit, credebant antiqui, maluiſſe infantem latebris materni vteri ſe occultare, quàm patriæ ſuæ triſtem ruinam & excidium ſpectare. Apparet etiam quàm aptè Iob dixerit: *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Quid enim in mundo & inter homines, perinde vt in militia, non eſt horridum? quid non formidandum? Pende, an meliùs bellico Chaldæorum apparatui, vaſtitatem vrbi Niniue afferenti, quàm mundo & humani generis ſtatui tot plagas & calamitates patienti, quadret illud prophetæ Nahum: *Vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ feruentis, & equitis aſcendentis, & micantis gladij, & fulgurantis haſtæ, & multitudinis interfectæ, & grauis ruinæ: nec eſt finis cadauerum, & corruent in corporibus ſuis.*

Plinius lib 7. c. 3.

Iob 7. ℣. 1.

Nahum 3. ℣. 2 & 3.

Quis porrò harum plagarum auctor? Prudens Dauid omnes plagas, & quas patiebatur, & quas, ne pateretur, metuebat, non alicui fortuito caſui, nec naturali aſtrorum efficientiæ, ſed ipſi Deo adſcribebat, & idcircò ei dicebat: *Amoue à me plagas tuas.* Et alibi: *Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuam.* Nam & hîc per ſagittas intellexit plagas & calamitates quibus affligebatur. Rectè has ſagittas comparaueris cum illis, per quas Rex Babylonis ſtans in biuio diuinabat, vtra harum duarum vrbium, Rabbathne an Hieruſalem priùs oppugnanda eſſet. Cùm enim iſtarum duarum vrbium nominibus duas ſagittas inſcripſiſſet, inſcriptaſque in pharetra commiſcuiſſet, verſus illam vrbem exercitum mouere ſtatuerat, cuius nomine ſignatam ſagittam ex pharetra priùs eduxiſſet. Sic illa verba apud Ezechielem: *Stetit enim Rex Babylonis in biuio,*

Pſalm. 38. ℣. 11. & 37. ℣. 3.

Sagittæ pro plagis.

Ezech. 21. ℣. 21.

tio, in capite duarum viarum, diuinationem quærens, commis-
Hieron. ibidem. *scens sagittas*, explicat S. Hieronymus, dicitque hoc diuinationis genere vsum esse nominatum regem, quod Græci βελομαντίαν siue ῥαβδομαντίαν appellare solent. Ergo, vt dixi, rectè cum sagittis illis comparaueris plagas & calamitates, quibus Deus homines affligi permittit. Quis enim per istas, si patienter ferantur, non concipiat animum acquirendi regnum cœlorum, quod iuxta doctri-
Matth. 11. ℣. 12. nam Christi *vim patitur, & à violentis rapitur?* Quis per easdem non diuinet adepturum se vrbem illam beatam, quæ, vt canit Ecclesia, constructur in cœlis viuis ex lapi-
Bernard. serm. 1. Dom. in ramis. dibus: cum docente S. Bernardo, via vitæ sit tribulatio præsens, via gloriæ, via ciuitatis habitaculi, via regni? Non minùs rectè plagarum & calamitatum sagittę compararentur illis sagittis, de quibus Ionathas loquebatur
1. Reg. 22, ℣. 22. ad Dauid: *Si dixero puero: Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi est, & nihil est mali, inquit Dominus. Si autem sic locutus fuero puero: Ecce sagittæ vltra te sunt, vade in pace, quia dimisit te Dominus.* Pax nempe & à malis æternæ mortis securitas, promitti potest homini iusto, intra quem sunt sagittæ Dei, siue qui multas æru-
Chrysost. Hom. 10. in Epist. ad Rom. mnas, à Deo immissas perfert. Promittit illam S. Chrysostomus: Immortalitas vos excipiet, atque ad modicum admoniti tempus, cum securitate ac libertate futuris bonis potiemur, tanquam in schola aliqua, vita præsenti, per morbũ, per afflictionem, per tentationes, per paupertatem, per cætera item, quæ mala esse videntur, eruditi, vt apti efficiamur ad futurorum bonorum
4. Reg. 13. ℣. 17. perfectionem.] Appono sagittam, quam Ioas Rex Israël, cùm per Orientalem fenestram arcu emisisset, dixit illi Elisæus: Sagitta salutis Domini, & sagitta salutis
Mich. Ayguanus, in Psal. 37. contra Syriam. Nam vt scripsit antiquus auctor Michael Ayguanus, etiam sagittæ aduersitatum sunt non mortiferæ, sed sanatiuæ, ibidemque ex Valerio Maximo

comme-

commemorat illas sagittas, sub quarum vmbra fortiùs se pugnaturum generosus miles Spartanus tali occasione dixerat. Narrabat quidam Persas tantâ multitudine sagittarum instructos veniſſe, vt eis solem ipsum obscurare soleant: cui Spartanus nihil territus, imò animosior factus: Benè narras, inquit, in vmbra enim meliùs præliabimur. His commemoratis talem doctrinam dictus auctor subiungit: Sic spiritualiter est de sagittis pœnarum mundi & aduersitatum. Multæ sunt enim in tantum, quòd solem huius mundi, id est, claritatem & gloriam omnem mundanam obscurant. Sed hoc bonum afferunt, quia nobis pugnantibus cum mundo, carne & diabolo, faciunt vmbram: quia ab inordinato feruore concupiscentiæ nos defendunt. Hæc ille. *Val. Maxim. lib. 3. cap. 7.*

Manus Dei sæpè ab eo immissas significat.

Quòd autem sicut per sagittas sibi infixas, ita & per manum Dei super se confirmatam, loco superiùs citato, intellexerit rex Dauid multiplices plagas, quas illi Deus inflixerat, sententia est S. Gregorij: Per manum, inquit, Domini, quam super se asserit Dauid confirmatam, miseriarum frequentiam & assiduitatem intellige. Quam ideò memorat, vt tantò faciliùs in futuro acquiratur venia, quantò maior hîc fuit irrogatiua vindicta.] A S. Gregorio aliquantùm discrepans, S. Ambrosius, per manum Dei, virtutem & potestatem eius quoslibet & quibuscunque modis puniendi, intelligit. Verba eius sunt: Manum autem Dei virtutem intelligimus puniendi. Hæc manus regem Ægyptiorum, propter Abrahæ iniuriam, ob tentatam Saræ pudicitiam, flagellauit. Hæc manus Ægyptiorum currus, equos, & populos, rubri maris demersit profundo. Hæc manus mentem grauauit regis Saul, vt gratiam sui conseruatoris, id est Dauidis, odisset, & pro præuaricatione cœlestis imperij desertus à socijs, interemptis quoque filijs destitutus, victus ab hostibus (quo spectaculo nihil est deformius *Greg. in Psal. pœnitent.* *Ambr. in Psal. 37.* *Genes. 2.* *Exodi 13.* *1. Regum 31.*

mius regi) gladium in se suum ipse conuerteret, ne captiuus senex viueret filijs & regno superstes.]

Manus diuinæ digiti.

Et verò huic manui Dei, prout eam S. Ambrosius intellexit, apprimè competunt illi quinque digiti, de quibus S. Vincentius scripsit, expendens illa verba Iob: *Manus Domini tetigit me.* Nota, inquit, quòd hæc manus habet quinque digitos. Primus vocatur pollex, qui virtute est super omnes alios digitos, per quem intelligo potentiam diuinam, de qua Iob: *Non est, qui de manu tuâ possit eruere.* Secundus digitus est index, per quem intelligo discretionem Dei in punitione nostrâ, quia nunquam punit nos vltra condignum: quod debet nos contrahere à murmure contra Deum. Tertius digitus est medius, per quem intelligo benignitatem diuinam, quia per hanc aduersitatem reconciliamur Deo, si patienter toleremus, de quo Psalmista: *Fiat manus tua, vt saluet me; quoniam mandata tua elegi. Concupiui salutare tuum Domine, & lex tua meditatio mea est.* Quartus digitus est medicus, quia per hanc aduersitatem habemus medicinam, non solum curatiuam peccati, sed & præseruatiuam, iuxta illud: *Increpationem ergo Domini ne reprobes: quia ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt. In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.* Quintus digitus est auricularis, per quem intelligo exauditionem orationum. Vnde Psalmista: *Oculi omnium in te sperant Domine: & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Hæc sanctus Vincentius, quorum similia & in alio loco apud eundem videri possunt.

Vincent. Dom. 17. post Trinit. serm. 1.
Iob 19. ℣. 21.
Iob 10. ℣. 7.
Psalm. 118. ℣. 173. & 174.
Iob 5. ℣. 17. 18. 19.
Psalm. 144. ℣. 15. & 16.
Vinc. serm. 3. de S. Ioan. Baptist.

Qui accuratè contemplaretur hanc manum, equidem singulari quouis modo Deum à nobis diligendum esse cerneret. Neque enim ita manû suâ ferit homines Deus, *vt contineat in irâ suâ misericordias suas.* Verbis Dauidis vtor, quibus ille omnes nos certiores facit,

Psalm. 76. ℣. 10.

quòd

quòd Deus misericordiam suam inter puniendum non cohibeat, vel iuxta Hebræum KAPHATS, non claudat: sed eam tunc potissimùm aperiat, & adhibeat, vt plagas temperet, iramque mitiget. Videret præterea quàm iustè manum Dei pertimescere debeamus. Olim Babylonici imperij potentissimo regi Balthasari, parua manus tenuem calamum tenens, & tria tantùm verba in pariete scribens, tantum timorem incussit, vt parum abfuerit, quin statim Rex ad aspectum eius animam efflaret. Clarè hoc Propheta Daniel illis verbis descripsit: *Apparuerunt digiti quasi manus hominis, scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ: & rex aspiciebat articulos manus scribentis. Tunc facies regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius solue bantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur.* Quid si Rex vidisset Dei ipsius manum armatam, vel illo gladio: *Si acuero vt fulgur gladium meum*; vel illis sagittis: *Inebriabo sagittas meas sanguine*; vel illa lancea: *Acuet autem duram iram in lanceam?*

Daniel. 5. ℣. 5. & 6.

Deut. 32. ℣. 41. & 42.

Sapient. 5. ℣. 21.

Polonorum & Vngarorum Regis Ludouici mater Elisabetha, cum fama surrexisset, finitimos hostes de inuadenda vastandaque Polonia consilium iniuisse, muliebri leuitate quietos & securos Polonos esse iussit: affirmans filium suum tam longis grauibusque manibus præditum esse, vt ad solum nomen eius, cunctæ in circuitu nationes contremiscant. Quod illi reginæ, muliebris, vt dixi, leuitas dictauit, vt loqueretur: hoc fidei Christianæ veritas mandat, vt credamus: scilicet manum Dei longam esse, quæ ad omnem locorum & regionum longinquitatem penetret. Talem illam esse sciuit & sensit Iob patiens, propterea que dixit: *Manus Domini tetigit me*; vel, vt nonnulli ex Hebræo legunt: Manus Domini pertigit vel peruenit ad me. Nam verbum NAGATS in Hiphil, est pertingere seu peruenire. Non

Cromer. lib. 13.

Manus Dei longæ & graues.

Iob 19. ℣. 21.

negligendus Dauid, qui etiam longitudinem manus diuinæ cùm nosset, aiebat: *Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Vbi, si cum Genebrardo, Pagnino, Cardinali Bellarmino, & alijs notemus, in textu Hebræo propriè esse: Si sumpsero pennas auroræ: notabimus simul, quomodo Dauid manus diuinæ longitudinem exprimens, pariter miram celeritatem motus, quo eadem Dei manus mouetur, pulchra phrasi & figurâ Poëticâ expresserit. Cùm enim aurora solis prænuncia, totum hemisphærium tam citò peruadat, vt Physici disputent, num illuminatio sit momentaneus motus, cogitur intellectus humanus admirari diuinam manum, quæ velocissimas auroræ pennas non solùm adæquet, sed etiam præuertat. Ad hæc manus Dei est grauis, imò grauissima, vt in Scriptura sacra vocata est, considerati plagis, quibus Philisthiim arcam Dei captiuam retinentes grauiter afflicti erant. Quodsi interdum vocetur aggrauata, significatur præter vehementiam & grauitatem diuturnitas plagæ, vt docet Theodoretus, explicans illud Dauidis: *Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua.*

Psalm. 138. ℣. 9. & 10.

Genebr. Pagnin. Bellarm. ibidem.

1. Reg. 5. ℣. 12.

Theodor. in Psalm. 31. ℣. 4.

Nulli ergo dubio relinquitur locus, Deum esse, à quo variæ plagæ procedant. Ipsis aliquando oculis, vt id spectarent homines, effecerat Deus. Spectarunt in Britannia cuiusdam Prouinciæ eius incolæ, qui, vt refert Robertus Holcot, ad demetendas suas segetes cùm accedere vellent, ingens locustarum copia irruens, cunctas absumpsit. Vt autem omnes huius plagæ auctorem scirent, in alis suis, duo hæc verba scripta: *Ira Dei*, dictæ locustæ habebant. Spectârunt etiam nostri Poloni, cùm regnante Casimiro Vladislai Iagellonis filio, quadam die sole occidente, plus quàm duabus horis, imaginem Crucifixi cum gladio, ab occidente ad meridiem in sublimi

Robert. Holcot in Sap. Lect. 206.

Locustæ in Britania iræ Dei testes.

Ostentum in Polonia.

in sublimi aëre vergentem, ante oculos haberent. Ille enim gladius portendebat ingentia mala, quæ totam ferè Europam peruaserant: præcipuè verò illa bella, quibus inferior potissimùm Germania ardebat, cùm Carolus Dux Burgundionum Leodienses oppugnaret, amissisque in oppugnatione quadraginta millibus hominum, vrbem penitùs excidisset, soloque æquasset. Vtinam tunc aliquis illum diuinum gladium oratione & sanctitate vitæ fregisset, ne tot hominum sanguis terram inundaret: vt similem sed longè atrociorem. & per multos annos sæuientem gladium fregerat Legatus Pontificius Rudolphus Lauantinensis Episcopus, qui, eodem Casimiro regnante, in Poloniam ad sedanda diuturna bella cùm venisset, virgo quædam religiosa visa est sibi videre illum, coram throno Dei gladium vtraq; parte acutum confringentem. Nec vanum hoc fuisse visum, euentus comprobauit. Nam illo Legato præsente, imò præcipuo actore & auctore, pax optatissima inter Polonos & Crucigeros Torunij stetit.

Cromer. lib. 25.

Idem lib. 26.

Age videamus, cur Deus ad immittendas plagas accedat, cui, vt eius Ecclesia inquit, proprium est misereri semper & parcere? Et quidem sacra Scriptura propter peccata hominum id fieri affirmat. Ita enim Syracides ait: *Mors, sanguis, contentio, & romphæa, oppressiones, fames, & contritio, & flagella: super iniquos creata sunt hæc omnia, & propter illos factus est cataclysmus.* In prophetia quoque Ieremiæ prænuntians Deus, quòd venturus esset Nabuchodonosor, & regno Sedeciæ extrema quæq; mala allaturus, ne quereretur populus Israeliticus, absq; vllâ suâ culpâ tantas calamitates se passurum, querelæ occurrit Deus, & ait: *Viæ tuæ, & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi.* Quasi diceret: Opera tua peruersa (hæc enim viarum nomine, iuxta frequentem Scripturæ phrasim, intelligi debent) & cogitationes tuæ pessimæ, omnium futurorum malorum causa & origo erunt.

Propter peccata hominum plagas immittit Deus.

Eccles. 40. ℣. 9. & 10.

Ierem. 4. ℣. 18.

Greg. Hom. 11. in Euang.

Scripturam imitatus est S. Gregorius Magnus, qui similiter plagas ex peccatis prouenire iudicans scripsit: Qui in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur, vt impleatur quod dicitur: Et pugnabit pro eo orbis terrarum, contra insensatos. Omnia namque, quæ ad vsum vitæ accepimus, ad vsum conuertimus culpæ. Sed cuncta, quæ ad vsum prauitatis inflexímus, ad vsum nobis vertuntur vltionis. Tranquillitatem quippe humanæ pacis, ad vsum vertimus vanæ securitatis. Peregrinationem terræ pro habitatione diligimus patriæ. Salutem corporum redigimus in vsum vitiorum. Vbertatis abundantiam, non ad necessitatem carnis, sed ad peruersitatem intorsimus voluptatis. Ipsa serena blandimenta aëris, ad amorem nobis seruire cõegimus terrenæ delectationis. Iure ergo restat, vt vitijs nostris malè subacta seruiebant: vt quot priùs in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de ipso postmodum cogamur sentire tormenta.]

Greg. lib. 11. Epist. in Registro, cap. 2.

Idem S. Gregorius agens de plaga pestilentiæ, quæ Romæ potissimùm grassabatur, descriptâ eius horribili sæuitiâ, omnes hortatur, vt causam se eius peccata sua dedisse agnoscant, & pœnitentiæ operibus iram Dei restinguant. Reuocemus, inquit, ante oculos mentis, quidquid errando commisimus, & quod nequiter egimus, flendo puniamus. Præueniamus faciem eius in confessione, & sicut Propheta admonet: *Leuemus corda nostra cum manibus ad Deum.* Ad Deum quippe corda cum manibus leuare, est orationis nostræ studium cum merito bonæ operationis erigere. Tum inuitans eosdem ad septiformem Litaniam, & ad sanctæ Genitricis Ecclesiam, addit: Qui simul omnes peccauimus, simul omnes mala, quæ fecimus, deploremus: vt districtus iudex, dum culpas nostras nos punire considerat, ipse à sententia propositæ damnationis parcat.

Pestem peccata generant.

Litaniæ Deum placant, & varias plagas auertunt.

Ante

Ante S. Gregorium fecit idem S. Cyprianus Demetrianum alloquens: Miraris in pœnas generis humani iram Dei crescere, cùm crescat quotidie quod punitur? Hostem quereris exurgere; quasi etsi hostis desit, esse pax inter ipsas togas possit. De sterilitate aut fame quereris; quasi famem maiorem siccitas, quàm rapacitas faciat. Quereris cludi imbribus cœlum; cùm sic horrea cludantur in terris. Quereris minùs nasci; quasi, quæ nata sunt, indigentibus præbeantur. Pestem & luem criminaris; cum peste ipsa & lue, vel detecta sint vel aucta crimina singulorum. Hæc S. Cyprianus & alia ibidem plura. Fecit & S. Chrysostomus: Ad incumbentes quidem clades & commota sæpiùs bella respicimus: peccata verò, quibus Deum quotidie offendimus, non perpendimus, ideoque mœremus & angimur. Quod si vnius saltem diei nostra vellemus accuratè peccata numerare, tunc optimè disceremus, quantorum rei essemus malorum.]

Cyprian. ad Demetrium.

Fames, bella, & alia mala, ex peccatis prodeunt.

Chrysost. Hom. 20. in Matth.

Non omittendus S. Hieronymus, qui de bellis differens, & cur sæpè vilissimi hostes de Christianis triumphent, docens, ait: Nostris peccatis barbari fortes sunt: nostris vitijs Romanus superatur exercitus. Infelices nos, qui tantùm displicemus Deo, vt per rabiem barbarorum, illius in nos ira desæuiat. Ezechias egit pœnitentiam, & 185 millia Assyriorum ab vno Angelo vna nocte deleta sunt. Iosaphat laudes Domini concinebat, & Dominus pro laudante superabat. Moyses contra Amalec non gladio sed oratione pugnauit. Si erigi volumus, prosternamur. Prô pudor & stolida vsque ad incredulitatem mens. Romanus exercitus, victor orbis, & Dominus, ab his vincitur, hos pauet, horum terretur aspectu, qui ingredi non valent: qui si terram tetigerint, se mortuos arbitrantur. Et non intelligimus Prophetarum voces: *Fugient mille, vno persequente.*

Hieron. ad Helied. Epist. 3.

Vilissimi hostes, peccatis Christianorum, fortiores fiunt.

quente. Nec amputamus causas morbi, vt morbus pariter auferatur; statimque cernamus, sagittas pilis, tiaras galeis, caballos equis cedere.]

Antiqui milites Poloni cum hoste congressuri, peccata profitebantur & SS. Eucharistia reficiebantur.

Notent hæc S. Hieronymi verba nostrates Poloni, qui frequenter bella susci pere coguntur, & vestigijs antiquorum Polonorum insistant, apud quos, in mouendo bello, hæc fuit solennis obseruatio, vt priusquam manus cum hoste consererent, peccata sua Sacramento pœnitentiæ expiarent. Expiârunt cum Bòémis pugnaturi, Principatum Poloniæ obtinente Boleslao Tertio *Kryuousti* dicto. Item cum Scythis congressuri, excitante illos ad hoc Christianæ religionis opus, Henrico Henrici Barbati filio, sub cuius signis militabant. Item, vt aliorum temporum gesta prætream, dominante Lesco Nigro, in cuius laudibus, hoc etiam noster Historicus ponit: Cùm non longè se ab hostibus abesse sensit, confessione suos milites peccata expiare, & sacrosanctâ Eucharistiâ communire se iubet. Atque ipse Princeps, sanè quàm religiosè hoc fecit.

Cromer. lib. 5.

Idem lib. 8.

Idem lib. 10.

Plurium sanctorum Patrum de diuinis plagis iudicia, ne longus sim, relinquo; & ad legendum S. Basilium de plaga siccitatis & famis, S. etiam Gregorium Nazianzenum de plaga grandinis, quemlibet remitto. Hoc solùm hîc addo, posse ad has plagas, quas contingit pati, vnicuique cor proprium acclamare illud, quod Apollodoro suo cor itidem proprium acclamabat. Nam vt refert Plutarchus, visus sibi fuit in somnis hic Apollodorus à Scythis captus, excoriatus, in partes sectus, & in lebetem, vt elixaretur, iniectus. Videbatur & cor eius voce clamosa & lamentabili, in illo eodem lebete & cruciatu Apollodorum alloqui: Omnium horum, ego tibi sum causa. Non ideò autem hoc addo, quasi putem, nunquam aliter publicas plagas euenire, quàm si omnes prorsus & singuli, qui illis inuoluuntur, peccent.

Basil. Hom. 8. Nazian. orat. 15.

Plutarch. de sera numinis vindicta.

Horrificus cordis clamor.

peccent. Scio enim verissimè à S. Basilio esse scriptum: Per paucos mala ærumnæque ad vniuersum populum sæpè perueniunt, & vnius ob noxam tota quandoque gens euertitur. Achan sacrilegium admisit, ac totus est afflictus exercitus. Zambri cum scorto Madianitide concubuit, ac Israel pœnas dedit.] Communiter tamen sancti Patres, vt ex adductis illorum verbis manifestè appareret, vnamquamque plagam omnium peccatis conglobatis adscribunt, & vt quilibet causam eius à se datam esse agnoscat, monent. Quod argumento est, neminem reperiri ab omni culpa immunem, & quantumlibet iustis aliqua peccata inesse, quibus etiam ad immittendas plagas Deus prouocetur. Ad confirmandum id, pertinet nominati S. Basilij oratio tertia de peccatis, in qua ille multis exemplis ex sacra Scriptura sumptis prolixè demonstrat, quàm acerbè, & quàm crebrò Deus nonnulla peccata ad speciem leuia, & opinione hominum satis minuta, castigârit.

Basil. loco citat.

Iosue 7.

Numer. 25.

Basil. orat. 3. de peccatis.

Dictis in hoc capite consectarium, omnia peccata à nobis vitari, & quàm longissimè remoueri debere. Azotij quondam propter arcæ præsentiam multis plagis attriti, dicebant: *Non maneat arca Dei Israel apud nos: quoniam dura est manus eius super nos, & super Dagon Deum nostrum.* Quid nos & dicere & facere de peccatis conuenit, quorum manum durissimam, omnia cum corporis tum animæ bona disperdentem, & ad æterna supplicia nos trahentem, toties experimur? Græci olim famis incommoda metuentes, virgis eam solenni ritu ex ædibus suis eijcere solebant: Foras famem; intrò diuitias & sanitatem, &c. Quidni nos peccatum, quod & famem, & sitim, & pestem, & bellum, & omnia plagarum genera procreat, cum maiori diligentia, procul à nobis abigamus, concordesque dicamus: Foras peccatum humani generis teterrimum propudium: intrò sanctitas, pulcher-

1. Reg. 5. v. 7.

Peccata propulsanda vt non puniamur.

Antiqui Græci quo ritu famem abigerent.

pulcherrimum lumen & decus. Foras calamitatum origo & malorum lerna: Intrò cœlestium donorum fons perennis, Virtus.

CAPVT DVODECIMVM.

Enodatur difficultas, quæ hactenus in tertia parte dictis, officere videtur.

OMnibus, quæ hactenus in hac tertia operis parte asseruimus, & probauimus, difficultas talis opponi potest. Si, præter Christum Dominum, & Matrem eius sanctissimam, nullus hominum ab exordio mundi extitit, qui in vita & moribus suis, quòd putaret, non habuerit: nullus ergo hominum, ad hoc vsque tempus perfectus fuit. Perfectum enim est, cui nihil deest, vt Aristoteles, & cum illo S. Thomas docet. Homini autem habenti, quod putet, tantùm ex perfectione deest, quantùm ex aliquo vitio adest, quod tollere debeat, si esse perfectus velit. At verò sacræ literæ nonnullos homines fuisse perfectos affirmant. Sic enim de Nòé scriptum est: *Nòé vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis.* Et alio loco: *Noë inuentus est perfectus, iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* Eandem laudem habet Iob. Nam vbi vulgata versio vocat illum simplicem, lingua Hebræa vocat eum THAM, quæ vox propriè significat perfectum, descendens à verbo THAMAM, quod sonat perficere & perfici. Quid quòd frequenter in eisdem sacris literis admoneantur homines, vt perfecti euadant? Abrahamo enim dictum: *Ambula coram me, & esto perfectus.* Toti etiam populo Iudæorum commendatum: *Perfectus eris, & absque macula cum Domino Deo tuo.* Christus quoque vniuersis inculcauit:

Aristot. 3. Phisic. lib. 64.
S. Thom. 2da. 2dæ. Q. 184. artic. 2.
Genes. 6. ℣. 4.
Eccles. 44. ℣. 17.
Iob 1. ℣. 1.
Gendes. 17. ℣. 1.
Deuter. 18. ℣. 13.

uit: *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Et Corinthijs S. Paulus: *De cætero fratres gaudete, perfecti estote.* 2. Cor. 18. ℣. 11.

Sed ista difficultas paruum negotium facessit. Sunt enim aliquot modi, quibus efficitur, vt aliqui in hac vita appellentur perfecti, quamuis interim virtutum officia, non omnibus numeris & partibus expleant, culpisque non careant.

Varij modi, quibus homines vocentur perfecti.

Nam imprimis aliqui ita appellantur propter vitæ statum, qui perfectione singulari nitet. Sic religiosi homines, communiter vocantur perfecti, propter perfectionem, quam status vitæ religiosæ continet. Solidè hanc perfectionem explicat S. Thomas, adhibens auctoritatem S. Dionysij Areopagitæ, qui eiusdem perfectionis meminit. Ad statum perfectionis, inquit S. Thomas, requiritur obligatio perpetua, ad ea, quæ sunt perfectionis, cum aliqua solennitate. Vtrumque autem horum religiosis competit. Religiosi enim se voto adstrinxerunt ad hoc, quòd à rebus secularib⁹ se abstineant, quib⁹ licitè vti poterant, ad hoc, quòd liberiùs Deo vacent, in quo consistit perfectio præsentis vitæ. Vnde Dionysius dicit, de Religiosis loquens: Alij quidem Therapeutas, id est, Dei famulos, ex puro Dei seruitio & famulatu: alij verò Monachos ipsos nominant, ex indiuisibili & singulari vita, vniente ipsos indiuisibilium sanctis conuolutionibus, id est, contemplationibus, ad Deiformem vnitatem, & amabilem Deo perfectionem. Horum etiam obligatio fit, cum quadam solennitate professionis & benedictionis. Vnde ibidem subdit Dionysius: Propter quod perfectam ipsis donans gratiam sancta legislatio, quadam ipsa dignata est sanctificatiua inuocatione. Ita S. Thomas, multa paucis complectens, quæ postea Theologorum commentarij fusiùs tractârunt.

D. Thom. 2da. 2dæ. q. 184. art. 5.

Religiosi vocantur perfecti propter statum vitæ perfectum.

Dionys. cap. 6. Eccles. hierar.

Ab hac ergo sui status perfectione Religiosi appellantur perfecti: & quidem rectè ita appellari illos, indicant illa verba Christi: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni, sequere me.* Illa item S. Hieronymi: Apostolici fastigij perfectæque virtutis est, vendere omnia, & pauperibus distribuere, & sic leuem atque expeditum cum Christo ad cœlestia subuolare.] Nobilis est hæc religiosorum appellatio, sicut & illa quam dat eis Origenes, qui votos Deo, vt Religiosi vouentur, appellat Sanctos. Eius enim est illud: Si quis se ipsum deuouerit Deo, si quis nullis se negotijs secularibus obligauerit, vt ei placeat, cui se probauit, si quis separatus est & segregatus à reliquis hominibus carnaliter viuentibus, & mundanis negotijs obligatis, non quærens ea, quæ super terram, sed quæ in cœlis sunt, iste meritò Sanctus appellatur.]

Matth. 19. v. 21.

Origen. Hom. 11. in Leuit.

Vocantur etiam perfecti, qui in perfectione vitæ alios superant.

Interdum etiam vocantur perfecti, qui alijs circa primordia virtutum occupatis, vel aliquantulùm longiùs progredientibus, perfectione vitæ antecellunt. Hinc nata est illa partitio hominum, vt alij sint incipientes, alij proficientes, alij perfecti. Facit huius partitionis mentionem S. Gregorius: Tres, inquit, sunt modi conuersorum, inchoatio, medietas, atque perfectio. Quomodo autem cum his omnibus procedat Deus, tradit ibidem. Inchoatione, inquit, inueniunt blandimenta dulcedinis, in medio quoque tempore certamina tentationis, ad extremum verò perfectionem plenitudinis. Priùs ergo dulcia suscipiunt, quæ consolentur: postmodum amara, quæ exerceant: & tum demum suauia, atque sublimia, quæ confirment. Ad illustrandum id, subdit. Sponsam, ait, suam vir quisq; priùs dulcibus blandimentis fouet, quam tamen iam coniunctam asperis increpationibus probat, probatam verò re-

Greg. lib. 24. Moral. cap. 13.

curis

curis cogitationibus possidet. Vnde & plebs Israelitica, cùm despondente se Deo ad sacras mentis nuptias ex Ægypto vocaretur, quasi arrarum vice, priùs accepit blandimenta signorum; coniuncta autem, probationibus exercetur in eremo: probata verò in repromissionis terra virtutis plenitudine confirmatur. Lege ibi plura, & in alio loco, vbi similiter dictam partitionem hominum agnoscens ait: Alia sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio. Deinde accommodat ei verba illa Christi: *Vltrò enim terra fructificat primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.* Herbam, inquit, producere, est inchoationis bonæ adhuc teneritudinem habere. Ad spicam verò herba peruenit, cùm se virtus animo concepta ad profectum boni operis pertrahit. Plenum verò frumentum in spica fructificat, quando iam in tantùm virtus proficit, vt esse robusti & perfecti operis possit.

Idem lib. 2. super Ezech. Hom. 15.

Marci 4. ℣. 28.

Inuitat quoque ad se lectorem Hugo Victorinus, qui incipientes confert cum S. Ioseph o Deiparæ Sponso, cui Angelus dixerat: *Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Nam incipientium est, fugere omnes occasiones, quæ allectant ad peccatum, & illos vel maximè vox illa Prophetæ inclamat: *Fugite de medio Babylonis, & saluet vnusquisque animam suam.* Proficientes autem comparat cum Samuele, cuius delectamentum fuit, morari in tabernaculo Domini, quod fuit in Silo, & omnia, quæ ad cultum Dei pertinebant, studiosè exequi. Nempe proficientium est, ni velint ad pristinum vitæ statum relabi, diuinis rebus vacare, & se, in quolibet pietatis religionisq; genere, diligenter exercere. Perfectos tandem vult esse similes Patriarchæ Iacob, cuius Pater fuit Isaac nomine, quod sonat risum vel gaudium; mater verò Rebecca, quod Hugoni Patientiam significat. Quia enim perfecti necesse habent

Hugo Vict. lib. 2. de claustro animæ, cap. 9.

Matth. 2. ℣. 13.

Ierem. 51. ℣. 6.

Genes. 25.

multa aduersa perpeti, hæc illi, non æquo tantùm, sed etiam læto & gaudenti animo perferre debent.

Interdum vocantur perfecti, qui magno conatu ad perfectionem aspirant.

Præterea vocantur quandoque perfecti, qui toto mentis conatu ad perfectionem vitæ ascendere nituntur. Idcircò S. Bernardus scripsit: Indefessum proficiendi studium, & iugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur. Gradus huius ascensionis sic Cassianus enumerat: Audi paucis ordinem, per quem ascendere ad perfectionem summam, sine vllo labore ac difficultate valeas. Principium nostræ salutis sapientiæque, secundum scripturas, timor Domini est. De timore Domini nascitur compunctio salutaris. De compunctione cordis procedit abrenuntiatio, id est, nuditas & contemptus omnium facultatum. De nuditate, humilitas procreatur. De humilitate, mortificatio voluntatum generatur. Mortificatione voluntatum extirpantur atque marcescunt vniuersa vitia. Expulsione vitiorum virtutes fructificant atque succrescunt. Pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur. Puritate cordis, Apostolicæ charitatis perfectio possidetur.]

Bernard. Epist. 253.
Cassian. lib. 4. cap. 43.

Gradus, quibus ad perfectionem ascendamus.

Sed magis expedit gradus ad perfectionem ducentes, prout illos S. Petrus enumerauit, videre. Sic enim Christianos alloquitur: *Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientiâ autem abstinentiam, in abstinentiâ autem patientiam, in patientiâ autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.* Laudat istos gradus S. Cyrillus Alexandrinus, dicitque hanc vitæ rationem tenere, quæ in illis continetur, nihil aliud esse, quàm in virum perfectum occurrere, & ad mensuram ætatis plenitudinis Christi peruenire. Laudat & Venerabilis Beda, illosq; vtpote octo, comparat cum octo apud Ezechielem gradibus, quibus ascendebatur ad templum: tum addit, eosdem gradus indicatos à Dauide, cùm beatum virum

2. Petr. 1. ℣. 5. 6. 7.
Cyril. Alexan. in Conc. Eph. cap. 1. Eph. cap. 4. ℣. 13.
Beda in cit. Petr.
Ezech. 40. ℣. 31.
Psal. 83. ℣. 7. & 8.

hunc

hunc esse assereret, qui ascensiones in corde suo disposuit, progrediturque de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion. Non leuis est etiam comparatio, quam, vt obseruauit Lorinus, facit Feuardentius, conferens eosdem gradus cum octo beatitudinibus à Christo prædicatis, octo tabulis tabernaculi, octo diebus, post quos Christus præbuit se gloriosum discipulis in transfiguratione, octo animabus in arca saluatis. *Feuar. in cit. Petr. Lorin. ibid.* *Matth. 5. Exodi 26. ℣. 17. & 36. ℣. 20. & seq. Lucæ 9. ℣. 28. 1. Petri 3. ℣. 20.*

Porrò in hac graduum enumeratione, meritò & à S. Petro, & à Cassiano, in supremo loco Charitas collocatur. In charitate enim perfectio hominis consistit, vt docet S. Paulus ad Colossenses scribens: *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Quibus verbis duo dici ab Apostolo notat S. Thomas. Alterum, quòd charitas sit vinculum: tum quia ex natura sua charitas amatum amanti vnit: tum quia virtutes cuilibet necessarias, ne diffluant, instar vinculi connectit. Et ideò, quod ad hoc posterius attinet, S. Chrysostomus eandem charitatis appellationem considerans ait: Peribunt omnia, nisi cum charitate coniuncta fuerint: ista constringit & complectitur omnia. Quodcunque bonum dixeris, nisi adsit charitas, nihil est, sed planè diffluit. Et quemadmodum in naui, etiamsi magna sint instrumenta, nisi fuerint subligacula, nihil proderunt, & in domo, nisi sint colligationes & contignationes: & in corpore etiamsi magna sint ossa, si non fuerint vincula & compagines, nihil prodesunt: ita quæcunque quis habuerit rectè facta, inania erunt omnia, nisi sit charitas. Alterum, quòd Apostolus non qualecunq;, sed perfectionis vinculum charitatem appellârit. Rationem huius S. Thomas assignans inquit: Quia tunc est vnumquodque perfectum, quando adhæret fini vltimo, scilicet Deo, quod facit charitas. Fusiùs & clariùs hanc rationem proponit *S. Thom. ibid.* *Chrysost. Hom. 8. in Epist. ad Coloss.* *S. Thom. 2da. 2dæ q. 184. art. 1.*

idem Doctor, vbi asserens Christianæ vitæ perfectionem, secundùm charitatem attendendam esse, inquit: Vnumquodque dicitur esse perfectum, in quantùm attingit proprium finem, qui est vltima rei perfectio. Charitas autem est, quæ vnit nos Deo, qui est vltimus finis humanæ mentis: quia *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et ideò secundùm charitatem specialiter attenditur perfectio Christianæ vitæ.]

1. Ioan. 4. v. 16.

Atque hi sunt præcipui modi, quibus docetur, quo sensu in sacris literis aliqui appellantur perfecti, quamuis ab aliquibus noxis & vitijs liberi non sint. Plures modos habere qui desiderat, legat Benedictum Pererium, & Clementem Alexandrinum, qui ait: Inuenio perfectum multis modis accipi, prout is est, qui in vnaquaque virtute se rectè gerit. Perficitur itaque & consummatur aliquis, & vt pius ac religiosus, & vt tolerans, & vt continens, & vt operarius, & vt martyr, & vt cognitione præditus. In omnibus autem simul perfectus, nescio an vllus sit, qui est adhuc homo, nisi solùm is, qui propter nos induit hominem.]

Perer. lib. 9. in Genes. disput. 2. Clemens Alexand. lib. 4. Stromat.

Perfectio Christiana in charitate consistit.

Jisdem modis instruimur, quâ ratione etiamnum omnibus nobis, vt simus perfecti, mandetur. Cùm enim, vt paulò ante dictum est, perfectio Christiana, in charitate consistat, vtique hoc nobis mandatur, vt in hac charitate magis ac magis proficiamus, & ad perfectionem eius, quæ ab homine in hac vita acquiri potest, peruenire contendamus. Non immeritò addo: Quæ ab homine &c. Nemo enim vnquam tantam perfectionem obtinere potest, vt diligat Deum, quantâ dilectione dignus est Deus, id est, dilectione infinitâ. Similiter nemo potest in hac vita per charitatem ita adhærere Deo, vt eum continuo actu diligat, & sine intermissione, ad ipsum, omnia quæ agit, dirigat. Talis enim perfectio

Beatorum

Beatorum est propria, cum qua nullum peccatum, quantumuis leue, consistere queat. At verò possunt homines vitam hanc mortalem viuentes duplicem charitatis perfectionem assequi. Imprimis, vt omnia quæ charitati repugnant, qualia sunt omnia peccata mortalia, deuitent: malintque etiam ipsius vitæ iacturam facere, quàm Dei gratiam perdere. Deinde vt omnia impedimenta remoueant, quæ efficiunt, ne mens humana liberè & expeditè in Deum feratur. Huiusmodi impedimenta, sunt bona temporalia, quibus se multi abdicant, vt Deo commodiùs vacent. Sunt etiam venialia peccata, quæ interioris munditiæ studiosi fugiunt: licet propter naturæ fragilitatem pleraque non effugiant.

Vt autem tota hæc doctrina maius pondus habeat, ipsius S. Thomæ verbis eam propono. Perfectio, inquit, vitæ Christianæ in charitate consistit. Importat autem perfectio quandam vniuersitatem: quia vt dicitur in 3. Physicorum, perfectum est, cui nihil deest. Potest ergo triplex perfectio considerari. Vna quidem absoluta, quæ attenditur non solùm secundùm totalitatem, ex parte diligentis, sed etiam ex parte diligibilis, prout scilicet Deus tantùm diligitur, quantùm diligibilis est. Et talis perfectio non est possibilis alicui creaturæ, sed competit soli Deo, in quo bonum integraliter & essentialiter inuenitur. Alia autem est perfectio, quæ attenditur secundùm totalitatem absolutam ex parte diligentis, prout scilicet affectus secundùm totum suum posse, semper actualiter tendit in Deum. Et talis perfectio non est possibilis in via, sed erit in patria. Tertia autem est perfectio, quæ neque attenditur secundùm totalitatem ex parte diligibilis, neque secundum totalitatem ex parte diligentis, quantum ad hoc, quòd semper actu feratur in Deum: sed quantum ad hoc, quòd excludantur ea, quæ repugnant motui dilectionis in Deum, sicut

S. Thom. 2da. 2dæ. q. 184. art. 2.

Aristot. 3. Physic. text. 64.

Augustin. lib. 83. qq. 36.

um, sicut Augustinus dicit quòd venenum charitatis est cupiditas: perfectio nulla cupiditas. Et talis perfectio potest in hac vita haberi. Et hoc dupliciter. Vno modo, in quantum ab affectu hominis excluditur omne illud, quod contrariatur charitati, sicut est peccatum mortale. Et sine tali perfectione charitas esse non potest: vnde est de necessitate salutis. Alio modo in quantum ab affectu hominis excluditur, non solùm illud, quod est charitati contrarium, sed etiam omne illud, quod impedit, ne affectus mentis totaliter dirigatur ad Deum, sine quâ perfectione charitas esse potest, puta in incipientibus & proficientibus. Hæc S. Thomas, quæ illi soli verè fructuosè legunt, qui, quam charitatem & perfectionem à nobis in hac vita posse acquiri tradit S. Doctor, hanc sedulò procurant, illudque S. Basilij seriò sibi inculcant: Agendum assiduè, vt ex perpetua ac purissima recordatione impressam in animis nostris piam de Deo cogitationem, veluti indelebile aliquod signum circumferamus. Siquidem hæc est ratio, per quam erga Deum acquiri charitas consueuit, quæ simul cùm ad conficienda ipsa Dei mandata nos excitet, tum vicissim quoque ab ijsdem, ipsa ad perpetuitatem stabilis conseruetur.]

Basil. in reg. fusius disput. respons. ad interrog. 5.

PARS

Pars Operis Quarta.

Solent Theologi cum S. Thoma inuestigare causas, ex quibus prodeunt omnium generum peccata, quæ nos, in metaphora pridem inchoata persistendo, sarmenta rationalium vitium, id est hominum, nominamus. Quod quidem illi optimo iure faciunt. Nam, vt benè ratiocinatur S. Thomas, omne quod fit, habet aliquam causam; quia vt dicitur Iob 5. Nihil in terra sine causa fit. *Peccatum autem fit: est enim dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Igitur etiam peccatum causam aliquam habere debet. Atque ita peccatorum assignant causas, partim interiores vt voluntatem, intellectum, ignorantiam, passionem, malitiam: partim exteriores, vt obiecta varia, & multiplices illecebras, quæ tum appetitum sensitiuum, tum rationem commouere, & ad*

S. Thom. 1. 2da. q. 75. art. 1.

Iob 5. ℣. 6.

se allicere

se allicere solent. Præterea Diabolum mala suggerentem: item actum alterius peccati iam transacti: peccatum etiam originale, & similia. Tradam & ego in hac parte aliquot eorundem peccatorum causas & radices, vt eò facilius omnia illa dispersantur, quò melius istæ cognitæ fuerint.

CAPVT PRIMVM.

Natura humana peccato originali vitiata, sarmentorum animæ siue peccatorum Radix Prima.

SArmentorum animæ seu peccatorum aliquot traditurus radices, ordior à naturâ humanâ, peccato primi hominis deprauatâ. De hac eius deprauatione, videntur Ethnici Pòetæ aliquid inaudiuisse, eamq; sub quibusdam involucris descripsisse. Fingebant enim Pandoram varijs dotibus & donis cumulatam fuisse, indeque nomen suum traxisse: sed postea omium malorum originem eam extitisse, cùm ab illa dolosè pixidem allatam, omne genus calamitatum occultantem, Epimetheus aperuisset. Fuit nempe natura humana magnis planeque cœlestibus, donis à Deo

Deo dotata, antequam primi hominis peccato vitiata esset. Præstantiam horum donorum, vel sola originalis iustitia copiosè demonstrat, quàm ex communi Theologorum sententiâ, Franciscꝰ Suarez dicit fuisse quoddam donum sanans naturam, constituendo perfectum ordinem inter Deum & hominem, & inter partes seu appetitus hominis inter se: ita vt inferiora superioribus, & omnia Deo essent perfectè subiecta. Hoc autem donum nihil intrinsecum erat in homine, præter gratiam in essentia animæ existentem, & virtutes omnes per se & per accidens infusas, in gradu heroico, quib' adiungebatur specialis Dei prouidentia & custodia. Hæc ille, nihil attingens, quod ad commendanda dona primo homini à Deo data, illustre & magnificum non sit. Nam iuxta dicta, quo temporis puncto fuit creatus Adam, eodem simul cum gratiâ, omnes virtutes, tàm Theologicas, quàm Morales sibi à Deo copiosè infusas habuit. Statim etiam adfuit illi singularis assistentia & tutela Dei, quæ omnes inordinati appetitus seu concupiscentiæ motus, rationem præuenientes, procul arceret, efficeretque, vt appetitus rationi, ratio autem Deo in omnibus subderetur, totusque homo interiori pace & excellenti sanctitate fruens, mira propensione & facilitate ad omne bonum ferretur.

Iustitia originalis in quo consistebat.

Suarez Tom. 2. in 3m. part. D. Thom. disp. 4. sect. 6.

Adam in primo suæ creationis puncto quàtis donis à Deo locupletatus fuerit.

Atque hæc, vel pleraque horum, inclusit Ecclesiastes in paucis illis verbis: *Solummodò hoc inueni, quòd fecerit Deus hominẽ rectũ.* Quomodo autem fuerit rectus, explicat S. Thomas: Erat, inquit, rectitudo secundùm hoc, quòd ratio subdebatur Deo, rationi verò inferiores vires, & animæ corpus. Prima autem subiectio erat causa & secundæ & tertiæ. Quamdiu enim ratio manebat Deo subiecta, & inferiora ei subdebantur. Proinde excellentior rectitudo fuit hæc Adami, quàm Iobi, & aliorum non paucorum iustorum, qui etiam in diui-

Eccles. 7. ¥. 30.

D. Thom 1a. 2dæ. q. 95. art. 1.

Adam quo sensu factus sit rectus.

Iob 1. ¥. 1.

Pineda ibid. nis literis Recti appellantur. Nam vt annotauit Pineda, interdum Recti appellantur, qui ad regulam æquitatis, & iustitiæ omnia peragunt, vt nulli noceant, nulli obsint. Neque solùm recti, sed & rectitudines facere tales dicuntur. Exemplo est locus ille Danielis, in quo filia regis Austri ventura narratur, ad regem Aquilonis, vt faciat rectitudines, id est, vt æquis & iustis conditionibus fœdus inter dissidentes reges statuat. Rectitudines enim sonat vox Hebræa MESSRIM, & ita Pagninus vertit, cùm Latina versio Amicitiam habeat. Quandoque appellantur recti, qui præclaris virtutibus pollent, & per viam mandatorum Dei rectà incedunt, iuxta illud monitum: *Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram: Auerte pedem tuum à malo.* Nimirum omnis virtus est quædam rectitudo, sicut omne vitium est quædam curuitas. Hinc illud S. Bernardi: Quærere & sapere, quæ sunt super terram, curuitas animæ est: & è regione meditari ac desiderare, quæ sursum sunt, rectitudo. Cuius rectitudinis vt semper admoneretur anima, cum recto copore eam Deus coniunxit, vel vt Pòeta canit: Os homini sublime dedit, cœlumque tueri. Planè ad mentem S. Bernardi hoc affertur, qui ibidem ait: Corporis staturam dedit homini Deus rectam, forsitan vt ista corporea exterioris vilioriſque rectitudo figmenti, hominem interiorem illum, qui ad imaginem Dei factus est, spiritualis suæ seruandæ rectitudinis admoneret, & decor limi deformitatem argueret animi. Quid enim indecentius, quàm curuum recto corpore gerere animum? Protenduntur ibi longiùs S. Bernardi verba lectu dignissima. Quia verò quæ recta sunt, eadem oculis hominum solent esse venusta & grata, propterea iusti, Deo & probis hominibus grati & accepti, non rarò vocantur Recti. Sic rectus fuit S. Paulus, qui Corinthijs dicebat: *Per omnia omnibus placeo, non quærens, quod mihi vtile est sed quod multis,*

Daniel. 11. ℣. 6.

Prouerb. 4. ℣. 27.

Bernard. serm. 24. super Cant.

Idem ibid.

1. Cor. 10. ℣. 33.

multis, vt salui fiant. Sic & omnes Philippenses, vt recti *Philip. 4. ℣. 8.*
essent, optabat idem Apostolus, & diligenter eos monebat: *Quæcunque amabilia sunt, hæc cogitate*, id est, quæcunque vos omnibus amabiles & gratos possunt reddere, in his vos exercete.

Jam & illa Ecclesiastici verba: *Deus creauit de terra hominem, & secundùm imaginem suam fecit illum. Et iterum, conuertit illum in ipsam, & secundum se vestiuit illum virtute*: & hæc, inquam, verba, ad exprimendam excellentiam, donorum primi homini datorum, multùm seruiunt. Omninò enim ad imaginem Dei factus fuit homo, qui & admirabilem sapientiam, & gratiam gratum facientem, & iustitiam originalem, & immortalitatem, & ab omnibus malis, quæ animo & corpori humano accidere possunt, perfectam immunitatem habuit. Idem fuit virtute vestitus, id est, viribus bonis & magno robore præditus. Nomen enim virtutis, quòd hîc non significet virtutem moralem, quæ vitijs aduersatur, & à Græcis ἀρετὴ vocatur: sed quòd significet vires integras, & magnã firmitatem corporis, vox Græca ἰσχὺς testatur. Ergo & hic vestitus, primum hominem spectabilem atq; glorioſum faciebat. Multò verò magis talem illum fuisse agnoscemus, si Deum ipsum & gratiam eius pro vestimento illi fuisse, cum S. Damasceno dicamus. Sic enim is vir sanctꝰ de Adamo inquit: Corpore in diuinissima, vt memoriæ proditum accepimus, ac pulcherrima regione degebat: animo autem in sublimiori ac pulchriori, atque omni comparatione præstantiori loco commorabatur: Deum simul & pro domo, & pro hospite, & pro illustri indumento habens, eiusque gratiâ conuestitus, atque ipsius contemplatione, qui solus dulcissimus fructus est, mirâ cum voluptate, velut alius quispiam Angelus, fruens, eaque se pascens.] *Eccles. 17. ℣. 1. & 2.*

Adam quomodo ad imaginem Dei factus & virtute vestitus.

Damasc. lib. 2. fi. dei cap. 11.

Quis hîc, vbi talis vestitus primi hominis memo-

ratur, alicuius alterius vestis laudes instituere velit? Ineptiæ pueriles Alexandri Magni vestis ex pilis Salamandræ texta, quæ in ignem coniecta, non tantùm non comburebatur, sed pulchrior & mundior ex illo prodibat. Ineptiæ Heliogabali vestis, multo auro multisque gemmis collucens, quam ille cùm indueret, onerari se onere voluptatis dicebat. Ineptiæ vestis Demetrij Macedonum Regis, solis, lunæ, stellarum, & omnium sphærarum cælestium imaginibus illustris, quâ ille indutus, pro diuino quodam numine sese venditabat. Facessant omnes hæ pueriles nugæ, quales etiam erant omnes illæ antiquorum paragaudæ, quarum meminit Turnebus, & sic appellatas, quasi essent gaudij vestes, iudicat. Verè enim sola vestis à S. Damasceno commemorata, & primo homini concessa, ignem tartareum non timet, fieriqúe non potest, vt ea indutum mortis tormentum tangat. Illa sola ornando non onerando, voluptatem animæ & gaudium parit; vt eam habens cantare queat: *Gaudens gaudebo in Domino: & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis: & indumento iustitiæ circumdedit me: quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Adhæc illa sola, quem vestit, eidem ad cœlestia beatorum mentium domicilia aditum facit, vt terræ aduc incola, spei plenus cum sancto rege alloquatur Deum: *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: lunam & stellas quæ tu fundasti.*

Magnis ergo & memorabilibus dónis fuit cumulatus primus homo, quæ etiam in posteros suos transmississet, si, vt loquitur S. Augustinus, in illo statu recto ac sine vitio per liberum arbitrium manere voluisset. Sed noluit, *& descendit ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto.* Quæ Christi verba explanans S. Ambrosius, sic ait: Iericho figura istius mundi est:

Olcot in Sap. lect. 34.

Marcellinus l. 14.

Turnebus lib. 9. cap. 11.

Sap. 3. ℣. 1.

Isaiæ 61. ℣. 10.

Psalm. 8. ℣. 4.

August. lib. de corrept. & gratia cap. 10.

Adam peccans depictus per hominem descendentem ab Ierusalem in Iericho.

Luc. 10. ℣. 30.

Ambr. l. 7. in Luc.

est: in quam de paradiso, hoc est, de Ierusalem illa cœlesti, eiectus Adam, præuaricationis prolapsione descendit: hoc est, de vitalibus ad inferna demigrans, cui non loci, sed morum mutatio, naturæ suæ fecit exilium. Longè enim mutatus ab illo Adam, qui inoffensâ beatitudine fruebatur, vbi in secularia peccata deflexit, incidit in latrones: in quos non incidisset, nisi his, mandati cœlesti deuius, se fecisset obnoxium. Qui sunt isti latrones, nisi Angeli noctis atque tenebrarum, qui se nonnunquam transfigurant in angelos lucis, sed perseuerare non possunt. Hi ante despoliant, quæ accepimꝰ indumenta gratiæ spiritualis, & sic vulnera inferre consueuerunt. Hæc S. Ambrosius.

Quales autem plagæ in verbis Christi, & qualia vulnera in hac S. Ambrosij explanatione, intelligi debeant, explicant cum S. Thoma Scholastici Theologi. Quatuor enim vulnera, toti naturæ humanæ per Adami peccatum inflicta, numerare solent, scilicet, ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, concupiscentiam in appetitu concupiscibili, infirmitatem in appetitu irascibili. Quorum singula amplè proposita, si videre velis, Cardinalem Bellarminum lege. Hoc loco, quam leui & parua illecebra delinitus Adam, tantorum vulnerum causa fuerit, vide. Cùm Chennetus rex, inquit Cardanus ex Boëtio, Crunthlintum Fenellæ filium occidisset, tum etiam Malcolmum Duffum regem & affinem Fenellæ: illa statuam mirâ arte fabricari iussit, in cuius manu, pomum aureum gemmis nobilioribus refertum erat: quod cùm quisquam tetigisset, statim multis iaculis ex pomo prosilientibus confossus, interitum sibi accersseret. Eô igitur dolo regem nihil suspicantem inuitatum in Fetircarij oppido occidit. Siccine? Pomum regem vulneribus concidit & occidit? Atqui similiter pomum regem & principem vniuersæ terræ, vt à S. Da-

Thom. 1a. 2æ. q. 85. art. 3.

Quatuor vulnera naturæ humanæ per peccatum inflicta

Bellarm. Tom. 3. de amiss. gratiæ & statu peccati l. 6. cap. 9. & reliq.

Cardan. de rerum variet. l. 12. c. 58.

masceno

Damasc. lib. 2. orth. fidei cap. 11. *Genes. 2. ℣. 17.* masceno appellatur Adam, tot & tantis vulneribus concisum occidit, factumque quod ei dixerat Deus: *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.*

Nihil igitur mirum, si ille tam beatus, tam rectus, tantâ mentis lætitiâ plenus, pro tam nobili domicilio per omnem æternitatem obtinendo creatus, vt (quemadmodum S. Gregorius scripsit) si se ad conditoris sui obedientiam vinculis charitatis astringeret, ad cœlestem Angelorum patriam, quandoque sine carnis morte transiret: nihil, inquam, mirum, quòd Adam, peccato commisso vocem exultationis & salutis cum gemitu lugubri commutârit, & cum quolibet ex suis posteris illa verba vsurpare potuerit: *Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem: tota die contristatus ingrediebar.* In quibus verbis à Dauide scriptis, obseruat Guillelmus Pepinus, quinque damna, quæ peccatum parit. Primum in voce Miser, quòd peccatum ad summam miseriam & paupertatem hominem redigat, spolians eum gratiâ & charitate, item meritis omnibus & operibus bonis, quæ per quodlibet crimen lethiferum mortificantur, vt Theologi Scholastici loquuntur, donec per veram pœnitentiam reuiuiscant. Hanc miseriam sonant illa verba Dei: *Si autem auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid viuet? omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur.* Exemplo suo eandem miseriam expressit ille filius prodigus à S. Luca descriptus, qui à paterna domo cùm recessisset, omnia bona sua in lustris & popinis turpiter decoxit.

Greg. 4. Moral. cap. 30.

Psal. 37. ℣. 7.

Pepin. in 3. Psalm. pœnit. conc. 30.

Quinque damna quæ peccatum parit.

Ezech. 18. ℣. 24.

Lucæ 15.

Secundum, in voce Curuatus. Peccator enim spretis cœlestibus rebus, per amorem suum totus terrenis adhæret, fitque similis illius mulieris, quæ, vt idem S. Lucas refert: *Inclinata erat, nec omninò poterat sursum respicere*: illorum item, de quibus à Daniele dictum: *Oculos suos*

Luca 13. ℣. 11. *Psalm. 16. ℣. 11.*

los suos statuerunt declinare in terram. Amant Dæmones, quos sic curuatos vident, & vt quisque sit talis, inclamare non cessant: *Incuruare, vt transeamus.* Quæ S. Gregorius illustrans, inquit: Recta quippe stat anima, cùm superna desiderat, & nequaquam flectitur ad ima. Sed maligni spiritus, cùm hanc in sua rectitudine stare conspiciunt, per eam transire non possunt. Transire namque eorum, est immunda illi desideria spargere. Dicunt ergo; Incuruare, vt transeamus: quia si ipsa se ad ima appetenda non deijcit, contra hanc illorum peruersitas nullatenus conualescit; & transire per eam nequeunt, quam contra se rigidam in superna intentione pertimescunt. Nos ergo fratres carissimi, nos viam malignis in nobis spiritibus damus, cùm terrena concupiscimus, cùm ad temporalia appetenda curuamur. Pudeat ergo terrena concupiscere, & dorsa mentium ascendentibus aduersarijs præbere. Hæc S. Gregorius, cuius vltima verba meritò pudorem memorant, quo affici debet, quisquis dorsum mentis suæ, Dæmonibus ascendere volentibus, incuruatum præbet. An non magis id probrosum, quàm cùm Aurelianus Sapori Persarum Regi, aut Baiazetes Turcarum Imperator Tamerlani Scytharum Duci, victi & captiui, victoribus equos ascendentibus, dorsa sua loco scabelli supponerent? *Greg. Hom. 31. in Euangel.*

Tertium in his, Vsque in finem. Quia peccator si ei Deus suum auxilium subtraheret, prorsus nunquam ex commisso peccato emergeret. Hoc illud est, quod docet S. Thomas asserens, non posse quenquam à peccato sine auxilio gratiæ resurgere. Probat, quia resurgere à peccato non est solùm ab actu peccati cessare, sed gratiam & amicitiam diuinam recuperare: item ordinem naturæ, vt voluntas hominis Deo subijciatur, reparare: postremò à reatu pœnæ æternæ, quem homo per peccatum mortale incurrit, liberum esse. Quæ o- *Thom. 1ma. 2dæ. q. 109. art. 7.*

mnia non possunt fieri sine auxilio gratiæ, tum habituali, tum actuali, quod in interna Dei motione consistit.

Quartum, in vocabulo Contristatus. Peccatum enim generat tristitiam, quam intellexit S. Ambrosius scribens: Peccator quamuis foris abundet, & delicijs diffluat, odoribus fragret, in amaritudine animæ vitam exigit. Nec mirum. Quomodo enim, inquit S. Chrysostomus, possit illic esse voluptas, vbi metus, vbi discrimen, vbi periculum, vbi tantorum malorum expectatio, vbi tribunalia, vbi accusationes, vbi iudicis ira, vbi gladius & carnifex, vbi barathrum ac deportatio?]

Ambr. lib. 1. Officic. cap. 12.

Chrysost. Hom. 3. de Verb. Isaiæ Vidi Dominum.

Quintum, in verbo Ingrediebar. Peccator enim si absque pœnitentia ex hac vita cum lethali culpa decedat, mox infernum ingreditur, vt in eo pœnas æternas luat, nec vnquam ex eo egredi queat. Manifestum id faciunt illa verba Christi: *Ibunt hi, scilicet improbi, in supplicium æternum.* & illa S. Cypriani: Non miserebitur vltra Deus, neque tunc audiet pœnitentes, sera erit illa confessio: & cùm clausa fuerit ianua, frustra carentes oleo acclamabunt excluſi. Nullum ibi refrigerium, nullum remedium. Semel Christus descendit ad inferos, vlteriùs non descendet. Non vltra videbunt Deum in tenebris sigillati: irregressibilis erit illa sententia, & immutabile iudicium, & stabit damnationis huius immobile constitutum.] Et idcircò ad æternos cruciatus retrusi, conuenienter conferuntur cum Pharaone Rege, qui ingressus quidem erat mare rubrum, sed ex eo non erat egressus. Nam vt Moyses cum populo Israelitico cecinit: *Ingressus est eques Pharao cum curribus, & equitibus eius in mare; & reduxit super eos Dominus aquas maris.* Conuenienter etiam inferno daretur lemma: Ingressus & non egressus; quale lemma in sua turri symbolica ex marmore structâ inscriptum, quòd Hyppolitus Medices Florentinus S. R. Ecclesiæ Cardinalis habuerit, Iacobus Typotius refert.

Matth. 25. ℣. 46.

Cyprian. serm. de Ascens. Christi.

Exodi 15. ℣. 19.

Inferni lemma.

Typot. inter Symb. Card. hierographia 19.

Præ-

Præterea non est mirum, si nos tali parente, qualem descripsimus, nati, eiusque peccato corrupti, illa quatuor vulnera superiùs memorata circumferimus, & quotidie languemus, quotidie cum incredibili propensione ad peccandum, delinquimus. Meminit huius propensionis ipse Deus in illis verbis: *Sensus enim & cogitatio humani cordis, in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Quæ verba explicans Pererius, ait vocabulo sensus significari appetitum sensitiuum: voce autem Cogitationis, significari ipsa rationis consilia, machinationes & artes, quas ad malum confert. Idem auctor notat in textu Hebræo propriè haberi: Figmentum cordis hominis, malum à pueritia sua. Quæ lectio sensum non variat, si nomine figmenti cogitatio intelligatur. Hanc enim cor veluti quidam figulus fingit & figurat, meritoque cogitatio figmentum cordis vocatur. Non ideò autem hoc figmentum dicitur malum, quòd cor nonnisi malas cogitationes efformet. Nam etiam laudabiles vereque bonas producit, si à Spiritus sancti operatione, & cooperatione adiuuetur. Accommodatè ad hoc, scripsit Origenes, versans illa verba, Rebeccæ geminos in suo vtero gestanti dicta: Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur. Ego, inquit Origenes, puto, quòd & de singulis nobis hoc dici potest, quia duæ gentes, & duo populi intra nos sunt. Nam & virtutum populus intra nos est, & vitiorum nihilominus populus intra nos est. *De corde enim nostro procedunt cogitationes malæ, adulteria, furta, falsa testimonia, doli, contentiones, hæreses, inuidiæ, comessationes,* & his similia. Vides quantus malorum populus intra nos est? Si verò mereamur illam vocem dicere sancto Spiritui: *A timore tuo Domine in vtero concepimus, & peperimus, spiritum salutis tuæ fecimus super terram*: tunc & alius intra nos populus inuenitur in spiritu generatus. *Fructus enim spiritus est charitas,*

Genes. 8. ℣. 21.

Perer. lib. 13. in Genes.

Origen. Hom. 12. in Genes.

Genes. 25. ℣. 23.

Matth. 15. ℣. 19.

Isaiæ 26. ℣ 18.

Galat. 5. ℣. 22.

charitas, gaudium, pax, patientia, humilitas, mansuetudo, continentia, castitas, & his similia: Vides & alium populum, qui & ipse intra nos est? Sed iste minor est, ille maior. Semper enim plures sunt mali quàm boni, & vitia numerosiora virtutibus. Sed si tales simus, qualis Rebecca, & mereamur de Isaac, id est, de verbo Dei, habere conceptum, etiam in nobis populus populum superabit, & maior seruiet minori. Seruiet enim caro spiritui, & vitia virtutibus cedent. Sic Origenes.

Sed, vt cœpimus, latinam editionem prosequamur. Asserit in illa Deus, sensum & cogitationem cordis humani prona esse in malum, ab adolescentia sua, & his tam paucis verbis, tria hæc, præterea dicta complectitur.

Nullus ad malum non procliuis.

Primum, nullum esse, qui ad malum procliuitatem non sentiat. Propterea enim absolutè & generatim cor humanum nominat Deus, vt intelligatur omnibus ad peccandum facilitatem insitam esse. Polleat aliquis maximâ sanctitate vitæ, si ad veritatem loqui velit, dicet quod dicebat S. Paulus: *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Vt idcircò prudenter idem S. Paulus non moneat, ne in nobis dicta procliuitas non habitet, sed solùm, ne in nobis regnet: *Non regnet, inquit peccatum in vestro mortali corpore.* Per peccatum enim intelligit propensionem ad peccatum, sicque illam appellat, quòd ex peccato originali sit nata, & ad peccatum impellat. Solet etiam appellari fomes peccati, lex membrorum, languor naturæ, lex carnis, concupiscentia, & alijs id genus nominibus. Atque hoc peccatum, siue procliuitas, in quolibet, homine habitat, nec vllus, ne sibi non insit, sed tantum ne in suo corpore regnet, efficere potest. Tunc autem regnat, cùm ei aliquis non obsistit, & ab ea se in aliquod delictum induci permittit.

Roman. 7. ℣. 23.

Roman. 6. ℣. 12.

Secun-

Secundum, procliuitatem nominatam non qualemcunque, sed sæpè fortem & vehementem esse, vt Septuaginta interpretes hac suâ versione expressêrunt: Quia incumbit cogitatio hominis diligenter ad mala. Sequitur hanc versionem S. Ambrosius & ait: Vide, quomodo studiosè nos delinquere Deus significet, dicendo permanere super mala cor hominis diligenter: quo dicto significare videtur, diligenter cor hominis ad peccata propendere, & inesse principali nostro lubricum delinquendi, &, quod peius est, studium non deesse. Ideò enim ait, Diligenter, quasi soliciti simus, ne immunitas culpæ nobis posset obrepere. Deinde non vnum malum dixit, sed super mala. Hæc S. Ambrosius. Qualiscunque & quantacunque sit illa procliuitas, hominem, si peccatum committat, à culpa & pœna non excusat: Quilibet enim diuinâ gratiâ adiutus, potest illi obsistere, ne ignominiosè succumbat, & efficere, vt potiùs gloriosè vincat, & triumphet.

Procliuitas ad malum sæpè fortis & vehemens.

Ambr. lib. de Nóe & arca cap. 22.

Idem Ambr. ibid.

Tertium, commemoratam procliuitatem ab adolescentia vires suas exerere. Ex illa enim ætate crescit malitia, inquit idem S. Ambrosius, licet alibi legerimus, quòd non sit sine peccato nec vnius diei infans: sed & infantia, sine peccato non sit propter corporis infirmitatem: diligentia autem, & studium peccandi incipiat â iuuentute: vt puer quasi infirmus peccet; iuuenis tanquam improbus, qui studiosè cupiat peccata committere, & in criminibus glorietur.] Planiùs S. Basilius proponit peccata, in quæ adolescentia præceps ruit. Est, inquit, adolescentia perquam leuis, & ad flagitia quæque apprimè mobilis: ceu sunt indomitæ & effrenes concupiscentiæ, belluinæ & immanes iræ, linguæ incontinentia, contumeliæ, arrogantia, fastus ex animi elatione, reliquæ item affectiones iuuentuti vernaculæ, & coalumnæ inuidiæ, ob exuberantem alterius eminentiam,

Procliuitas ad malum in adolescentia vires suas exerit.

Iob 14. ℣. iuxta 70.

Basil. in 3. Isaiæ.

tiam, suspiciones propter contractam familiaritatem. Examina enim innumerabilium vitiorum se agglomerant, & adiunguntur iuuentuti.]

Adolescentiæ imago.

Ex quibus colligitur, quid tacitè loqueretur illa antiquorum pictura, quæ adolescentem, oculos nigro velo obtectos, dextram manum retro ligatam, solam sinistram liberam habentem, spectandum exhibebat. Docebat enim adolescentes, cæco impetu ad audendum quidlibet rapi, & nonnisi quæ sinistra seu praua sunt, agere, à bonis autem, & laudabilibus operibus vacare.

Chrysost. de Anna & Samuelis educ.

Colligitur etiam quàm iustè S. Chrysostomus expostulet cum parentibus, qui suis liberis æstu ætatis feruentibus, nullo sunt contra vitia præsidio: imò sæpe illos manifestis peccandi periculis exponunt, & ad ruinam, ad quam illi supâte naturâ inclinant, feris immaniores impellunt. Recreaberis, si vel solam eius de Anna deque Samuelis educatione homiliam legeris.

Iob 15. v. 16.

Accedat & illud Eliphaz, de homine ad peccata naturaliter propenso dictum: *Bibit quasi aquam iniquitatem.* Et quidem verbo Bibit, significatur posteros Adami, post comesum ab eo vetitæ arboris fructum, incredibili siti appetere peccata, quam sola duntaxat mors extinguere queat. Laborantes hac siti adumbrari possent per illum virum, qui, vt, refert Pierius Valerius, in littore, quod è regione maioris Syrtis inter Libyam & Ægyptum porrigitur, in quadam columna cœlatus erat, quasi præ nimia siti animam agens. Videbatur quidem, à multis, illi aqua abundè afferri, sed nullo alleuamento, nullo fructu. Vt autem constaret, quænam tantæ sitis origo esset, erat & serpens Dipsas dictus, qui illius lethiferâ siti morientis pedes circumplicabat, & in illis dentes suos infixos habebat. Est enim huius veneni dipsas, vt, quod nomen eius indicat, si aliquem momorderit, intolerabilem sitim in eo excitet, quam potu velle explere,

Sola mors in nonnullis extinguit peccatorum sitim.

Pierius lib. 16.

Dipsas qualis serpens.

plere, nihil aliud sit, quàm ignem oleo superfuso conari extinguere. Nempe ad eundem modum postquam tartareus dipsas, scilicet Diabolus, ex orco erumpens ictu peccati primum parentem sauciasset, statim in posteris eius ardentissimam sitim peccata appetentem accendit.

Bibunt ergo illa, vt Eliphaz loquitur: sic autem loquens innuit, magna eos cum oblectatione peccare: planè instar hominis, qui diuturnâ siti corporis arescens, nactus potum, cum ingenti voluptate & auiditate bibit. Innuit etiam, quòd sicut homo sitibundus nullo indiget magistro, vt bibere discat: ita & peccatis inhians, vt peccare sciat. Ideò S. Chrysostomus, duas & quadraginta definitiones hominis, lectu & scitu dignissimas tradens, hanc in ordine quartam ponit: Improbitas, quæ per se docetur. Non caret etiam energia, quòd aquam memoret. Cùm enim aqua nullum pretium habeat, & vbique facilè inueniri possit, qui eam haurit & bibit, nihil curat, si ex ea multùm in terram inutiliter effundat: Sic nimirum sic impius, cui altè in animo voluntas, & consuetudo peccandi insedit, non considerat, quàm multùm contra honorem Deo debitum committat. Proximè ad hanc considerationem aquæ accedit Lyranus. Iniquitatem, inquit, sicut aquam bibit, qui committit peccata absque freno timoris. Ille enim, qui bibit vinum, quia timet inebriari, bibit temperatè: sed bibens aquam, hoc non timet, propter hoc non curat de tali temperamento. Quid verò emolumenti capit, qui hanc lamentabilem, & tartaream sitim peccatis non sedat, sed irritat? Illud, vt temporali siti præludat æternæ, atque à regno cælesti reiectus, cum Lysimacho suam stultitiam serò & frustra deplorer. Fuit hic Rex Thraciæ, qui, vt narrat Plutarchus, cùm à Getis siue Scythis obsidione cinctus, siti grauissimâ affligeretur,

Magistro non est opus vt quis peccare sciat.

Chrysost. Hom. in illud Verumtamen frustra contristatur, &c. & ad finem Tom. 1.

Lyranus.

Plutarch. de tarda Dei vindicta.

fligeretur, hostibus se, cum toto exercitu dedidit, eâ solâ conditione, vt biberet quantum liberet. Cui conditioni cum hostes satis fecissent, & Rex ad satietatem bibisset, exclamasse iam captiuus fertur: Heu me hominem turpem, qui voluptatis causâ adeò temporariæ, tanto regno sum orbatus.

Lysimachus vt sitim suam leuet, regnum perdit.

Post Scripturam sacram, in proponenda eadem veritate, multùm excellit S. Augustinus, qui quôd primigenio peccato, natura humana corrupta, ad omne malum inclinet, exemplo hominum teneræ ætatis ostendit, qui vt à vitijs arceantur, sedulâ & seuerâ animaduersione opus habent. Quis, inquit, ignorat, cum quanta abundantia vanæ cupiditatis, quæ in pueris incipit apparere, homo veniat in hanc vitam? ita vt si dimittatur viuere, vt velit, & facere quidquid velit, in hæc facinora & flagitia, quæ commemoraui, (commemorauerat autem plurima) & quæ commemorare non potui, vel cuncta vel multa perueniat? Sed diuinâ gubernatione non omnimodo deserente damnatos, & Deo non continente in ira sua miserationes suas, in ipsis sensibus generis humani prohibitio, & eruditio, contra istas, cum quibus nascimur, tenebras vigilant, & contra hos impetus opponuntur, plenæ tamen etiam laborum & dolorum. Quid enim sibi volunt multimodæ formidines, quæ cohibendis paruulorum vanitatibus adhibentur? quid pædagogi, quid magistri, quid ferulæ, quid lora, quid virgæ, quid disciplina illa, quâ scriptura Sancta dicit, dilecti filij latera esse tundendà, ne crescat indomitus, domarique iam duras aut vix possit, aut fortasse nec possit? Quid agitur his pœnis omnibus, nisi vt debelletur imperitia, & praua cupiditas refrenetur, cum quibus malis in hoc seculum venimus.]

Augustin. lib. 22. de Ciuit. cap. 22.

Ætas tenera, seuerâ animaduersione á vitijs arcenda.

Veritati huic satis ab Ethnicis subscriptum. Nonne Diodotus apud Thucydidem ait, à natura hoc homi-

Diodot. apud Thucyd. lib. 3.

hominibus insitum esse, vt quisque & publicè & priuatim peccet? Nonne multi ex illis, teste Lactantio, cùm & seipsos, & alios, ad mala quæque impelli experirentur, naturam humanam tanquam nouercam accusabant? Sed hanc accusationem refutat Salustius, in prologo Iugurtini belli exclamans: Falsò queritur de natura sua genus humanum. Laudat istam refutationem sanctus Augustinus, causamque apponit: Natura quippe hominis primitus inculpata, & sine vllo vitio creata est: natura verò ista hominis, quâ vnusquisque ex Adam nascitur, iam medico indiget, quia sana non est. Idem alibi sensum Catholicorum aperiens, inquit: Non accusamus naturam. Naturæ auctor Deus est. A Deo bona est instituta natura: sed per malam voluntatem à serpente vitiata est. Ideò quod fuit in Adam culpæ non naturæ, nobis propagatis, factum est iam naturæ. Ab hoc vitio naturæ, cum quo nascitur homo, non liberat, nisi qui natus est sine vitio. Ab hac carne peccati non liberat, nisi ille, qui natus est sine peccato, per similitudinem carnis peccati. Ab hoc veneno serpentis non liberat, nisi exaltatio serpentis.]

Lactant. de opif. Dei cap. 3.

August. lib. de natura & gratia cap. 1. & 3.

Idem de Verbis Apostoli serm. 14. cap. 14.

CAPVT SECVNDVM.

Eorundem sarmentorum, Diabolus Radix Secunda.

PLurimorum peccatorum causam, & radicem esse Diabolum, docet illa à Christo Domino tradita parabola de homine, in cuius agro inuenta sunt zizania, cùm ipse purum triticum in eo seminasset. Interrogantibus autem seruis: *Domine nonné bonum semen seminasti in agro tuo, vnde ergo habet zizania?* respondit: *Inimicus homo hoc fecit.* Vbi zizaniorum nomine, præter

Matth. 13. ℣. 24. & seq.

hæreticos, & eorum erroribus implicatos Schismaticos, possunt cum S. Augustino intelligi quæuis peccata, præsertim grauiora, quæ cum zizanijs, magnam similitudinem habent.

August. serm. 39. de sanctis.

Nam imprimis sicut zizania, si frumento permista edantur, crassis suis vaporibus ad caput eleuatis, somnum corpori afferunt: ita, peccata, si committantur, somno illo animam opprimunt, de quo idem S. Augustinus scripsit: Cauere debemus, ne ipsa anima nostra dormiat. Malus enim est somnus animæ. Bonus somnus corporis, quo reparatur valetudo corporis. Somnus autem animæ, est obliuisci Deum suum. Quæcunque anima oblita fuerit Deum suum, dormit. Ideò dicit Apostolus quibusdam: *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Nunquid corpore dormientem excitabat? Sed excitabat animam dormientem: quando ad hoc eam excitabat, vt illuminaretur à Christo:]

Zizania corpori, peccata animæ somnum afferunt.

Idem in Psal. 62.

Ephes. 5. ℣. 14.

Aptè nonnulli hoc somno captis accommodant illud Isaiæ: *Filij tui proiecti sunt: dormierunt in capite omnium viarum.* Peccatores enim verè sunt proiecti, illâ proiectione, quam timens Dauid orabat Deum: *Ne proijcias me à facie tua.* Grande supplicium proijci à facie Dei. Exclamat ad hæc verba S. Ambrosius, causamque apponit: Quomodo proijciat Deus à facie sua, audi dicentem: *Mittite eum ad tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* Qui non emendatur, à facie eius in tenebris constituitur. Ideò iustus ne tenebras patiatur, ait: *Vultum tuum Domine requiram.* Vbi enim Domini vultus, ibi lumen est, sicut scriptum est: *Faciem tuam illumina super seruum tuum.* Denique vbi primùm intuitus est Petrum, illuminauit.] Peccatores quoque in capite omnium viarum dormiunt, vel quòd in continuo periculo versentur, ne à Deo, cùm minimè credunt, puniantur, sicut qui in capite viarum dormit, manifesto periculo

Isaiæ 51. ℣. 13.

Psalm. 50. ℣. 13.

Ambr. ibid.

Matth. 22. ℣. 13.

Psalm. 26. ℣. 8.

Psal. 118. ℣. 135.

Luc. 22. ℣. 61.

exponi-

exponitur, ne à transeuntibus curribus conteratur: vel quòd lethiferis peccatis indormiant, & indulgeant, qualia potissimùm sunt illa septem, quæ capitalia dicuntur: quia sunt caput, & origo aliorum peccatorum, ceu viarum, quibus ad gehennam itur.

Præterea solent zizania, si quis eis vescatur, caliginem oculis inducere, vt illo suo versu indicat Poëta: *Ouid. 1. Fast. 1.*
Et careant lolijs, (lolia autem eadem sunt, quæ zizania) oculos vitiantibus agri. Inde illud ænigmaticum dictum: Lolio victitare; quo luscioſi & cæcucientes, seu, vt eos Græci vocant, myopes notantur. Solent quoque peccata, humanæ menti caliginem, vel potiùs cæcitatem afferre, quam priore magis noxiam esse, & in hoc consistere, quòd peccans nullam Dei rationem habeat, sanctus Augustinus his verbis docet: Cùm magnum malum homines putent, oculorum corporalium cæcitatem, quâ lux ista retrahitur: quantam ergo pœnam patitur, qui secundis rebus peccatorum suorum eò perducitur, vt non sit Deus in conspectu eius, & contaminentur viæ eius, in omni tempore, id est, cogitationes & consilia eius immunda sint?] *Peccata cæcitatem animæ generant.* *S. August. in Psal. 9.*

Patitur & alteram cæcitatem peccans, quam breuissimè Glossa interlinearis descripsit, vt cæcus sit, qui non videt, quod fuit, quod est, quod erit. Quis enim audacter peccans videt quòd fuit, sicut videbat gratiâ diuinâ illuminatus Dauid, qui alloquebatur Deum: *Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.* Illustrans ista verba Lyranus censet, his meditationibus Dauidem vacasse, quàm seuerè olim Deus vniuersali terrarum diluuio peccata punierit. Propterea autem tales meditationes à pœnitente Rege electas fuisse, vt tantò facilius ab omnibus vitijs sese retraheret, quantò grauioribus pœnis illa quondam esse vindicata sciret. S. verò Gre- *Glossa interlin. in cap. 9. Marci.* *Psal. 142. ℣. 5.* *Lyran. ibid.*

Greg. in 7. Psalm. pœnit. gorius tradit, primarias Dauidis meditationes fuisse de antiquis Patriarchis & Prophetis, alijsque magnâ vitæ sanctimoniâ conspicuis hominibus, qui eo cordis affectu adhærebant Deo, vt præ illo omnia contemnerent, potiusque quidlibet perpeti, quàm vel minimam offensionem eius contrahere, mallent. Atque hos tantæ virtutis viros. rectè à Dauide vocatos esse opera manuum Dei, idem S. Gregorius ait, subdens: Quia tales diuinam in se non deformant imaginem: charismatum non excludunt dona: animæ speciem non demoliuntur. Qui nihil boni sibi, sed totum gratiæ Dei tribuunt, scientes se nihil habere, quod non acceperunt. Hoc enim operatus est in eis, qui vasa misericordiæ fecit eos: qui illos ante mundi constitutionem in seipso elegit, vt in se non glorientur, ne altum sapiant, sed timeant.]

Sicut autem quod fuit, ita, quod est, peccatis multùm dediti, non vident. Si enim viderent, vtique factos se esse seruos & mancipia Diaboli cernerent, cernentesq; non exultarent, sed grauiter mœrerent. Gilimer Vandalorum Rex, ab exercitu Iustiniani Imperatoris victus, iussit sibi afferri cibarium panem, item lyram & spongiam: significans omnem mensarum lautitiam, omnemque musicum concentum hilarè sonantem, sibi post tantam cladem displicere, & in locum omnis iucunditatis tristem næniam, atque lugubres lacrymas, quibus detergendis opus esset spongiâ, successisse. Sic Rex ille suam infelicitatem deflebat, quia eam videbat: cùm peccatores suam longè maiorem, quam à Diabolo victi quotidie patiuntur, non videant, & idcircò nec defleant; sed potiùs, vt Iob loquitur, tympanum & citharam teneant, & ad sonitum organi gaudeant. Iidem si quàm fluxæ sint omnes res terrenæ, viderent, nunquam illis congregandis tanto cum studio inhiarent. Videbat Propheta Daniel, planè Videns, vt sacra Sctiptura, Pro-

Iob. 21. ℣. 12.

phetas

phetas crebrò vocat: ideoque cum quinque Reges Babyloniorum, vt aliqui numerant, scilicet Nabuchodonosorem, Euilmerodachum, Balthasarum, Darium, & Cyrum suis consilijs rexisset, & magnas opes corradere potuisset, omnes prudenter contempsit. Vidit & alter Videns, castimoniâ celebris Ioseph, qui cùm in maxima gratia apud Regem Pharaonem esset, totamque Ægyptum gubernaret, potuit pro se suisque posteris amplas fortunas colligere, has tamen ille, vt potè caducas, prorsus neglexit. *1. Reg. 9. ℣. 9.* *4. Reg. 17. ℣. 13.* *1. Paral. 29. ℣. 29.* *V. Perer. Maldon.* *Genes. 41. ℣. 40.*

Insuper homines peccatis dediti, futura non vident. Nimirum futura videre, est illa verba legere, quæ manus è cælo missa, in aula Balthasaris Regis scripserat: *Mane, Thekel, Phares:* quorum primum, inquit S. Hieronymus, numerum significat, secundum appensionem, tertium diuisionem. Et numerus quidem, rectè mortem designat, quam quisque post annos & dies, à Deo numeratos & exactos, obit: appensio autem iudicium, in quo vniuscuiusque appenduntur, & librantur opera: tandem diuisio infernum, qui improbos, à visione Dei & cælitum vita, diuidit & separat. Præterea videre futura, est cum prudentibus virginibus, ad ardentes lampades pro Christi aduentu præparandas, animam excitare. Id suo hieroglyphico Symbolo, Sigismundum, huius nominis primum Poloniæ Regem, virtute bellicâ & summâ erga Deum religione clarissimum, docere voluisse, non dubito. Pingebatur liber & super eum hominis caluaria, in cuius vertice, ardens lampas extabat. Liber enim indicabat sapientem virum, cuius sit frequenter & attentè de morte cogitare, si velit non cum sola fide, sed etiam cum ardentibus lampadibus, id est cum bonis operibus, coram iudice Christo comparere. Quid multa? Videre futura, est nouissima videre, quæ cuilibet homini commendans *Hieron. in comment.* *Sigismundi primi Poloniæ Regis symbolum.*

Eccles. 7. ℣. 40. Ecclesiaticus ait: *In omnibus operibus tuis, memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Multùm huic sententiæ tribuit Prosper, dicitque, eam in memoria conseruare, nihil aliud esse, quàm vitijs omnibus repudium dare, & omnia blandimenta carnalia refrenare.] Tribuit quoq; S. Augustinus, & affirmat considerationem dictę sententiæ, esse destructionem superbiæ, extinctionem inuidiæ, medelam malitiæ, effugationem luxuriæ, euacuationem vanitatis & iactantiæ, constructionem disciplinæ, perfectionem sanctimoniæ, præparationem salutis æternæ.]

Prosper lib. 3. de vita contemplatiua, cap. 11.

Augustin. in spec. peccat. cap. 1.

Accedat tertia inter zizania, & inter peccata similitudo, quòd sicut illa, vertiginem capitis, ita & hæc vertiginem mentis generent. Meminit huius vertiginis ex peccato procedentis Propheta Isaias: *Dominus miscuit in medio eius*, scilicet Ægypti, *spiritum vertiginis*. Quod de Deo dictum, eo modo est intelligendum, quo intelligi debet, cùm dicitur, idem Deus in Scriptura sacra, homines excæcare, indurare, decipere. Hæc enim ille non propriè, &, vt loqui solemus, non positiuè facit, sed vt fiant, permittit, subtrahendo illis propter peccata peculiarem gratiam, quæ si accederet, nunquam excæcationem, indurationem, deceptionem, vertiginem, & alia idgenus paterentur. Quod si quæras, cur Scriptura sacra tribuat Deo nonnulla opera, quæ ipse non operatur, sed tantùm non impedit, & vt eueniant permittit? Respondent Catholici Doctores, id eum facere, vt sciamus, quòd Deus in sua præscientia falli nunquam penitùs possit. Quamuis enim ipse multa positiuè non operetur, tamen propter eius infinitam præscientiam, tàm infallibiliter sequitur id, quod permittit fieri, quàm id, quod efficit & præordinat. Deinde vt homines permissionem Dei timere assuescant. Verè enim non minus malum patitur homo, diuinâ permissione positâ, quàm si ipsius Dei positiua ordinatio, & operatio esset.

Isaiæ 19. ℣. 14.

Pecceta vertiginẽ generant

Deus operari sæpè dicitur quæ tantùm permittit, vt fiant.

Deus in sua præscientia nunquam falli potest.

Hæc

Hæc obiter, ne occasione verborum Isaiæ, aliquid Deo indignum, animo concipiatur.

Benè autem in illis verbis Propheticis, paulò ante citatis, cùm vulgata versio latina legat, *Spiritum vertiginis*, Septuaginta interpretes verterunt, *Spiritum erroris*. Errant enim grauiter in iudicandis rebus, qui morbo vertiginis laborant: cùm illis terra videtur in gyrum volui, ædificium quodlibet collabi, color omnis immutari. Sed grauiùs errant, qui vertiginem ex peccatis natam patiuntur, vt idem Isaias demonstrat, sic eos alloquens: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.*

Vertigo peccatorum pessima.

Isaiæ 6. ℣. 20.

De eadem vertigine multi explicant illa verba Dauidis: *In circuitu impij ambulant.* Vbi Franciscus Titelmanus præter alios modos circulatim ambulandi duos potissimùm proponit. Quorum primum in eo consistere ait, quòd semper ad eadem peccata redeant impij, & quæ commiserunt heri, committunt quoque hodie, commissuri & deinceps semper, nisi mors vltima linea rerum, hanc funestam ambulationem interrupe-rit. Alterum in eo, quòd impij, sic ambulantes, quantumlibet fatigentur, ad cælestem patriam nunquam perueniant: vt perueniunt iusti, qui rectâ viâ semel arreptâ, rectoque cursu semel inchoato, quæ retro sunt obliuiscuntur cum S. Paulo: ad ea verò, quæ sunt priora, seipsos extendunt. Videtur autem nominatus auctor hunc vtrumque modum à S. Bernardo accepisse, qui citata Psalmistæ verba tractans, & impios cum tartareo principe, dictarum circulationum inuentore conferens, inquit: Legimus, quoniam *in circuitu impij ambulant.* Legimus de eorum principe, quoniam *circuit, quærens quem deuoret.* Quod & ipse fateri cogitur in præsentia maiestatis: vt inter filios Dei astans, vnde veniat requisitus;

Psalm. 11. ℣. 9.
Titelman. ibid.

Philip. 3. ℣. 13.

Bernard serm. 12. in Ps Qui habitat.
Psalm. 11. ℣. 9.
1. Petr. 5. ℣. 8.

Iob 1. ℣. 7. situs: *Circuiui, ait, terram & perambulaui eam.* Dicamus itaque vias eius circuitionem & circumuentionem. Istâ enim ad nos, illâ vtitur in se ipso. Semper ille extollitur, sed deijcitur semper: superbia eius ascendit semper, semper humiliatur. Nunquid non circuitus iste? Qui enim in circuitu ambulat, proficiscitur quidem, sed proficit nihil. Væ homini, qui sequitur hunc circuitum, qui nunquam à propria voluntate recedit. Si conaris auellere, paululùm sequi videbitur, sed in dolo. Circuitus est, aliunde reditum parat, non ab ea penitus abducetur. Satagit vndique, vndiq; fugitat: hæret tamen semper, propriæ voluntati.] Cùm igitur peccata, & somnum & cæcitatem, & vertiginem animæ generent, quomodo zizania non vocentur?

Porrò sator horum zizaniorum est inimicus homo. Diabolum à patrefamilias in illa commemorata de zizanijs parabola, & similiter à Dauide Rege in illis verbis: *Eripe me Domine ab homine malo*, Diabolum, inquam, appellatum esse hominem, S. Augustinus sentit. Quibus locis adiungit Alfonsus Salmeron, & illum eiusdem Dauidis: *Exurge Domine non confortetur homo.* Rationem huius appellationis adnectit is auctor, quòd Diabolus sit, qui de primo homine victoriam reportauit, & etiamnum de posteris eius reportat. Nouum enim non esse, vt victores eorum, quos expugnârunt, nomina assumant, Africani, Asiatici, Numidici, Numantini, complureſque alij à prouincijs victis nominati testantur. Addi potest ratio altera, quòd Diabolus accommodatè ad ingenium, & palatum hominum suas tentationes formare sciat. Nam vt de illo S. Gregorius inquit: Intuetur vniuscuiusque mores, cui vitio sint propinqui, & illa opponit ante faciem, ad quæ cognoscit faciliùs inclinari mentem: vt blandis ac lætis moribus sæpè luxuriam, nonnunquam vanam gloriam: aspe-

Psalm. 139. ℣. 1. August. ibid.

Psalm. 9. ℣. 20. Salmeron tract. 6. de parabol. zizan

Cur Diabolus appelletur homo.

Greg. lib. 14. Moral. cap. 6.

ris

ris verò mentibus, iram, ſuperbiam, vel crudelitatem proponat.

Cæterum iſte homo, non homo, inimiciſſimus eſt hominibus, quantumlibet illis amicum ſe eſſe ſimulet. Quis enim inimiciſſimum non dicat eum, quî malit in nihilum redigi, quàm hominibus non nocere? Conſonat hoc illi dicto Hieronymi: Quibus, id eſt Dæmonibus, ſi optio detur, magis eligant perire flammis, quàm prædam perdere. Videtur autem S. Doctor alludere ad illum immanem piſcem, qui, vt ſacra hiſtoria refert, volens pro præda iuniorem Tobiam habere, maluit extra elementum aquæ, ad vitam ſuam conſeruandam neceſſarium proſilire, quàm vt Tobias illæſus abiret, permittere. Et certè quod S. Hieronymus videtur feciſſe, fecit clarè Beda, Diabolum cum illo piſce comparans, & declarans, quàm ignominiosè Diabolus corruit, cùm in redemptorem mundi irruit. Vt proinde hanc erga homines Diaboli malitiam conſiderans S. Gregorius meritò ſcripſerit: Satanæ voluntas ſemper iniqua eſt. Quamuis hæc ſententia habet etiam locum, ſi conſideretur, quàm maleuolus ſit Diabolus erga ipſum Deum. Nam vt ſemel à Deo voluntatem ſuam auertit, nunquam eam ad illum conuertit. Qua de re S. Thomas contra Origenem diſputat, propoſitâ quæſtione: Vtrum voluntas Dæmonum ſit obſtinata in malo? & oſtendit ita obſtinatam eſſe, vt non poſſint Dæmones per conuenientem pœnitentiâ flecti, & conuerti in bonum. Doctrinam iſtâ hac ratione confirmat; quia cùm Angelicus intellectus, alterutrum ex oppoſitis firmiter & immobiliter apprehendat: neceſſe eſt, vt & voluntas Angelica alteri oppoſitorum firmiter, & immobiliter adhæreat, poſtquam illud cum perfecta deliberatione elegerit. Voluntas enim intellectui, tanquam mobile ſuo motori, reſpondere debet. Cuiuſ-

Diabolus mallet perire, quàm homini non nocere.

Hieron. in cap. 9. Iſaiæ.

Tobiæ 6.

Beda ibid.

Greg. lib. 2. Moral. cap. 10.

S. Thom. 1 part. q. 64. art. 2.

Voluntas Diaboli obſtinata in malo.

modi rationem qui non probant, hanc assignant, quia Deus iusto suo iudicio decreuit Angelis, postquam semel peccauerunt, non dare gratiam, cum qua possint malum deserere, & ad Deum conuerti.

Hic ergo inimicus homo, vt homines peccent, peccandoque malum omnium pernicioſissimum sibi accersant, quos neruos non contendit? quas machinas non adhibet? Sunt qui ei accommodent illud, quod Dauid de militibus Absolonis, alijsque hostibus contra vitam suam coniuratis dixerat: *Vim faciebant, qui quærebant animam meam.* Quâ accommodatione non id agunt, vt doceant, vim propriè dictam voluntati alicuius hominis à Diabolo inferri, & vt necessariò peccet, adigi. Norûnt illi, quod S. Augustinus de Diabolo, cani eum ad parietem religato comparans, scripsit: Latrare potest, solicitare potest, mordere omninò non potest, nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet, nec extorquet à nobis consensum, sed petit.] Norûnt, quod etiam S. Gregorius tradit, exponens illud Iob: *Conuulnerauit lumbos meos.* Notandum, inquit, est, quòd non ait Vulnerauit, sed Conuulnerauit lumbos meos. Sicut enim loqui aliquando vnius est, colloqui verò duorum vel fortasse multorum: sic antiquus hostis, quia nos, ad culpam sine nostra voluntate non rapit, nequaquam lumbos nostros vulnerare, sed conuulnerare dicitur: quia hoc, quod nobis ille malè suggerit, nos sequentes ex voluntate propria implemus, & quasi cum ipso nos pariter vulneramus: quia ad perpetrandum malum ex libero simul arbitrio ducimur. Hoc igitur solùm auctores illi significare volunt, quòd Diabolus, rabidâ omnes homines perdendi auiditate plenus, molestis suis tentationibus, illos lacessat, & vix aliquando respirare sinat.]

Psalm 37. ℣. 13.

August. serm. 197. de temp.

Dæmon non cogendo sed suadendo nocet.

Greg. lib. 13. Moral cap. 9.

Iob 16. ℣. 14.

Tantam eius auiditatem notauit S. Petrus sic

nos

nos omnes admonens: *Sobrij estote & vigilate: quia aduersarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Ecce enim Apostolorum Princeps Diabolum cum leone confert, non propter hanc causam, propter quam Christus cum eodem conferri, & leo vocari solet (Christus enim, inquit S. Augustinus. nominatur leo, propter fortitudinem, Diabolus propter feritatem: ille leo ad vincendum, iste leo ad nocendum) sed quòd Diabolus instar esurientis leonis, prædam auidè appetentis, ideoque horridè rugientis, auidè & ipse animas humanas appetat; nullumque laborem fugiat, vt eas in peccatum inductas deuoret. Deuorat enim Diabolus, & veluti sibi per mortalem culpam peccatorem incorporat, vt Lyranus scripsit, & appositè quidem ad mentem S. Augustini scripsit: qui exponens illud: *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*, ait: Quando dictum est Diabolo, Terram manducabis, dictum est peccatori: *Terra es, & in terram ibis.* Datus est ergo in cibum Diabolo peccator. Non simus terra, si nolumus manducari à serpente. Sicut enim quod manducamus, in nostrum corpus conuertimus, vt cibus ipse secundùm corpus efficiatur hoc, quod nos sumus: sic malis moribus per nequitiam, & superbiam, & impietatem, hoc efficitur quisque, quòd Diabolus est, id est, similis eius: & subijcitur ei, sicut subiectum est nobis corpus nostrum.]

1. Petr. 5. ℣. 8.

Augustin. 46. de diuersis cap. 2.

Aliter Christus aliter Diabolus vocatur leo.

Lyranus

Augustin. de agone Christiano cap. 2. Genes. 3. ℣. 14. 76. ℣. 19.

Plurimùm quoque ad exprimendam Diaboli memoratam auiditatem facit S. Petri verbum, *Circuit.* Non frustra enim omnia obit, & circumcursat, nequam iste circulator & planè cyclicus hostis: verùm propterea, vt videat, quâ parte hominem adoriatur, & peccatum introducat: Ita hoc verbum intellexit S. Cyprianus: Circuit nos singulos, inquit, & tanquam hostis clausos obsidens, muros explorat & tentat, an sit pars aliqua membrorum minùs stabilis, & minùs fida, cuius aditu

Primus modus quo Diabolus circuit.

Cyprian. de zelo & liuore.

ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices, & faciles voluptates, vt visu destruat castitatem. Aures per canoram musicam tentat, vt soni dulcioris auditu, soluat & molliat Christianum vigorem. Linguam conuicio prouocat: manum iniurijs lacessentibus ad petulantiam cædis instigat: vt fraudatorem faciat, lucra opponit iniusta: vt animam pecuniâ capiat, ingerit pernicioſa compendia, &c.] Ad plura, horumque simillima, apud S. Gregorium legenda, inuito.

Greg. in 1. Reg. cap. 14.

Secundus modus.

Circuit etiam Diabolus, vt tartareos spiritus colligat, quibuscum hominem oppugnet, eos præsertim, quos ad propaganda certa peccata aptos esse nouit. Ad doctrinam Cassiani, commodè hoc affertur, apud quem Abbas Serenus ita loquitur: Hoc nosse debemus, non omnes Dæmones vniuersas hominibus inurere passiones: sed vnicuique vitio certos spiritus incubare. Et alios quidem immunditijs ac libidinum sordibus oblectari, alios blasphemijs, alios iræ furoriqúe peculiariùs imminere: alios pasci tristitiâ, alios cenodoxiâ superbiâque mulceri, & vnumquemque illud vitium humanis cordibus, quo ipse gaudet, inserere: sed nec cunctos pariter suas ingerere prauitates: sed vicissim, prout temporis, & loci, vel suscipientis opportunitas prouocauerit.] Quæ doctrina quid certitudinis habeat, S. Bernardus indicat, explicans illud: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Quis verò, inquit, scire potest, an diuisæ sint inter eos, id est, Dæmones, operationes malitiæ, ministeria iniquitatis: vt ex diuersis officijs, quin potiùs maleficijs, vocabula quoque diuersa sortiti nominentur? Alius siquidem aspis, alius verò basiliscus, alius autem leo, & alius quidem draco; quòd videlicet suo quodam inuisibili modo variè quoque noceant: quasi alius morsu, alius quoque visu, alius autem rugitu vel ictu, alius quidem flatu.

Cassian. collat. 7. Abbat Sereni c. 17.

Bernard. in Psalm. Qui habitat, serm. 13. Psalm. 90. ℣. 13.

Quorum

Quorum singula vir sanctus satis amplè illustrat. Fauent propositæ doctrinæ illa Christi Domini de Diabolo verba: *Tunc vadit & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se.* & illa S. Thomæ: Propter superbiam, diuinæ potestatis similitudinem vsurpant, scilicet Dæmones, deputando sibi ministros determinatos ad hominum impugnationem: sicut & Angeli Deo ministrant in determinatis officijs ad hominum salutem.] *Luc. 11. ℣. 26.* *Thom. 1. part. q. 114. art. 1.*

Tertius modus.

Deinde circuit Diabolus, iterum iterumque ad hominem, quem perdere statuit, rediens, & tentationes renouans. Leo siluestris, vt aliqui tradunt, feram, cui insidiatur, illæsam abire permittit, si eam vno & primo impetu non capiat. Atqui tartareus leo Diabolus, hominem, cui perniciem struit, nunquam ita relinquit, quin ad eum identidem redeat, quamuis sæpiùs labori suo circa eum suscepto, nullum prorsus fructum respondisse videat. Hinc illud S. Gregorij: Sæpè antiquus hostis, postquam menti nostræ tentationum certamen inflixerit, ab ipso suo certamine ad tempus recedit: non vt illatæ malitiæ finem præbeat, sed vt corda, quæ per quietem secura reddiderit, repente rediens faciliùs inopinatus irrumpat.] S. Gregorium secutus S. Thomas, integrum ea de re articulum consumpsit, in quo docet primò, sæpè Diabolum ab homine, cui exitium molitur, recedere, & per aliquod tempus, suis tentationibus supersedere: præsertim cùm se ab illo strenuè repulsum, vel etiam gloriosè victum esse cernit. Ostendit hoc exemplo illius Diaboli, qui Christum in deserto tentauit, & de quo S. Euangelista Lucas scripsit: *Et consummata omni tentatione, Diabolus recessit ab illo, vsq; ad tempus.* Docet secundò, redire Diabolum ad hominem, quem aliquanto tempore quiescere permisit, & rursus contra eum suas vires exerere. Sic redierat qui dicebat: *Reuertar in domum meam, vnde exiui.* *Greg. lib. 3. Moral. cap. 22.* *D. Thom. 1. part. q. 114. art. 5.* *Luca 4. ℣. 13.* *Matth. 12. ℣. 44.*

Quartus modus quo Diabolus circuit.

Denique circuit Diabolus, conquirens varios modos, quibus efficiat, vt homines maioribus in dies peccatis expugnet. De Nabuchodonosore rege narrat propheta Habacuc: Totum in hamo subleuauit, traxit illud in sagena sua, & congregauit in rete suum. Quam narrationem metaphoricè contextam, ita ibi S. Hieronymus explicat; vt quomodo piscator mittit hamum, & rete, & sagenam, vt quod hamus non potuit, rete comprehendat: & quod euaserit rete, sagenis latioribus circumdetur: ita & rex Babylonicus cuncta vastauerit, & vniuersum hominum genus, suam prædam fecerit. Clarior erit explicatio, si dicatur, vsitatum fuisse Nabuchodonosori, vt quam gentem paruo exercitu, suæ ditioni subijcere non potuit, maiore & maiore illam adoriretur: planè piscatoris instar, qui quos pisces non potest capere hamo, pro his explicat rete: quodsi ne rete quidem sufficiat, sagenam longè latèque pandit. Tum Diabolo totum id S. Doctor accommodat, qui habet & hamum, & rete, & sagenam, vt capiat homines, de quibus Ecclesiastes scripsit: *Sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò superuenerit.* Et quidem ad capiendum primum hominem, hæc omnia à Diabolo adhibita esse, ait S. Hieronymus. Impius Diabolus (verba sunt eius) qui opprimit iustum, & habet homines, quasi pisces maris, & vastat cuncta, quasi reptilia non habentia ducem misit hamum suum, contrarium ei hamo, à quo per Apostolum Petrum primus captus est piscis, in cuius ore inuentus est stater. Et adhæsit hamo eius Adam, & attraxit eum foras de paradiso reti suo, & cooperuit sagenis suis varijs & multiplicibus dolis atq; fallacijs.

Habac. 1. ℣. 15.

Hieron. ibid.

Diaboli hamus, rete, sagena.

Eccles. 9. ℣. 12.

Matth. 17. ℣. 26.

Ne verò quis existimet lassitudine quâdam impediri Diabolum, quominùs expeditè ijsdem modis etiam-

etiamnum homines capiat, addidit sanctus Hieronymus: *Hieron. ibid.*
Quia primum decepit hominem Diabolus, quotidie
vniuersum humanum genus interficere non cessat.]
Quòd non cesset, prosequitur ibidem Franciscus Ribe- *Ribera ibid.*
ra. Quosdam, inquit, hamo subleuat, minores videli-
cet pisces. Hamus hic quid est, nisi carnis voluptas, quæ
dulcem escam habere videtur, sed intus acutam & mor-
tiferam cuspidem seruat. Hoc hamo, qui minores ha-
bent in virtute progressus, plerumq; capi solent. Dein-
de mittit rete, vt quod hamus non potuit, rete compre-
hendat. Rete est cupiditas diuitiarum, quâ multi capi-
untur, qui carnis voluptate capti non sunt. Sagena est
superbia, quia eos etiam colligit, qui rete effugerant.]
Quomodocunque ista intellectus alicuius discriminet,
& consideret, nobis, quòd de Nabuchodonosore di-
ctum est, ad hoc sufficiat, quòd in oppugnandis & ca-
piendis hominibus, similis sit ei Diabolus, qui commu-
niter à paruis peccatis initio sumpto, maioribus & ma-
ioribus illos oppugnat: donec tandem ad desperatio-
nem, vel ad securitatem, veluti ad quandam sagenam
adductos, perfectè sibi subigat. Quadrat ad hoc illu-
strandum etiam illud exemplum, quòd Martinus Cro- *Cromer. lib. 9.*
merus offert. Narrat ille sub Boleslao Pudico Polono-
rum Principe, plurimorum & grauissimorum scelerum,
maculis notatissimum Episcopum fuisse, qui vocem
claram, cum septuaginta hominibus tunc eum circum-
stantibus audiuerit: Væ tibi Paule Episcope. Meliùs
tecum actum esset, si natus non fuisses. Sub idem tem-
pus Religiosorum hominum quispiam per quietem vi-
derat lupum, erectis prioribus pedibus contra eundem
Episcopum humanâ voce exclamantem: Væ tibi Paule
Episcope, quoniam cepisti & occidisti. Iamque vide-
batur Episcopus ille seriò ad expianda peccata accede-
re, cùm interim compellari se audiuit: Ne timeas Pau-
le Epi-

le Episcope. Age quod lubet: septimo tandem anno morieris. Hæc grauis & prudens Historicus cùm retulisset, subiunxit, Satanæ has voces fuisse, primùm desperationem, deinde securitatem, & maiorem licentiam ingerentis, vt reuerâ illi, de quo sermo est, ingesserat.

Quis plura desideret ad ostendendum, quàm auidè Diabolus humanum genus multiplicibus peccatis subigat? Nihil tamen vetat apponere aliquid, ex illa parabola de seminatione zizaniorum, à qua præsens caput inchoauimus. Quæro enim, cur Diabolus zizania seminat in agro, quem bono tritici semine satum esse videt? Nonne ideò, quòd nullus sit aut locus, aut homo, tam pius & sanctus, vt in eo Diabolus sementem peccatorum facere non audeat? Affirmant hoc illa S. Gregorij verba: In hac vita adhuc homo positus, in cuiuslibet ordinis loco, in cuiuslibet secreti secessu, viuere sine tentationibus non potest. Imò vbi plurium & splendidiorum virtutum in aliquo hominum sparsa sunt semina, & propè est, vt de tali dicat Deus, quòd de Iacob dixerat Isaac: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*: ibi potissimùm connititur Diabolus, vt omnia pessundet, ac nihil, quod laudabile sit, excrescere sinat. Quodsi id efficere nequeat, sed quod seuit Deus suam maturitatem habeat, quantam rursus laboris impensam aget, vt vitiet, quod in cæleste horreum inferri debet? Ornemus hoc illo S. Hieronymi dicto: Non quærit Diabolus homines infideles, non eos, qui foris sunt, & quorum carnes Rex Assyrius in olla succendit. De Ecclesia Christi rapere festinat. Escæ eius secundùm Habacuc electæ sunt. Iob subuertere cupit, & deuorato Iudâ ad cribrandos Apostolos expetit potestatem.]

Diabolus zizania seminat, vbi bonum semen tritici videt.

Greg. lib. 23. Moral. cap. 23.

Genes. 27. ℣. 27.

Hieron. Eustoch. Epist. 22.

Ierem. 19. ℣. 22.

Habacuc. 1. ℣. 16.

Iob 1. ℣. 11.

Luca 22. ℣. 31.

Nec mirùm sic hostem animarum procedere. Nam & piratæ, qui mare nauigijs infestant, ait S. Chrysostomus, non tunc, vbi conspexerint, naues ex portu exeun-

Chrysost. Hom. 3. de Verbis Isaiæ Vidi Dominum.

exeuntes inuadunt; quid enim hinc fructus caperent, si scapham inanem demergerent, sed vbi redierint onustæ plenæque sarcinis, tum demum omnes expediunt artes: ita sceleratus ille Dæmon, simul atque videt aliquos multa collegisse, videlicet, ieiunia, preces, eleemosynam, castitatem reliquasque virtutes omnes, vbi videt nauigium nostrum, esse plenum pretiosis pietatis lapidibus; tunc irrumpit vndique thesaurũ perfodiens, vt in ipsis portus ostijs scapham demergat, iamque nudos nos ad eum portum eijciat.]

Diabolus vitia pro virtutibus obtrudit.

Quæro secundò, cur nocte seminat? An quòd princeps tenebrarum cùm sit, tenebras humanis mentibus afferre, & vitia pro virtutibus, planè zizania pro tritico, obtrudere assueuit? Longiusculè id S. Gregorius tractat, ex quo hæc pauca desumimus: Hostis nostri malitia tantâ se arte palliat, vt plerumque ante deceptæ mentis oculos, culpas virtutes fingat: vt inde quisque quasi expectet præmia, vnde dignus est æterna inuenire tormenta. Plerumque enim in vlciscendis vitijs crudelitas agitur, & iustitia putatur, atque immoderata ira, iusti zeli meritum creditur. Plerumque dissoluta remissio, quasi mansuetudo ac pietas habetur. Nonnunquam effusio, misericordia creditur. Nonnunquam tenacia, parcitas putatur. Sæpè malorum pertinacia, constantia dicitur. Sæpè inconstantia, quasi tractabilitas habetur. Aliquando timor incompetens, humilitas creditur. Aliquando vocis superbia, veri libertas æstimatur. Plerumque pigritia, quasi continentia quietis attenditur. Plerumque inquietudo spiritus, vigilans solicitudo nominatur. Sæpè ad ea, quæ agenda sunt, incauta præcipitatio, laudandi studij feruor creditur. Sæpè accelerandi boni tarditas, consilium putatur. Hæc ex Gregorio.

Ephes. 6. ℣. 12.

Greg. l. 32. Moral. cap. 22.

Diabolus noctu potissimùm grassatur.

An quòd noctu præcipuè grassetur, & ex voto per huiusmodi tempus peccata procuret? Certè sanctus Ambro-

Ambr. in Pſ. 118. octon. 8. Ambroſius noctem appellat tempus habile tentamentis & pœnæ. Tentamentis quidem, quia, vt ipſemet ait, tunc feruet carnis illecebra, tunc tentator illudit: coquitur cibus, potuſque digeritur. Tunc tentator aſſiſtit: tunc retia iacit, quibus turbare poſſit mentem improuidam. Tunc ſpirituales nequitiæ tenebras offundunt: tunc omne nefas ſuadere contendunt, quando nullus arbiter culpæ, nullus criminis conſcius, nullus poteſt eſſe erroris teſtis. Pœnæ verò: quia frequenter Diabolus peccata hominum, licet ipſo auctore ſint commiſſa, tempore nocturno punit. Pro exemplo nominatus vir ſanctus ponit Ægyptiorum primogenita, quæ diuinæ iuſtitiæ adminiſter noctu occidit. Hunc autem adminiſtrum non alium, quàm Diabolum fuiſſe, Rupertus cum aliquot alijs ſentit. Exemplo etiam poſſunt eſſe ſeptem viri Saræ mariti, quos ſimiliter noctu Diabolus ſuffocauit. Item noſtri antiqui Poloni, qui cùm Naclum Pomeraniæ arcem obſiderent, frequenter eos Dæmones, per nocturnas horas, hoſtilis exercitus ad caſtra Polonorum appropinquantis ſpeciem oſtentantes, diuexabant. Cuius permiſſionis diuinæ hanc cauſam aſſignat Cromerus, quia noſtrates milites priore expeditione ſolenne omnibus Chriſtianis quadraginta dierum ieiunium, promiſcuo ac temerario eſu carnis ac lactariorum, moribus & inſtitutis Eccleſiæ Catholicæ contemptis violauerant.

Exodi. 12. ℣. 29.

Rupert. l. 1. in Exod. cap. 3.

Tobiæ. 8. ℣. 12.

Cromer. l. 5. in Vladiſl. 1.

Diabolus dormientibus hominibus vigilat.

Quæro tertiò. Cur dormientibus hominibus, ipſe vigilat? An quod præ ingenti cupiditate propagandi mala, nunquam quieſcere valeat, ſitque illi regi Babylonis ſimilis, de quo propheta Iſaias dixit: *Non dormitabit neque dormiet, neque ſoluetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia calceamenti eius.* Proinde æquè noctes ac dies conſumit hic hoſtis in peccatis ſerendis, & is labor illi iucundiſſimus, ne vnquam alio labore, vel etiam

Iſaiæ. 5. ℣. 27.

ſomno,

somno, interrumpatur, diligenter cauet. Idcirco Auctor operis imperfecti inquit: Diabolus quantùm ad se, nunquã cessaret tentans: nec enim habet alium actum. Non manducat, non bibit, non dormit, non opus aliquod aliud operatur, nisi vt tentet, vt fallat, vt subuertat. Hic est cibus illius, hic honor, hoc est gaudium. Propterea infatigabilis est in malo.] *Auctor operis imperfecti. in Matth. hom. 5.*

Postquam tam multa attulimus, ostendendo Diabolum esse peccatorum radicem & causam, necessariò, vt hæc omnia rectè intelligantur, meminisse oportet bipartitæ illius S. Thomæ doctrinæ, cuius prior pars est, quòd occasionaliter & indirectè omnium peccatorum causa sit Diabolus, quia ipse suggestione suâ primum hominẽ induxit ad peccandum, ex cuius peccato (S. Thomas loquitur) in tantum vitiata est humana natura, vt omnes ad peccandum procliues simus: sicut diceretur esse causa combustionis lignorum, qui ligna siccaret; ex quo sequeretur, quòd facilè incenderentur. Ad hanc partem pertinet, quod S. Cyrillus Alexandrinus intelligi voluit, cùm Diabolum peccati inuentorem appellauit, & quod S. Dionysius Areopagita asseruit. Multitudinem Dæmonum, & sibi, & alijs omnium malorum causam esse. *S. Thom. 1ma, 2dæ. q. 80., art. 4o* *Dionys. cap. 4. de diuin. nomin.*

Altera pars est, quòd idem Diabolus proximè & directè non sit causa omnium peccatorum humanorum: cùm non omnia ex ipsius suggestione, sed aliqua ex propria peccantis hominis, vel malitia, vel infirmitate, vel ignorantia, proueniant. Pro hac parte est illud S. Iacobi Apostoli: Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatũ. Et illud quod S. Thomas ibidem ex libro de Ecclesiaticis dogmatibns affert: Non omnes cogitationes nostræ malæ à Diabolo excitantur: sed aliquoties ex nostri arbitrij motu emergunt; item illud S. Multa peccata ex ipsius hominis vel malitia, vel infirmitate, vel ignorantie proueniunt.

Nazianz. in tetrastich. sent. 50.

lud S. Gregorij Nazianzeni: Cur in omnibus miserum hostem accusamus, cùm nos ipsi demus ei potestatem in nos? Accusa te ipsum, vel solum, vel magis. Nam ignis noster est, flamma verò Dæmonis. Atque hac doctrinâ prælucente patet, nos hactenꝰ iuxta posteriorẽ eius partem de Diabolo egisse, ideoq; statim initio capitis, quòd ipse plurimorum peccatorum sit radix & causa, dixisse.

Orig. hom. 20. in Luc. Cassian. collat. 8. cap. 17. Nyssen. l. de vita Mosis.

Cùm autem infinita sit multitudo Dæmonum, si interroges, cum quibus potissimùm sit nobis pugnandum? Respondet Origenes, Cassianus, D. Gregorius Nyssenus, contra hos maximè dimicandum, qui id officij à suo præside sibi designati habent, vt ad pernicie em certorum hominum incumbant. Est enim istorum auctorum sententia, singulis seorsùm hominibus, à supremo Dæmone Lucifero, singulos Dæmones destinatos esse, qui eis semper adhæreant, & diligenter eos ad malum vrgeant. Nec est ista sententia improbabilis, quam confirmare videtur illud S. Pauli: *Datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet.*

Singulis hominibus singuli Dæmones à Lucifero destinati.

2. Cor. 12. ℣. 7.

Confirmant & hæc: Primò. Quia Lucifer est veluti simia, quæ conatur imitari Deum, à quo singulis hominibus bonos Angelos, vt ab illis ad omnem vitæ integritatem promoueantur, datos esse nouit. Secundò. Videt idem Lucifer, facilem nocendi hominibus modum hunc esse, si quisque habeat Diabolum, à quo iugiter obseruetur. Tertiò. Quia secùs in regno Luciferi summa ataxia & confusio foret, si memorata certorum Dæmonum ad certos homines tentandos destinatio non esset. Quartò. Adstipulantur Ethnici, apud quos frequens sonabat doctrina, ab vno quoque homine duos haberi Genios, scilicet bonum & malum, vt videre licet in commentario Plutarchi de tranquillitate & serenitate animi. Vbi Empedocles asserit, quòd geminæ vnumquemque nostrùm accipiant

Plutarch. de tranquill. & seren. animi.

piant initientque Parcæ & Genij. Eiusdem Plutarchi est illa narratio de M. Bruto, quòd noctu ad lucernam librum legens, cùm quoddam dirum & prodigiosum immanis & horrendi corporis spectrum, ante se stans vidisset & quis esset interrogasset, responsum ab eo acceperit: Tuus sum Brute malus Genius: in Philippis me videbis. Vt vt est, nullus reperitur homo, cuius audacia, quemlibet Diabolum formidare non debeat, & cui non possit inculcari, quod Magnus Alexander apud Quintum Curtium ait: Nihil tutò, in hoste despicitur. Quem sprueneris, valentiorem negligentiâ facies. Illud item P. Mimi: Inimicum quamuis humilem, docti est, metuere. Cuius dicti hanc ille rationem reddebat: Et capillus vmbram suam habet. Quasi diceret: Sicut capillus etiam tenuissimus, si ad solem exponatur, licet exiguam, tamen aliquam facit vmbram: ita quantumuis aliquis paruus sit inimicus, nonnihil tamen nocere potest.

In M. Bruto.

Curt. lib. 6.

O quàm gloriosè triumpharemus, si quemlibet Diabolum, sub peccati iugum nos trahentem, vincere-mus. Nisi fortè hanc victoriam pro nihilo ducamus, quam, vt quiq; maiori sanctitate florebant, ita pluris æstimabant. Vnum ex illis nominabo, Beatum Ludouicum Francorum Regem, qui, vt ex Corrozeto Ioannes Crõbecius refert, ab aulicis suis rogatus, quorum gestorum suorum cognomine vellet insigniri: Victoriâ, respondit, Possiacâ contra Diabolum, dum baptizarer: Vt enim prima, ita clarissima mihi obtigit. In hac sola glorior & triumpho: ab hac Ludouicus Possiacus denominari volo. En sanctus Rex victoriam suam, quam ad fontem Baptismi de Diabolo reportauerat, omnibus suis rebus præclarè gestis præferebat: ideoque Possiacum, vbi eam acquisiuerat, cum magna animi sui voluptate frequens adibat. Nos verò, victorem esse Diaboli, pro re ludicra habe-

Victoria de Diabolo omnium gloriosissima.

Corroz. l. 6 de dictis & factis Principum.

Crombectus. lib. 2. de stud. perfec. c. 34.

habeamus, qui itidem ad fontem Baptismi partam de eodem hoste victoriam, nos conseruaturos, imò alijs atque alijs victorijs, eam cumulaturos sacrosanctè promisimus? Quid enim fuit illa Satanæ, & omnibus operibus eius, facta à nobis renuntiatio, nisi bellorum cum nominato hoste, perpetuò gerendorum, constans, & vbique palmam pro scopo, sibi præfixam habens promissio? Ponderosis verbis hanc promissionem reuocat, nobis in memoriam S. Augustinus. Diabolo inquit, vos renunciare professi estis. In qua professione, non hominibus, sed Deo & Angelis eius conscribentibus, dixistis, Renuntio. Renunciate non solùm vocib⁹, sed etiam moribꝰ: nõ tantùm sono linguæ, sed & actu vitæ: nec tantùm labijs sonantibus, sed operibus pronuntiantibus. Scitote vos cũ callido, antiquo, & veternoso inimico suscepisse certamen. Non in vobis post renuntiationem inueniat opera sua: non iure vos attrahat in seruitutem suam. Deprehenderis enim, & detegeris Christiane, quando aliud agis, & aliud profiteris. Fidelis in nomine, aliud demonstrans in opere, non tenens promissionis tuæ fidem. Sic S. Augustinus. S. verò Chrysostomus, non tantùm in memoriam nobis reuocat promissionem dictam, sed etiam, ne cum obliuione ipsius, pedem limine domoque efferamus sedulò monet. Sicut, inquit, sine calceamentis vel vestimentis, vestrûm nemo in forum descendere eligeret: ita sine verbo hoc nunquam in forum prodeas: sed cùm es ianuæ vestibula transgressurus, hoc priùs loquere verbum: Abrenuncio tibi Satana, & coniungor tibi Christe. Ne vnquam absque hac voce exeas. Hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis. Cùm hoc verbo, & crucem in fronte imprime. Sic enim non tantùm homo occurrens, verùm nec ipse Diabolus, te quicquam lædere poterit, cum his te cernens armis vbique apparentem.]

Augustin. lib. 4. de Symb. ad Catech. cap 10

Chrysost. hom. 21. ad pop. Antioch.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Cur Diabolus tam ſtudiosè peccata hominum procuret, aliquot rationes proponuntur.

ACerbiſſimo odio Dæmones proſequuntur Deum. Meritò de illis explicari ſolent illa Dauidis verba: *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.* Verè enim ſuperbia Dæmonum cum odio coniuncta aſcendit, vt teſtatur princeps ipſorum Lucifer, qui ipſi Deo ſimilis eſſe volebat, & dicere non dubitabat: *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.* Iſte autem aſcenſus ſine vlla intermiſſione peragitur, vt indicat particula *Semper*, vel quod Græcus textus habet, διὰ παντὸς id eſt, per omnia, ſiue in omnibus. Proindè ſiue cogitent, ſiue loquantur, ſiue aliquid operentur Dæmones, continuò ſuperbiam & Dei odium ſpirant, nec ab actu horum peccatorum, moraliter loquendo, ceſſare poſſunt. Continenter enim, inquit Gregorius de Valentia, cogitant & acerbitatem pœnarum, quas Deo vindice dant, & magnitudinem beatitudinis, quam perdiderunt, & ſe nihil habere præterea, quod à Deo circa ſalutem ſuam, vel timeant vel ſperent, cùm ſint iam in damnationis termino. Quæ quidem perpetua cogitatio, cum ſumma deſperatione, & afflictione coniuncta, non poteſt, moraliter loquendo, non parere in Dæmonibus, ſicut & in omnibus hominibus damnatis, perpetuum illud, & acerbiſſimum Dei odium.

Pſal. 73. ℣. 23.

Iſaiæ. 14. ℣. 13. & 14.

Dæmones continuò ſuperbiam & odium Dei ſpirant.

Greg. de Valent. T. 1. diſp. 4. General. q. 15. punct. 2.

Quodſi dubium aliquod oriatur, quomodo Deus odio haberi poſſit, qui eſt ipſa bonitas & pulchritudo ſumma?

Quomodo Deus odio haberi poſſit.

Dionys. cap. 4. de diu. nom.

summa? Omnibus enim amabile & diligibile est primum bonum & pulchrum, vt S. Dionysius Areopagita inquit. Ad expediendam difficultatem istam, consule

S. Thom. 2. 2. Q. 34. ar. 1.

S. Thomam, qui docet, non quidem secundùm essentiam suam, sed secundùm quosdam iustitiæ suæ effectus, Deum à Dæmonibus & ab hominibus, odio haberi posse. Dupliciter inquit Deus ab homine apprehendi potest. Vno modo secundùm seipsum, puta cùm per essentiam videtur. Altero modo per effectus suos, cùm scilicet *inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Deus autem per essentiam suam, est ipsa bonitas, quam nullus odio habere potest: quia de ratione boni est, vt ametur. Et ideò impossibile est, quòd aliquis videns Deum per essentiam, eum odio habeat. Sed effectus eius aliqui sunt, qui nullo modo possunt esse contrarij voluntati humanæ: quia esse, viuere, & intelligere, est & appetibile, & amabile omnibus: quæ sunt quidam effectus Dei. Vnde etiam, secundùm quod Deus apprehenditur, vt actor horum effectuum, non potest odio haberi. Sunt autem quidam effectus Dei, qui repugnant inordinatæ voluntati: sicut inflictio pœnæ, & etiam cohibitio peccatorum per legem diuinam, quæ repugnant voluntati deprauatæ per peccatum. Et quantùm ad considerationem talium effectuum, ab aliquibus Deus odio haberi potest: in quantum scilicet apprehenditur peccatorum prohibitor, & pœnarum inflictor. Sic S. Thomas.]

Atque hoc odio vrgente, vellent Dæmones, si possent, vbique nocere Deo, imò de cælo eum deturba-

Prouerb. 21. ℣. 30.

re, & penitus tollere. Sed cum teste Salomone, *Non est sapientia, non est prudentia: non est consilium, contra Dominum*, rabiem suam in imaginem eius conuertunt,

Genes. 1. ℣. 26.

in hominem scilicet quem creaturus Deus dicebat: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Elegan-

ter

ganter id illustrat S. Basilius: Pantheræ, inquit, naturalem quandam habent aduersus hominem iram, & solent vel maximè in oculos insilire. Hinc qui insanæ illi bestiæ illudunt, ex charta imaginem, quasi hominem ipsi ostentant: illa verò nimio impetu ac nulla consideratione facta, esse hominem autumans, chartam veluti hominem concerpit, atque hinc, quanto sit in hominem odio, ostendit. Sic & Dæmon in imagine, quo sit in Deum odio, ostendit, cùm ipsum Deum attingere nequeat.] Nimirum dictam Dei imaginem Diabolus deprauat, quotiescunque hominem peccatis inquinat. Quod cùm dicitur, errori Origenis minimè fauetur, quem sensisse & docuisse, quòd homo per peccatum cesset esse imago Dei, S. Epiphanius narrat, simulque hunc errorem refutat, adducens aliquot sacræ Scripturæ loca, in quibus homo etiam post peccatum, imago Dei vocatur, & esse traditur. Ad eundem errorem refutandum pertinet, quòd etiam post peccatum habeat homo naturam rationis, & intelligentiæ compotem, in qua præcipuè imago Dei consistit. Quando ergo per peccata imago Dei in homine deprauari affirmatur, hoc intelligi debet, quòd per illa, mirum in modum offuscetur & deformetur, perdendo admirabilem illam pulchritudinem, quâ gaudebat, cum gratiam Dei possideret. In laudem huius pulchritudinis sic erumpit S. Bernardus: Quid eorum, quæ in facie lucent, si internæ cuiuspiam sanctæ animæ pulchritudini comparetur, non vile ac fœdum recto appareat æstimatori? Quid inquam tale in se ostendit ea, quæ præterit figura huius mundi, quod æquare speciem animæ possit illius, quæ exuta terreni hominis vetustatem, eius, qui de cælo est, decorem induit, ornata optimis moribus pro monilibus, ipso purior, sicut & excelsior æthere, sole splendidior?]

Basil. de inuidia, & odio orat. 10.

Epiph. Epist. ad Ioan. Hieros. Episc.

Bernard. serm. 27. super Cant.

Dæmon peccata procurat quia Deum odit.

Habemus iam vnam rationem à S. Basilio traditam, cur tanto cum studio Dæmones peccata procurent. Nam hoc ille ex odio quo Deum prosequuntur Dæmones, prouenire ait. Cùm enim nullatenus Deo nocere possint, toti sunt in eo, vt saltem imagini eius, videlicet homini, per peccata noceant.

Basil. Hom. de inuidia.

Tradit & secundam idem S. Doctor, scilicet Inuidiam. Sic enim scripsit: Quid principem malorum Dæmonem ad bellum aduersùs hominem, interneci-

Inuidia Dæmonē stimulat, vt peccata procurat.

num impulit? Nonne inuidia, per quam & Deo aduersari palam deprehensus est? Dolens enim ob præclara dona homini concessa, quando Deo nocere non valuit, ipsum insidijs petit hominem. Sic S. Basilius. Cuius verbum Impulit, nota. Hoc enim vir sanctus indicauit, magnas vires inesse inuidiæ, quæ Diabolum non ducat suauiter, sed impellat fortiter, vt humano generi peccatis noceat. Solent interdū eædem vires inuidiæ exprimi, quoties vel diuinæ literæ, vel sancti Patres de inuidia, veluti de igne quodam loquuntur. Quis enim est ille mons magnus, & igne ardens, qui in Apocalypsi, secundo Angelo tuba canente, in mare missus esse narratur? Nonne Diabolus is est, qui mons magnus propter superbiam, & igne ardens propter inuidiam vocatur? Quæ illa flamma cordis, & quis intestinorum ignis, cuius sanctus Gregorius Nyssenus meminit? Nonne inuidia, quæ inuidi præcordia exurit? Quæ est illa fax liuoris quam S. Cyprianus memorat? Inuidia certè, quâ impius Esau contra fratrem suum Iacob exarserat.

Apocal. 8. 8.

Nyssen. in Vita Moysis.

Cyprian. de zelo & liuore.

Prosperitatem citò sequitur inuidia.

Ambr. lib. 1. de Abrah. cap. 7.

Nota simul in illis verbis S. Basilij, aptè ad naturam inuidiæ, dictum esse ab illo, quòd Diabolus homini mox inuidere cœperit, vt eum à Deo præstantib⁹ donis ornatum vidit. Prosperitatem vt S. Ambrosius ait, citò sequitur inuidia. Quod etiam in suo Psalmo Rex Dauid luculenter docuit, in quo de homine iusto dixit: *Cornu*

eius

eius exaltabitur in gloria. Per cornu autem, iuxta morem scripturæ, potentiam & robur intellexit. Quia enim cornutorum animalium in cornibus præcipuè situm est robur, illisque pugnant, & se defendunt, sæpè etiam aduersarios suos offendunt: ideò in sacris literis frequenter nomen cornu, pro fortitudine ac robore vsurpatur. Præter alia loca, videre id licet, vbi Rex commemoratus ita Deum orat: *Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam.* Nam interprete S. Augustino, petebat Dauid, vt liberaretur à viribus, & potentia superborum, qui vnicornes vocantur, quia in honore consortes & socios non ferunt. Postquam verò Dauid promisit fore, vt hominis iusti cornu exaltetur in gloria, id est, vt iustus non tantùm in cælo mercedem habeat, sed & in terra potens, & glorioſus euadat, mox subiunxit: *Peccator videbit & irascetur: dentibus suis fremet & tabescet.* id est: Tantam iusti felicitatem, postquam peccator viderit, præ iracundia, instar canis rabidi dentibus fremet, & præ inuidia arescet, donec totus contabescat.

Psalm. 11. ℣. 9.

Psalm 21. ℣. 22.

Auguſt. in priori expoſ. huius Pſalm.

Hinc apparet Primò, quàm iustè S. Chrysostomus his verbis Psalmistæ apposuerit: Quid miserius homine, qui viuit in scelere: quando aliorum rectè factis mordetur, & aliorum laudem, suam pœnam existimat, & ipse à seipso supplicium exigit, suam conscientiam lanians, & mentem excrucians, & seipsum in se carnificem exhibens.] Secundò. Quàm bene naturam inuidiæ cognitam habuerit, ille etiam apud Laërtium Bion, qui cum quendam tristi vultu inambulantem conspexisset, facetè eum interrogauit, num sibi aliquid acciderit, mali; an alteri quidpiam boni? Inuidus enim non minùs aliena felicitate, quàm sua calamitate cruciatur. Tertiò. Quàm rectè describatur inuidia, siue cum S. Augustino dicatur esse odium felicitatis alienæ: siue cum S. Basilio, dolor

Chryſoſt. in Pſalm. cit.

Multa de inuidiâ scitu digna.

Laert. lib. 4. c. 7.

Auguſt. lib. 11. de Geneſ. ad litteram cap. 14.

Baſil. loco cit.

dolor de proximi prosperitate ac rerum successu conceptus: siue cum Aristotele, dolor perturbans propter alterius res secundas. Quartò. Quàm non metuat, ne in inuidiam alicubi incurrat, qui nihil habet, quod oculos inuidorum perstringat: siquidem iuxta S. Augustini dictum, nemo inuidet misero, vel, vt vulgò dicitur, sola miseria caret inuidiâ. Hinc illud Plutarchi: Non metuit pontum, qui non nauigat, nec bellum, qui non meret, neque domi reses, latrones: non calumniatorem pauper, non inuidiam priuatus, non terræ tremorem, qui in Galatia degit, nec qui apud Æthiopas, fulmen.]

Arist. l. 2. Rhetb. ad Theodec. c. 9.

August. in Ps. 44.

Plutarch. in comment. de superstit.

Multa autem sunt, præstantissima dona, nobis hominibus à Deo data, quæ S. Basilius recensèt, & quæ Diabolus inuidet. Principatum inter omnia tenet, quòd nobis cælestis Pater, diuinam personam Verbi, nostræ naturæ humanæ hypostaticè vnitam, dederit. *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, vt S. Paulus de æterno Dei Filio inquit. Quocirca Dei Patris factum, magnam similitudinem habet cum illo Abrahami facto, qui effecerat, vt suus filius Isaac, non ex illa regione, in qua habitabat, sed ex alia dissita, vxorem haberet. Atqui similiter fecit Deus Pater, vt coæternus Filius non Angelicam naturam in cælo, in quo ipse per gloriam habitat, sed humanam in terra assumeret. Huc etiam nonnulli adducunt illud ex Canticis: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Angeli enim propter sublimem naturæ suæ dignitatem, sunt quidam colles, imò præcelsi montes; quos tamen omnes præterijt Dei Filius, & hoc illis beneficium non præstitit, vt Angelus fieret: sed *descendit de cælis, & homo factus est.* Huc insuper solet afferri illud, quando Deus Ezechiam Regem sanaturus, solem in horologio Achaz retro egit decem lineis, per gradus per quos descenderat. Quod grande Dei præpotentis opus considerans, Petrus Berchorius scripsit:

Basil. hom. in aliquot scripturæ loco.

Hebr. 2. ℣. 16.

Multa sunt, quæ Dæmon homini-b' inuidet, & quid potissimùm.

Geneseos. 24.

Cant. 2. ℣. 8.

Isaiæ. 38. ℣. 8. Eccli 48. ℣. 26.

Berchor. in Moral.

scripsit: Corporalium creaturarum regem, id est hominem volens Deus Pater à peccato sanare, fecit solem, id est filium suum benedictum, ab excellentia suæ Deitatis quodammodo retrocedere, & per summam humilitatem transactis nouem gradibus, id est, nouem Angelorum ordinibus, ad decimum gradum, id est, ad humanam naturam per incarnationem descendere & venire. Vnde illud retro redijt sol, & addidit regi vitam. Sic nominatus auctor. *Bibl. lib. 21.* *Eccles. 48. ℣. 26.*

Hinc nata in Dæmonibus inuidia, eò maiora incrementa sumit, quò illi meliùs vident, tunc à Dei Filio assumptam esse humanam naturam, cùm homines, nec hanc tantam gratiam illis exhiberet Deus, plurima impedimenta ponerent: imò venientem cum illa Deum fugerent. Hoc S. Paulum exprimere voluisse, cùm diceret, *Semen Abrahæ apprehendit*, sententia est S. Chrysostomi, qui ad hæc verba Apostoli inquit; Quare Apostolus non dixit Suscepit, sed isto verbo vsus est, *Apprehendit*, ex metaphora insequentium eos qui auersi sunt, & omnia facientium, vt fugientes occupent, & vt resilientes apprehendere valeant? Aufugientem quippè ab ipso naturam humanam, & procul aufugientem, (eramus autem longè profugi) insecutus apprehendit, & ostendit, quoniam misericordia sola, & gratia, & cura, quam de nobis habuit, hoc fecit.] *Chrysost. hom. 5. in epist. ad Hebr.*

Habent Dæmones & hanc inuidiæ suæ materiam, quòd homines ad æternam beatitudinem, & ad cælestes sedes admittantur: cùm interim ipsi tormentis subiaceant, & ad subterraneum carcerem damnatos se esse videant. Vberrima hæc est ad inuidendum materia. Sunt enim Dæmones excluſi à statu omnium bonorum aggregatione perfecto. Talem beatitudinis æternæ descriptionem tradit Bóëtius, eamque scholæ Theologorum cum S. Thoma, meritò admittunt. Nam verè *Boet. l. 3 cons. Phil. prof. 2.* *S. Thom 1. 2da. Q. 2. art. 1.*

cælestis beatitudo, est status perfectus, illi mutationi minimè obnoxius, quali mundus subditur: cui, vt loquitur S. Cyprianus, hæc sententia data est, vt omnia orta occidant, & aucta senescant, & infirmentur fortia, & magna minuantur, & cùm infirmata & diminuta fuerint, finiantur.] Et ideò à Tertulliano mundus vocatur Versiformis, quòd se instar Protei in varias formas conuertat. Eadem beatitudo omnium bonorum aggregatione constat, quæ optando & sperando, cum magno cordis affectu dicebat Dauid: *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Expressit hunc affectum S. Augustinus sic in suo commentario loquentem Regem sanctum introducens: O bona Domini dulcia, immortalia, incomparabilia, sempiterna, incommutabilia. Et quando vos videbo bona Domini? Credo videre, sed non in terra morientium, &c.] Tantis ergo bonis cùm sint abiudicati Dæmones, facilè quisque conceserit, magna eos inuidiâ, erga humanum genus conceptâ laborare. Nam, vt inquit Aristoteles, his communiter inuident alij, qui ea possident aut habent, quæ ipsos oportuit, vel quæ ipsi aliquando possidebant.

Cyprian. ad Demetrianum.

Tertul. l. de c. 2.

Psal. 26. ℣. 13.

August. ibid.

Arist. l. 2. Rhet. ad Theodect. c. 10.

Tertiam rationem assignat S. Ambrosius, asserens ideò à Dæmonibus, tanta cum omniũ virium contentione procurari peccata, vt quàm plurimos homines in infernum pertrahant, & pœnarum, quas ipsi luunt, socios habeant. Verba S. Doctoris sunt: Aduersarius noster ille præcipuè est, qui serit illecebras delictorum, vt habeat in supplicio participes, quos habuit in errore consortes: atque ideò socios quærit ad culpam, vt obnoxios prodat ad pœnam. Quæ ratio fundamentum suum habet in illa S. Thomæ, & multorum Theologorum doctrina, quòd damnati optent, vt omnes prorsus homines ad infernum damnentur, & ad æterna tormenta detrudantur. Probat hoc S. Thomas, quia cùm beati

Ambr. l. 7. in Luc. cap. 12.

Dæmon peccata procurat, vt multos suarum pœnarum socios habeat.

S. Thom. in supplemento Q. 98. ar. 4.

propter

propter perfectam charitatem, de bono omnium gaudeant; damnati verò propter summum odium de malo gaudeant, de bono autem doleant: hinc fit, vt sicut illi omnes vellent in cælo regnare, ita isti cupiunt omnes in inferno ardere. Confirmatur id exemplo diuitis in inferno sepulti, qui vt refert S. Euangelista Lucas, *petebat ab Abraham, vt mitteret sibi Lazarum, qui vel vnâ guttâ aquæ, linguam eius refrigeraret.* In qua petitione obseruauit D. Petrus Chrysologus, quòd non dixerit diues, Mitte me ad Lazarum, sed, Mitte Lazarum ad me: tum ait, idcircò eum ita dixisse, quòd maleuolentiâ & inuidiâ plenus, maluerit, vt Lazarus descendens flammis inferni inuolueretur, quàm vt ipse ad Lazarum ascendens suis tormentis leuaretur. Audi ipsum Chrysologum: Quod agit diues, non est nouelli doloris, sed liuoris antiqui: zelo magis incenditur, quàm gehennâ. Est graue illis malum, est illis incendium non ferendum, quos aliquando habuere contemptui, videre felices. Adhuc diuitem malitia non deserit, quem iam possidet pœna: qui non se ad lazarum duci postulat, sed ad se Lazarum vult deduci.] *Luca 16. ℣. 24.* *Chrysolog. ser. 122.*

Dicat aliquis. Si non Lazarum, certè fratres suos, diues ille, tormentorum suorum participes, & socios, habere noluit. Cùm enim intellexisset, quòd Abraham Lazarum ad se missurus non esset, iterum ab Abraham, sermone ad eum conuerso petebat: *Rogo ergo te Pater, vt mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Quomodo enim eos damnari voluit, qui vt peruenirent ad locum tormentorũ, quæ damnati patiuntur, noluit? Respondet S. Thomas voluisse diuitem, vt fratres sui à damnatione liberi non essent, dummodo nulli homines saluarentur: sed quia multos saluandos sciebat, potiùs fratres suos, quàm alios ex illorum numero esse cupiebat. *Luca ibid. ℣. 27. & 28.* *S. Thom. loco cit.*

Aliter

Lyran. ibid.

Aliter respondet Lyranus, qui ad hæc diuitis verba; *Rogo ergo te Pater &c.* sic inquit: Dixit hoc, nempè diues, non charitate ductus, cùm illam non haberet, sed timore seruili, ne in ipsorum consortio eius pœna augeretur: quia fuerat eis occasio peccandi, tum ratione diuitiarum, quas eis dimiserat ad abusum, tum exemplo malæ vitæ, quod eis dederat ad sequendum. Cuius responsi sensus est: Voluisset quidem diues, vt etiam fratres suos æterna pœna torqueret, ne sors ipsorum melior, quàm sua esset: sed quia sciebat fore, vt maiora tormenta pateretur, si quibus ipse peccandi occasionem dederat, damnarentur; mutauit sententiam, & vt per Lazarum moniti, alium meliorem viuendi modum inirent, curabat. Posset quoque cum Barradio responderi; damnatos, etsi omnes damnari velint, parentes tamen & fratres suos æternis supplicijs cruciari nolle, ideoque diuitem, vt fratres sui resipiscerent, curasse. Quodsi damnatis hominibus ea voluntas inest, vt nullius hominum æternos cruciatus euadat, quid mirum si eandem voluntatẽ habeant Dæmones, quos maleuolentiâ & inuidiâ nemo mortalium adæquare, nedum superare possit? Quid mirum, si capitales humani generis hostes, cum omni sedulitate peccata hominum propagant, quæ ad cælestem patriam aditum obstruunt, expeditam verò viam ad infernum sternunt?

Barrad. t. 3. l. 4. cap. 6.

CAPVT QVARTVM.

Peccatum commissum, aliorum peccatorum subsequentium

Radix Tertia.

MIrum, quanta cum facilitate peccatum commissum alia peccata generet. Imago quædam hoc repræsentans

tans est arbor illa Indica, quæ alias atque alias arbores sui similes, cum tanta fœcunditate producit, vt sensim in quandam siluam excrescere soleat. Meminit huius arboris Simon Maiolus, & ex Strabone hæc de illa refert: Est quædam arbor Indica in Musicano altissima, cuius rami excrescunt supra duodecim cubita, reliquum postea flectitur sponte deorsum, vsque in ipsum solum, terræque etiam sponte figitur, vbique etiam radices mittit, rursus nouam efficiens arborem: cuius etiam rursus rami eodem ordine reflectuntur, & radicibus emissis, noua quoque arbore exurgente, adeò in longum ea propagatio arborum augetur, vt longissima ornatissimaque porticus vmbratilis efficiatur. Confirmatur id, quod de peccato dictum est, illis Dei ad Samuelem verbis: *Iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die, quâ eduxi eos de Ægypto, vsq; ad diem hanc, sicut dereliquerunt me, & seruierunt dijs alienis, sic faciunt etiam tibi.* Cur enim Deus agens de nouo Iudæorum peccato, quod commiserant, cùm exemplo aliarum nationum Reges suos habentium irritati, vt etiam sibi Rex daretur, incredibili peruicaciâ instarent, & hoc modo non Samuelem tantùm, sed etiam ipsum Deum contemnerent: cur, inquam, de hoc peccato Iudæorum loquens Deus, simul antiqua eorum peccata memorat? Equidem ideò, vt intelligeret Samuel, quòd ex antiquis peruersi populi peccatis, tantus Dei & Samuelis contemptus, non potuerit non nasci.

Maiolus Colloq. 22. Strabo. lib. 15.

1. Reg. 8 ℣. 8.

Ad confirmandam rem eandem, pertinet & illud apud Hoseam: *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Vbi per sanguinem peccatum intelligi debet, vt docet paraphrastes Chaldæus, qui pro hoc, sanguis sanguinem tetigit, habet; Aggregant peccata peccatis. Pertinet etiam S. Hieronymus, cui phrasis eadem, Sanguinem à sanguine tangi, non aliud sonat, quàm pec-

Hosea. 4. ℣. 2.

Hieron. ibid.

Greg. hom. 11. in Ezech. & lib. 13. Moral. c. 10. & l. 7. epist. ex reg. epist. 125.

cata peccatis propagari, & nouis vetera cumulari. Item S. Gregorius qui scripsit: Sanguis sanguinem tangit, quando peccato peccatum additur, vt ante Dei oculos adiunctis iniquitatibus anima cruentetur.]

Accedunt alia scripturæ loca, quæ idem docent, vt cùm ait Dauid: *Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ.* Quãuis Bellarmin' cum Euthymio, Genebrardo, & alijs, verba hæc referat ad verũ sanguinem Vriæ, quem Dauid iniustè effuderat, & quem quasi armatũ militem contra se stantem, & vindictam expetentem videns, orabat vt ab eo liberaretur, & æternis pœnis propter illum non addiceretur. Cur autem dixerit, De sanguinibus, & non potiùs de sanguine, vt requirebat phrasis latina, hanc rationem ex S. Augustino, Bellarminus affert, quia voluit interpres seruare numerum, quem in textu Hebraico inuenit. In textu enim Hebraico ponitur numerus multitudinis, ad significandã magnam effusionem sanguinis: vt etiam alibi cùm in latina versione habeamus: *Vox sanguinis fratris tui, clamat ad me de terra*, in Hebræo est vox sanguinum, id est, vox multi sanguinis effusi. Sic Bellarminus: tametsi S. Augustinus ab eo commemoratus, per sanguinem quælibet peccata, per pluralem verò numerum Sanguines, multitudinem peccatorum à Dauide indicari sentiat.

Bellarminus. Euthymius. Genebrardus, ibid.

August. in Ps. 50.

Genes. 4. ℣. 10.

Augustinus. ibid.

Aliquot causæ, propter quas peccata vocantur sanguis.

Causas iam, propter quas in sacris literis peccata appellantur Sanguis, attendamus. Attigeram illas, cum explicarem illud apud Isaiam: *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt:* sed hîc etiam, vt silentio non prætereantur, res proposita postulat.

Isaiæ 1. ℣. 15.

August. in Ps. 50.

Prima sit S. Augustini, qui docet, ideò peccata appellari sanguinem, quòd generentur ex corruptione carnis & sanguinis, cuius meminit S. Paulus dicens:

1. Cor. 15. ℣. 50. *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt.* In quibus verbis idem S. Augustinus per carnem & sanguinem,

intelli-

intelligit fomitem concupiscentiæ, & naturæ humanæ per peccatum originale corruptionem, seu inordinatam concupiscentiam sensibilis appetitus: quæ quia rationi repugnans, & difficultatem in bono facit, & ad malum inclinat, ideò peccatum generat. Hinc illud eiusdem Apostoli: *Condelector legi Dei, secundùm interiorem hominem: video autem legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Vt autem clariùs appareat prædictæ appellationis conuenientia, sic eam ibidem S. Augustinus illustrat: Quemadmodum dicitur lingua, & illud frustum carnis & membrum, quod in ore mouetur, cùm verba distinguimus, & lingua, quod per linguam fit, sicut dicimus aliam linguam Græcam, aliam Latinam, non enim caro diuersa est sed sonus. Quomodo ergo dicitur lingua locutio, quæ fit per linguam: sic dicitur & sanguis iniquitas, quæ fit per sanguinem.] *Roman. 7. ℣. 23.* *Augusti. in Psal. 50.*

Secunda est Salmeronis affirmantis ideò peccatum sanguinis nomine censeri, quia omnis, qui illud perpetrat, dignus redditur, qui moriatur, illamque sententiam subeat, quam Dauid contra Amaleciten sanguine Saulis cruentum tulerat: *Sanguis tuus super caput tuum.* Loquitur autem is auctor, de morte tam animæ quàm corporis. Meritò enim ad vtramque damnatur homo, statim vt peccatum admittit; & quidem à proprio peccato damnatur. Quod pulchrè indicauit Deus illis verbis apud Ezechielem: *Terra plena est iudicio sanguinum.* Nota loquendi modum. Non dicit, plena est terra sanguinibus, seu peccatis, sed, iudicio sanguinum, id est damnatione sanguinum, vel sanguinibus damnatis, seu iudicatis: quia scilicet sanguines, hoc est, scelera enormia, per seipsa damnata sunt, & ipsamet contra se sententiam damnationis ferunt. Non minùs indicatum idem illis Christi verbis: *Qui autem non credit, iam* *Salmer. t. 1. proleg. 14. form. 29.* *2. Reg. 1. ℣. 16.* *Ezech. 7. ℣. 23.* *Ioan. 3. ℣. 18.*

Chrysost. hom. 27. in Ioan.

iudicatus est. Vbi quærit S. Chrysostomus: Quo pacto, qui non credit, iam iudicatus est, si nondum adest iudicij tempus? tum respondet: Quemadmodum homicida, etsi iudicis sententiâ sit indemnatus, damnatur tamen ipsius rei naturâ: ita & incredulus. Siquidem &

Genesos. 2. ℣. 17.

Adam, quâ die comedit à ligno, mortuus est. Ea enim lata est sententia; *Inquacunque die comederitis à ligno, morte moriemini.* Atqui viuebat; quomodo ergo mortuus est? Diuinâ sententiâ & rei naturâ: quippè qui seipsum supplicio facit obnoxium, sub supplicio est, si non re, tamen sententiâ.]

Quocirca congruè peccator, propter duplicem mortem, quam illi sanguis, scilicet peccatum admissum affert, notaretur illis duobus circulis, quibus S. Aygulphus Columbum notauerat. Quia enim is sancto viro illatæ mortis auctor primarius erat, ad designandum, quòd propterea & temporali, & æternæ pœnæ obnoxium se fecisset, acceptâ guttâ sanguinis sui per impietatem effusi, duos sanguineos circulos, alterum in pectore, alterum in dorso Columbi, vir Dei pinxerat. Congruè etiam idem peccator sanguinem peccatorum auidè appetens, & in eum se immergens, compararetur cum illo animalculo, de quo Plinius sic ait: Infixo semper sanguini capite viuens, atque ita intumescens vnum animalium, cui cibi non sit exitus, dehiscitque nimiâ satietate, alimento ipso moriens.

Nouar. lib. 3. Schediasm. c. 26. n. 135.

Plinius, lib. 11. cap. 34.

Tertia ratio est Riberæ, propterea peccatum vocari sanguinem, quòd summè sit execrabile & immundum. Esus quippè sanguinis apud Hebræos detestabilis erat. Ideoque Gentiles, vt possent cum Iudæis coalescere, iubebantur abstinere à suffocato & sanguine. Sanguis quoque menstruus pro immundissimo habebatur, vt apparet ex illis: *Facti sumus, vt immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersa iustitiæ nostræ.* Et idcir-

Ribera, in ℣. 2. cap. 4. Hosee.

Actor. 1. ℣. 29.

cò me-

cò meritò tam immundæ rei, id est, sanguinis nomine, appellatur peccatum, quod itidem immundissimum esse ostendit ille etiam locus, in quo cùm dixisset Deus: *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*, statim subiunxit: *Lauamini mundi estote.* Certè, quæ sunt immunda, lauari solent. Ne quis autem dubitaret per sanguinẽ ibi peccata intelligi, & eorum immunditia vt abluatur mandari, explicationis gratiâ addidit Deus: *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruersè, discite bene facere.* Atque hanc peccatorum immunditiam ipsi Gentiles cognouerant, & testibus Tertulliano, Arnobio, Plutarcho, Cicerone, alijsque, ad rectè riteque sacrificandum, & ad impetrandum ea, quæ quis Deos suos posceret, ablutione corporis vtebantur. Quos omnes, iure quispiam verbis S. Chrysostomi inclamasset: Purgatio ista inutilis est, & non expediens, cùm interior desit.]

Isaiæ. 1. ℣. 15.

Ibid. ℣. 16.

Tertul lib. de baptismo.

Arnob. lib. 2. cont. Gen.

Plutarch. in Mario.

Cic. lib. 1. de legib.

Chrysost hom. 36. ad popul. Antioch.

Ob has ergo rationes, frequenter in sacris literis peccatum vocatur sanguis: qui sanguis alium sanguinem tangit, cùm vt supra commemoratus S. Gregorius explicauit, peccatum peccato additur: hoc autem additur, cùm peccatum ex peccato nascitur.

Multa passim in operibus huius Sancti Doctoris pro veritate huius capitis stabilienda occurrunt: præsertim si inspiciantur, quæ in suo super Ezechielem commentario scripsit. Ibi enim ostendens, vnum idemque peccatum, crebrò & peccatum esse, & pœnam peccati, & simul causam seu radicem peccati, hæc tradit: Peccatum, quod per pœnitentiam citiùs non deletur, aut peccatum est, aut causa peccati, simul & pœna peccati. Omne enim, quod priùs committitur, peccatum est: sed si citiùs pœnitendo non tergitur, iusto iudicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem, etiam in culpam alteram permittit cadere: vt qui flendo, & corrigendo noluit mundare, quod fecit, peccatum incipiat

Greg. lib. in Ezech. hom. 11.

Vnum idemque peccatum crebrò & peccatum est, & pœna peccati, & causa peccati.

piat peccato cumulare. Peccatum ergo, quod pœnitentiæ lamento non diluitur, peccatum simul est, & causa peccati: quia ex illo oritur, vnde adhuc peccatoris animus altiùs obligetur. Peccatum verò, quod ex peccato sequitur, peccatum simul est, & pœna peccati: quia excrescente cæcitate, ex retributione prioris culpæ generatur: vt quasi iam quædam sint in peccatore supplicia, ipsa incrementa vitiorũ. Pergit S. Gregorius subdens:

Fit verò nonnumquam, vt vnum idemque peccatum, & peccatum sit, & pœna peccati, simul & causa peccati. Ponamus enim ante oculos quempiam rem proximi concupîsse, quam apertè non valuit, furto diripuit: sed in furti accusatione positus, se hanc diripuisse iureiurando negauit. Huic ergo concupiscentia peccatum fuit, & causa peccati: quia per eam peruenit ad rapinam. Ipsum verò furtum, quo rem concupitam, diripuit, & peccatum ei factum est, & pœna peccati: quia ex retributione, iam non repressæ concupiscentiæ, factum est, vt veniret ad furtum, & culpa cordis excresceret in opere, & vltione cæcitatis. Sed quia furtum periurio tegere curauit, ex peccato rursum peccatum genuit. Hæc ibi & plura alia S. Gregorius, quorum similia in moralibus libris præmiserat.

Idem. lib. 25. Moral. cap. 12.

Consona habet S. Augustinus ad illa verba Dauidis: *Funes extenderunt in laqueum*, vel vt ipse legit: Restes extenderunt muscipulas. Sic enim ait: Omnis peccator perseuerans in peccatis suis, addit peccata peccatis: & cùm deberet accusatione peccati sui corrigi, defensione duplicat, quod confessione posset auferre, & plerumque alijs peccatis vult munitus esse, propter illa, quæ commisit. Fecit adulterium, & ne occidatur parat homicidium: addit peccato peccatum. Rursum si ei contigerit facere homicidium, iam qui vnum crimen timebat, duo timet: & vtique cum videat se plura timere,

Augustin. in Ps. 139. ¥. 6.

quàm

quàm antea timebat, non cogitat minuere quod fecit, sed addere, quod nondum fecit. Quærit fortè & maleficium. Tria ecce habet. Inde iam quis cogitet? quis finiet restim peccatorum? Et optimè dicitur restis. Vt enim torqueatur restis, additur: & non adduntur recta fila, sed torta. Prauitas sibi connexa ducitur in longum, & non cogitat præcidere quòd malè texuit, sed addere, producere, in longum protendere: vt habeat in fine, vnde illi ligentur manus & pedes, & proijciatur in tenebras exteriores.] *Matth. 22. ℣. 13.*

Qualium verborum occasione, obserua hanc alteram in præsenti capite peccatorum non vulgarem appellationem, vt cùm paulò ante vocarentur sanguis, iam nunc ea S. Augustinus restes seu funes vocet. Vocat autem sacræ Scripturæ exemplo motus, in qua hoc nomen peccata interdum habent. Vt cum dicit Salomon: *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus Peccatorum suorum constringitur.* Propheta etiam Isaias: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.* Obserua quoque rationem huius appellationis, à S. Doctore datam, quæ in hoc consistit, quòd sicut funis dum paratur, continua canabis vel similis materiæ additione in longum protenditur: ita peccata mirificè excrescunt, cùm impij iniquæ cogitationi, iniquum consensum, consensui opus, operi consuetudinem, consuetudini necessitatem, necessitati excusationem, excusationi defensionem, defensioni impœnitentiam, impœnitentiæ desperationem addunt.

Peccata vocantur funes. *Prouerb. 5. ℣. 18* *Isaiæ 5. ℣. 18.*

Cur sic vocentur

Meretur laudem hæc ratio, sicut & illa S. Hieronymi, quòd peccata, cùm ad illa committenda quispiam accedit, videantur esse quædam tenuissima fila, quæ semper facilè sit rumpere: sed à commissis ad virtutē si remeare voluerit, perinde eum stringant, & apud se retineant, ac si crassi funes & rudentes essent. Quòd iuxta

Hebrai-

Hieron. in 5. Isaiæ. Hebraicum (loquitur ipse S. Hieronymus) & omnes alios interpretes, appellantur peccata funiculi vanitatis; hoc significat, quòd facientibus peccatum facilè texitur: & tàm inane & futile est, vt aranearum fila texuntur: sed cum inde voluerimus exire, solidissimis vinculis nectimur.] Attingit ibidem multa scitu digna, & quidem tam strictim & pressè, vt quot sunt eius verba, tot ferè sint arcana sacræ Scripturæ mysteria.

S. Thom. 1ª. 2dæ. Q. 25. art. 4.

Claudamus, quod hic tractatur, S. Thomæ doctrinâ. Contingit, inquit, vnum peccatum esse causam alterius, secundùm quatuor genera causarum. Primò quidem secundùm modum causæ efficientis, vel mouentis, & per se & per accidens. Per accidens quidem, sicut remouens prohibens, dicitur mouens per accidens. Cùm enim per vnum actum peccati homo amittit gratiam, vel charitatem, vel verecundiam, vel quodcunque aliud retrahens à peccato, incidit ex hoc in aliud peccatum, & sic primum peccatum, est causa secundi per accidens. Per se quidem, sicut cùm ex vno actu peccati disponitur homo ad hoc, quòd alium actum consimilem faciliùs committit: ex actibus enim causantur dispositiones, & habitus inclinantes ad similes actus. Secundùm verò genus causæ materialis, vnum peccatum est causa alterius, in quantum ei præparat materiam: sicut auaritia præparat materiam litigio, quod plerumque est de diuitijs congregatis. Secundùm verò genus causæ finalis, vnum peccatum est causa alterius, in quantùm propter finem vnius peccati, aliquis committit aliud peccatum: sicut cùm aliquis committit simoniam, propter finem ambitionis, vel fornicationem propter furtum. Et quia finis dat formam in moralibus, ex hoc etiam sequitur, quòd vnum peccatum sit formalis causa alterius. In actu enim fornicationis, quæ propter furtum committitur, est quidem fornicatio sicut

Secundùm quatuor genera causarum, vnum peccatum potest esse alterius causa.

mate-

materiale, furtum verò sicut formale. Hæc sanctus Thomas Theologicè & solidè.

CAPVT QVINTVM.

Proponuntur peccata Capitalia, quæ potissimùm aliorum peccatorum sunt radices: inchoatur autem à Superbia & Auaritia, veluti à quartâ & quintâ radice.

NOta sunt septem peccata mortalia, vulgò capitalia dicta: superbia, auaritia, luxuria, ira, inuidia, gula, acedia. Hæc Abbas Serapion apud Cassianum, comparat cum illis septem gentibus, ab ipso Deo enumeratis, nempè Hethæis, Gergezæis, Amorrhæis, Chananæis, Phærezæis, Heuæis, Iebusæis. Quæ gentes, quia filijs Israël, ne terram sibi promissam quietè possiderent, impedimento erant, & multos ex illis, vt idola colerent, suo exemplo corrumpebant: mandauerat Deus populo suo, vt eas ad internecionem deleret, & ab omni cum ipsis commercio prorsùs abstineret. Vt autem Deus omnes suos, ad conterendas dictas gentes, tantò animosiores redderet, addebat: Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ, qui remanserint, erunt vobis quasi claui in oculis, & lanceæ in lateribus. *Cassian. collat. 5. cap. 16.* *Deuter. 7. ℣. 1.* Septem peccata, mortalia, septem gentes delendæ. *Ibidem. ℣. 3.* *Numer. 33. ℣. 55.*

Nimirum recensita peccata septem, cælestium sedium aditu homines arcent, & longè à possessione illius terræ retrahunt, cuius desiderio Rex Dauid flagrans dicebat: *Credo videre bona Domini, in terra viuentium.* Eadem peccata deprauant plurimos, vt quem honorem vero Deo exhibere deberent, hunc illi in variorum vitiorum idola deriuent. Omnibus ergo modis dimican- *Psal. 26. ℣. 13.*

dum cum illis, ne sint nobis quasi clauí in oculis, & lanceæ in lateribus, sicut fuerunt commemorato Regi, cuius vox erat: *Lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* item: *Curuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Quod posterius explicans Theodoretus, censet hoc esse à Dauide dictum: Causa meorum malorum peccatum fuit: quod veluti vuam dulciter produxi; pungor autem semper ab ipsa. Spinam autem peccatum nominauit, tanquam inutile germen, & ad pungendum notum.]

Psalm. 37. ℣. 11. & 31. ℣. 4.

Theodoretus.

Septem peccata mortalia septem phialæ iræ Dei plenæ.

Apocal. 16. ℣. 1.

Solent à nonullis eadem peccata septem, conferri cum illis septem phialis iræ Dei, quas Ioannes Euangelista vidit. Et meritò quidem. Nam vt alia peccata iram diuinã non commouerent, hæc certè commouent, & summam bonitatem Deum, ad graues pœnas infligendas, illa exacerbatione, de qua tot sunt in sacra Scriptura querelæ, pertrahunt. Meminit huius exacerbationis Saluianus, vir beatissimus à S. Hilario dictus, & de eius effectu sic inquit: Exacerbamus Deum impuritatibus nostris, & ad puniendos nos, trahimus inuitum. Cùmque eius naturæ sit mens Dei atque maiestas, vt nulla iracundiæ passione moueatur, tanta tamen in nobis peccatorum exacerbatio est, vt per nos cogatur irasci. Vim, vt ita dixerim, facimus pietati eius, ac manus quodammodo afferimus misericordiæ Dei. Cùmque eius benignitatis sit, vt velit nobis iugiter parcere, cogitur malis nostris scelera, quæ admittimus, vindicare. Addit: Ad expugnandam misericordiam Dei, omni peccatorum immanium scelere, quasi omni telorum genere pugnamus: & iniuriosum nobis Deum existimamus, cùm ipsi iniuriosissimi Deo simus.]

Saluian. lib. 4. de guber. Dei. Hilar. hom. fun. de S. Honorato.

Qualis additio docet, septem peccata mortalia, quæ iræ Dei sunt phialæ, esse etiam vasa iniquitatis bellantia: prout S. Patriarcha Iacob duos suos filios Simeonem

Geneseos, 49. ℣. 5.

nem & Leui, propter iniquam Sichimitarum cædem vocauerat. Verè enim hæc peccata contra Deum bellant, & quidem omni aliorum etiam peccatorum immanium, quæ ex ipsis generantur, scelere, veluti omni bellorum genere bellant. Proinde omnes, horum peccatorum administri, redduntur similes illis antiquis pugilibus, qui ex omni certaminis genere, quo pollebant, hoc cognomen traxerant, vt pancratiastæ dicerentur. Quis verò horum vasorum iniquitatis bellantium, & omnium, qui ea administrant, finis? S. Paulus docet, cùm ea vasa iræ, apta in interitum appellat. *Roman. 9. ℣. 22.*

Eadem peccata septem, sunt septem capita draconis.

Multi eadem peccata mortalia septem, aiunt esse significata per septem capita draconis magni & rufi, à S Ioanne Euangelista visi, & suis coloribus depicti. Qui draco non alius fuit, quàm Diabolus. Nàm vt annotauit S. Augustinus, amat Diabolus speciem & formam Draconis seu serpentis, eamque non rarò induit; memor, quàm sibi omnia ex voto succesſerint, cùm ea indutus in paradisum irrrepsisset. Congruè verò in cælo se visendum exhibuit: cùm ille sit, qui de cælo deturbatus in barathrum decidit: & qui etiamnum Ecclesiam Christi, cælestem vitam agentem, suamque conuersationem in cælis habentem, persequi non cessat. Congruè quoque apparuit Magnus. Nam magna quædam animantia sunt dracones, & maiora non sunt super terram, inquit idem S. Augustinus, & quidem ad ea, quæ de eorum vasta mole, non ignobiles auctores prodiderunt, verissimè. *Apocal. 12. ℣. 3. August. 11. de Genes. ad liter. c. 28. Idem super. Ps. 148*

Quantus enim fuit ille Indicus draco, qui totum Alexandri Magni exercitum mirificè terruit, & perturbauit: cùm solum caput ex antro ostendisset, & oculos suos, qui ad magni clypei Macedonici magnitudinem accedebant, in eum conuertisset? Septuaginta cubita longus esse existimabatur, vt Ælianus scripsit. *Ælian. l. 15. hist. animal. cap. 21.*

Plin. l. 6. c. 24. Quantus fuit ille, de quo hæc tradit Plinius: Nota est in Punicis bellis ad flumen Bagradam à Regulo Imperatore, balistis tormentisque, vt oppidum aliquod, expugnata serpens, centum viginti pedum longitudinis? Omissis alijs quantus fuit & ille in Polonia draco, quem, vt antiqua fert fama, in antro rupis, cui arx Cracouiensis superposita est, cubile habentem, & viciniam omnem, deuorandis pecudibus, iumentis & hominibus, vastantem, Cracus Princeps interemit: cùm, velut alter Daniel, corpora illi obijcienda, pice, sulphure, & fomite succenso infarciri iussisset, & ignis conceptus viscera belluæ torruisset?

Cromer. de rebus Polon. l. 2. in Craco.

Daniel. 14. ℣. 26.

Præterea conuenienter ille idem draco, à sancto Euangelista visus apparuit Rufus, vtpote homicida, iuxta illud Christi de eo pronuntiatum: *Ille homicida erat ab initio.* Quod S. Augustinus explicans ait: Homicida dicitur Diabolus, non gladio armatus, non ferro accinctus; ad nominem, scilicet Adamum, venit: verbum malum seminauit & occidit. Tum salubrem & non omittendam doctrinam attexit: Noli putare te non esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades. Si fratri tuo mala persuades, occidis. Et vt scias, quia occidis, audi Psalmum: *Filij hominum dentes eorum arma & sagitta, & lingua eorum machæra acuta.* Plures dictæ conuenientiæ causas, apud eos, qui suos commentarios in Apocalypsim scripserunt, legere licet.] Præcipua est, quæ ait, diabolum illum apparuisse rufo seu sanguineo colore tinctum, quòd per varios tyrannos, tot martyrũ sanguinem fuderit, fundetq; per Antichristum, quem omni sæuitiâ contra Christi cultores armabit. Quis verò color tam sanguinario Dæmoni conuenientior rufo? Ipse Deus, cùm Zachariæ Prophetæ sanguinarium Chaldæorum imperium ostendere statuisset, quadrigam equos rufos habentem, oculis eius spectandam proposuit.

Ioan. 8. ℣. 44.

August. tract. 2. in Ioan.

Psalm. 56. ℣. 5.

Zachar. 6. ℣. 2.

Illius

Illius ergo magni & rufi draconis capita septem, septem peccata mortalia valde aptè denotârunt: præsertim si fuerunt eorum animaliũ capita, quæ Cornelius à Lapide fuisse suspicatur: nempè Leonis, tigridis, vrsi, viperæ, lupi, serpentis, & asini. Ne autem temerè suspicari videatur, subiungit: Dæmon enim dum tentat, nunc caput & vultum superbi leonis nobis ostendit, nunc serpentis inuidi, nunc viperæ iratæ, nunc asini ignaui, nunc lupi gulosi, nunc tigridis auari, nunc vrsi luxurioſi. Quia verò sæpè Dæmon, quod intendit, obtinet, ac de hominibus per hæc omnia peccata victis, victor triumphum agit: ideò quòd vnumquodque caput eius suum diadema, & coronam habuerit, S. Ioannes vidit. *Cornel. l. cit. Apocal.*

Breuitati vt consulam, remitto lectorem ad Franciscum Riberam, qui eadem septem peccata mortalia docet indicata esse per septem flumina Æthiopiæ, quorum origo Nilus. Et nisi hæc flumina magno æstu siccentur, vel obice aliquo impediantur, necesse est, vt in mare Ægyptiacum procurrant, id est, nisi commemorata peccata singulari gratiâ Dei arescant, & pœnitentiâ atque amore diuino retardentur, in magnum mare malorum, in vitam scilicet perditissimam, & in virtutis contemptum atque odium, tandem etiam in infernum defluent. *Ribera. in 3. Sophon. num. 47.*

Septem peccata mortalia, septem flumina Æthiopiæ.

Jam quòd ex his peccatis septem, tanquam ex radicibus variorum peccatorum soboles pullulent, citra difficultatem patebit, si singula percurramus.

Ordiamur ergo à Superbia, ex qua non aliqnot tantùm, sed omnia peccata generari, asserunt illa verba Ecclesiastici: *Initium omnis peccati est superbia.* & illa Tobiæ ad filium: *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Asserunt & voces sanctorum nouæ *Eccles. 10. ℣. 15.* *Tobia. 4. ℣. 14.*

Superbia peccatorum origo.

Greg. lib. 13. Moral. cap. 31. legis Patrum, qualis est hæc S. Gregorij: Radix cuncti mali superbia est. Item hæc S. Ambrosij: Maximum peccatum in homine superbia est: quandoquidem inde manauit nostri origo delicti. Hoc telo nos primùm Diabolus vulnerauit & perculit. Nam nisi homo serpentis persuasione deceptus, sicut Deus esse voluisset, nunquam feralis culpæ ad nos transisset hæreditas.]

Ambr. in Psal. 118. octon. 7.

Superbi sibi ipsis placent.

Si quis autem velit rem istam particulatim proponi, dico ex superbia oriri, vt eâ inflatus, sibi ipsi mirificè placeat. Vnde superbi, inquit S. Augustinus, secundùm scripturas sanctas, alio nomine appellantur, sibi placentes. Est mentio horum sibi placentium in epistola S. Petri, & Græco vocabulo vocantur ibi αὐθάδεις, quod S. Hieronymus vertit, procaces: Vatablus & Adamus præfractos, suique capitis & sensus: Caietanus contumaces: Clarius impudentes: Gagneius pertinaces: Catharinus proteruos. Quæ omnes versiones à Lorino conglobatæ ostendunt, tot vitijs laborare superbos, vt pauca sint vitiosa nomina, quæ illis non quadrent. Nonnulli illud αὐθάδεις vertunt, Sibi canentes. Canunt enim superbi, sed non canticum victoriæ, quòd submerso canitur Pharaone: non adhortationis, quod terram promissionis concinunt intraturi: non lætitiæ, quod de susceptione filij cantat Anna: non fortitudinis, quod Dauid cantat de manu Saulis ereptus. Ignorant illi hæc quatuor cantica, quæ adductis verbis S. Bernardus tradit, & fidelium esse propria affirmat. Canunt ergo illi, dum glorioſa quæque de seipsis narrant, & res à se gestas intoleranter iactant. Silentium talibus cantoribus indicit S. Chrysostomus: Caueamus inquit de nobismetipsis dicere glorioſa: hoc enim nos, & hominibus inuisos & Deo abominabiles facit. Et idcircò quantò maiora fecerimus bona, tantò de nobis minora dicamus. Egimus quoque de hac voce Græca αὐθάδεις in Tertia Parte operis cap. 10.

August. lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 13.

2. Petr. 2. ℣. 10.

Lorin. ibid.

Exod. 15. num. 13.

1. Regum. 2.

Psal. 69.

Bernard. in lib. Sentent

Chrysost. hom. 3. in Matth.

Ex

Ex eadem superbia nascitur hominum contemptus, vt obseruauit etiam Philo Iudæus: Quilibet, inquit, arrogans insanâ opinione inflatus, non tàm virum aut heroem, quàm Genium quendam se esse existimat. Arbitratur se esse omnium ditissimum, nobilissimum, pulcherrimum, fortissimum, prudentissimum, iustissimum: alios verò habet pro pauperibus, obscuris, contemptis, iniustis, nihilique homuncionibus. Sed longè melius id obseruauit S. Gregorius, qui scripsit: Omnes iniqui, per tumorem cordis elati, cunctos quos cernunt, superbiæ fastu despiciunt: & si quando exteriùs venerantur, intus tamen in secreto cordis, vbi apud se sua æstimatione magni sunt, cunctorum sibi vitam meritumque postponunt, eosque infra se esse respiciunt: quia per elatam cogitationem cordis, in cuiusdam se altitudinis arce posuerunt.]

Philo. l. de charit. Superbi alios contemnunt.

Greg. 34. Moral. cap. 15.

Quamobrem ab hoc deformi vitio, iustè quemlibet S. Bernardus deterret: Grande ait, malum est, horrendumque periculum, si vel modicè. plus vero te extollas: si vel vni videlicet in tua cogitatione te præferas, quem forte parem tibi veritas iudicat, aut etiam superiorem. & paulò post: Noli te homo comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni.]

Bernard. serm. 37. in Cant.

Præter hanc iniuriam, qualis est proximi contemptus, prodeunt ex superbia multiplices aliæ iniuriæ, quas superbus proximo & ipsi Deo infert. Septuaginta interpretes sæpè hoc docent, qui pro illo Isaiæ: *Væ coronæ superbiæ*, habent: *Væ coronæ iniuriæ*. Similiter cùm apud Oseam legamus: *Respondebit arrogantia Israël in facie eius*, nominati Septuaginta pro Arrogantia, posuerunt Iniuria. Adhæc cùm in prophetia Ezechielis iuxta versionem vulgatam scriptum extet: *Germinauit superbia*, Septuaginta verterunt, Surrexit iniuria. Quia verò Græcum nomen ὕβρις, quo dicto interpretes, in locis indicatis

Ex superbia multiplices iniuriæ prodeunt, erga Deum & proximum.

Isaiæ 29. ℣. 1.

Osee. 5. ℣. 5.

Ezech. 7. ℣. 11.

tis vtuntur, non qualemcunque iniuriã, sed contumeliosam iniuriam, aut iniuriã simul & contumeliã significat, vt annotârunt, qui Græcarũ vocum proprietates rimari solent: ideò in posteriori loco scripturæ ex Ezechiele adducto, apud nonnullos pro iniuria, inuenitur vocabulum contumelia. Quibus videtur fauisse S. Ambrosius ad illud S. Iacobi Apostoli: *Deus superbis resistit*, addens: Tanquam suæ contumeliæ propulsator, veluti quoddam suscepit aduersus superbiam speciale certamen: tanquam dicat: Meus iste aduersarius est, qui me lacessit: mihi debetur ista congressio.]

Ambros. serm. 7. in Psalmum. 118.

Ex superbia potissimum nascuntur hæreses.

Ex eadem superbia oriuntur pestiferæ hæreses, grauissimo antiquorum Patrum iudicio, præsertim sancti Gregorij: Hæreticorum locus ipsa superbia est: quia nisi priùs in corde intumescerent, ad prauæ assertionis certamina non conuenirent.] S. etiam Hieronymi: Quis Hæreticorum non in superbiam extollitur? S. Augustini: Diuersis locis sunt diuersæ, sed vna mater superbia omnes hæreses genuit: sicut vna mater nostra Catholica, omnes Christianos fideles toto orbe diuisos. Tertulliani: Omnes Hæretici tument, omnes scientiam pollicentur. Quibus omnibus adiungo magnum illud nostræ gentis Polonæ decus, & ornamentum Stanislaum Hosium S. Rom. Ecclesiæ Cardinalem, & Concilij Tridentini præsidem, qui cùm Andream Dudicium Episcopum Tinniensem, à Clero Hungarico ad commemoratum Concilium legatum missum, perorantem audiuisset, & mores eius diligenter introspexisset, prædicere de illo non dubitauit, quòd orthodoxam fidem deserturus, & abominandos Hæreticorum errores amplexurus esset. Prædictionem comprobauit euentus. Cùm verò vir perspicacissimus rogaretur, quomodo id præsensisset? Ex sola hominis pertinacis superbia, id se collegisse aiebat.

Greg. lib. 3. Moral. cap. 17.

Hieron. in 1. Abdiæ.

August. 1. de past. cap. 8.

Tertull. de præscr.

Multa

Multa hîc prætereo, vt dem locum S. Thomæ Aquinati, vitia, quæ ex ſuperbia prodire S. Bernardus latiùs docet, cum hac breuitate proponenti; nempè curioſitatem, mentis leuitatem, ineptam lætitiam, iactantiam, ſingularitatem, arrogantiam, præſumptionem, peccatorum defenſionem, ſimulatam confeſſionem, rebellionem, libertatem, poſtremò peccandi conſuetudinem. Occurrunt, & alia vitia apud S. Gregorium, Chryſoſtomum, Caſſianum, & alios. Mirum, vt non ſit, quòd tam ſedulò à peccato ſuperbiæ auocet nos omnes S. Bernardus, & imitandum nobis Dauidem proponat, qui congreſſurus cum Goliath, quinque lapides de torrente ſumpſerat, & vno illorum, tantæ molis Philiſthæum occiderat. Nam ſimiliter vt ſuperbiam proſternamus, quinquepartitum verbum ex Scriptura Sacra ſumendum eſſe, vir ſanctus ait, ſcilicet comminationis, promiſſionis, dilectionis, imitationis, & orationis: certamque nobis victoriam pollicetur, ſi his verbis rectè vtamur, conſiderando quàm grauia ſupplicia omnibus ſuperbis minetur Deus; quanta verò bona humilibus promittat: deinde quantùm nos dilexerit idem Deus, cui dilectioni minimè reſpondere, ſed enormi ſuperbiæ peccato eum offendere, iniquiſſimum ſit: tum quàm multa ſanctorum hominum, quos virtus humilitatis toti mundo conſpicuos fecit, exempla nobis ſuppetant: poſtremò quàm frequenter nobis commendetur oratio, cuius præſidio tecti, omnes ſuperbos animi motus reprimere poſſimus.

Thom. 2. 2æ. q. 162. art. 4.
Bernar. tractat de grad. Hum.
Varia peccata, quæ ſuperbia parit.
Greg. l. 31. Mor. c. 17.
Chryſoſt. ad pop. 43.
Caſſian l. 12. de ſp. ſuperb. cap. 29.
Bern. Dom. 4. poſt Pontec.
1. Reg. 1. cap. 17.

Secundũ Capitale peccatũ eſt AVARITIA, de qua S. Pauli pronuntiatum habemus: *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* Nam per cupiditatem auaritia intelligi debet, vt apparet ex Tertulliano & S. Ambroſio, qui hunc locum S. Pauli legendo, pro cupiditate auaritiam poſuerunt. Apparet etiam ex Græca voce φιλαργυρία, quæ amo-

Auaritia peccatorum radix.
1. Tim. 6. ℣. 16.
Tertul. l. de cib. Iud.
Ambroſ. in com.

amorem argenti vel pecuniæ significat. Cùm autem auaritia latiùs pateat, quàm vt solùm argentum vel pecuniam solam appetat, rectè ampliori nomine, quale est cupiditas, ab Apostolo vocatur. Annotauit hoc S. Augustinus: Auaritia inquit, quæ Græcè φιλαργυρία dicitur, non in solo argento, vel in nummis, vnde magis nomen duxisse resonat: (argento enim nummi vel mixto argento frequentiùs apud veteres fiebant) sed in omnibus rebus, quæ immoderatè cupiuntur, intelligenda est, vbicunque omnino plus vult quisque, quàm sat est.]

S. Thom. 2. 2dæ. Q. 84. art 1.

Explicat verò S. Thomas, quomodo auaritia seu nimia diuitiarum cupiditas, sit omnium malorum radix. Cupiditas inquit, secundùm quod est speciale peccatum, dicitur radix omnium peccatorum, ad similitudinem radicis arborum, quæ alimentum præstat toti arbori. Videmus enim, quòd per diuitias homo acquirit facultatẽ perpetrandi quodcunque peccatum, & adimplendi desiderium cuiuscunque peccati: eò quòd ad habenda quæcunque temporalia bona, potest homo per pecuniam iuuari, secundùm quod dicitur: Pecuniæ obediunt omnia.

Eccles. 10. ℣. 19.

Cornelius. in cit. S. Pauli verba.

Separatim & illud explicant interpretes; *Omnium malorum*, dicitque Cornelius, non ita hoc accipi debere, quasi omnia peccata, quæ in indiuiduo vnquã facta sunt ab vllo homine vel Angelo, manauerint ex auaritia: hoc enim falsum est: sed ita, quòd omnis generis mala & peccata ex auaritia nasci soleant, & sæpè nata sint. Vox enim, omnium, distributiuè capitur, non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum, vt Logici communiter dicere solent. Eodem sensu dici potest superbia esse radix omnium malorum: quia omnis generis mala ex superbia prodire solent.

Magna autem sunt mala, quæ ibidem S. Paulus

ex

ex auaritia generari asserit. Tale est, quòd homo auarus *Timoth. 6. ℣. 9.*
vltrò in laqueum Diaboli incidat, instar illius furis, qui, vt
Herodotus refert, artificiosè irrepens in fornicem, in *Herodotus. lib. 2.*
quo thesaurus Rampsiniti Regis Ægypti asseruabatur,
tam diu ex eo exportabat aurum, donec furto depre-
hensō, in laqueum artificiosè in fornice strnctum, ca-
deret, & ab illo constrictus mortis pœnam subiret. Quis
sit diaboli laqueus S. Paulus explicat, cùm istis verbis:
Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueū,
mox subdidit: *Et in desideria multa inutilia & nociua, quæ*
mergunt homines in interitum & perditionem. Hæc enim ita
pleriqúe intelligunt, vt sint veluti quædam priorum ver- Laqueus Diaboli quis?
borum expolitio & explicatio. Laqueus ergo diaboli
est augendarum opum continuum desiderium, quo cor Cor auari est sicut Ætna-
auari, veluti Ætna, sine interruptione ardet.

Est & illud magnum malum, ibidem & ab eodem
Apostolo commemoratum, *quòd quidam appetentes pecu-*
niam, errauerint à fide. Ponderans illud S. Ambrosius ait: *Ambrs. serm. 13.*
Vides, quia qui pecuniā appetit, fidem perdit; qui aurū
redigit, gratiā prodigit. Auaritia enim cæcitas est, errorē
religionis inducit. Cæca inquam, est auaritia, sed diuer-
sis fraudum oculata ingenijs: non videt, quæ diuinita-
tis sunt, sed cogitat, quæ cupiditatis sunt.]

Magnum quoq; illud apud Ecclesiasticum: Nihil *Eccles. 10. ℣. 10.*
est iniquius, quàm amare pecuniam: hic enim & animam Auarus animam
suam venalem habet. In prima classe hominum reprobo- suā venalem habet
rum, qui potissimùm animę suę sunt iniurij, diligens libri *Holcot. in Sapient.*
Sapientiæ interpres Robertus Holcot, quemlibet talem *lect. 52.*
venditorem reponit. Quadripartitò enim homines Animas suas quidā
peruersos distribuens ait: Aliqui animas suas vendunt: vendunt, quidam
aliqui perdunt: aliqui oppignerant: aliqui pro nihilo perdunt, quidam
dant. Vendunt, secundùm doctrinam eius, auari, qui se oppignerant, quidam pro nihilo
Diabolo tradunt, dummodò pecuniam ab eo habeant. dant.
Perdunt ignaui, qui immemores illius moniti: *Custodi* *Deut. 4. ℣. 9.*

igitur temetipsum, & animam tuam solicitè, inertissimo otio torpent, & diem ex die trahentes, præ nimia animi re-
Prou. 4. ℣. 19. missione, nesciunt, vt dixit Salomon, vbi corruant, & miserè pereant. Oppignerant voluptarij, qui variarum voluptatum illecebris deliniti, totos se illis deuouent: cùm hoc tamen proposito, vt ingraueſcente ætate, se ab illis retrahant, & ad frugem bonam recipiant. Fit autem communiter, vt tales prauo habitu, & multitudine admissorum delictorum victi, priùs ex hac vita in luctuoso statu decedant, quàm proposito satisfaciant. Insuper gratis, & pro nihilo dant animam Diabolo iracundi & inuidi. Quid enim emolumenti ex sua ira & inuidia referunt isti, præter solos cruciatus interiores, quibus excarnificati, superstites adhuc tormenta inferni delibant?

Auarus ipsum Deũ venalem habet.

Cuius verò magnitudinis est scelus, quòd auarus, non solùm animam suam, sed ipsum etiam Deum venalem habeat? Vendere illum non horruit Iudas, de quo
Leo serm. 9. de passione. S. Leo scripsit: Dum sitit lucrum, peruenit ad laqueum. & tàm stultè impius fuit, vt triginta argenteis, & Dominum venderet, & Magistrum.] Emphaticè triginta argenteos nominat, quod tam vile pretium, visum est
Cantic. 5. à ℣. 11. auaro Iudæ sufficiens, vt venderet omni pretio, pretiosorem Christum: *Cuius caput aurum optimum: manus aureæ hyacinthis plenæ: venter eburneus distinctus sapphiris:*
Rupert. lib. 10. in Matth. cap. 26. *crura columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Hæc ex Canticis Rupertus affert, omni pretio maiorem esse Christum declarans, simulque auaritiam Iudæ
Esther. 3. à ℣. 9. exaggerat, qui lucri appetentior fuerit, quàm Rex Assuerus, qui populum Iudæorum noluit vendere pro decem millibus talentorum, quæ gazæ eius arcarijs appendere voluit crudelis Aman. Exaggerat & inde, quòd Iudas
Psalmo. 108. maluerit triginta argenteos habere, quàm triginta maledictiones effugere, quas Dauid Rex in suo Psalmo enumerat, & iuxta sensum literalem in Iudam spiritu prophetico

phetico præuisum congerit, vt patet ex antiquis interpretibus Chrysostomo, Hieronymo, Augustino, Theodoreto: imò & ex verbis S. Petri, quæ in Actis Apostolicis legimus. *Actor. 1. ℣. 20.*

Non paruum etiam est, quòd Ecclesiastico teste, auari in vita sua proijciant intima sua. Intima enim misericordiæ viscera proijciunt, & re ipsa, si non verbo de suis opibus dicunt, quod S. Chrysostomus scripsit: Rodat tinea, & non comedat pauper: absumat vermis, & nudus non induatur: omnia tempore consumantur, & Christus non pascatur, licet esuriat.] Non inscitè tales omnes dicerentur esse similes Gryphibus, incredibili immanitate auibus, qui, vt Solinus narrat, in Asiatica Scythia aureos montes obsident: cùmque auro minimè indigeant, diligenter tamen illud effodiunt, & effossum ab hominibus nullo modo colligi permittunt. Quocirca S. Hieronymus veluti quodam emblemate auaros depingens ait: Sunt montes aurei, quos adire propter gryphes, & dracones, & immensorum corporum mongstra, hominibus impossibile est: vt ostendatur nobis, quales custodes habeat auaritia.] *Eccles. 10. ℣. 10.* Auari quomodo in vita sua proijciant intima sua. *Chrysost. hom. 37. ad pop. Ant.* *Solinus. cap. 25. Polyhist.* *Hieron. epist. 4. ad Rusticum Mon.*

O quàm graue erit omnibus auaris, coram iudice Christo comparere? Dionysius Senior Siciliæ tyrannus, cùm filium suum inuisens, poculorum aureorum, & argenteorum magnam vim in domo eius conspexisset, ira, Plutarcho teste, contra eum accensus, exclamauit: Non es ad Dominatum natus, qui tàm multis, quæ à me accepisti, poculis, amicum tibi nullum comparâsti. Quantò iustiùs cõtra immisericordes auaros exardescet Christus, & de hoc crimine acriter eos arguet, quòd congregandis seruandisque diuitijs impensè intenti, nihil vnquam largiri egentibus voluerint: cùm tamen vox eius, in auribus eorum tàm sæpè sonaret: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Grauissimum erit auaris coram iudice Christo cõparere. *Plutarch. in Apophteg.* *Luca. 16. ℣. 9.*

Haiton. in hist. Tartar.

Quid memorem pœnam, quæ ijsdem irrogabitur? Cùm Haolon frater Mangon, ciuitate Baldach expugnatâ, Regi Califo ad se adducto mandasset, vt omnes thesauros suos in medium proferret, isque paruisset, videns tantam auri copiam, continere se non potuit, quin magnâ cum indignatione in hæc verba proruperit? Cur has tantas opes non impendisti, vt milites exercitumq; conscriberes, & sic manus meas effugeres? Cùm igitur aurum tantopere amaueris, non alius tibi cib⁹ præter aurum apponetur. Tum mox illum in custodias, & in munitissimam turrim includi, fameque confici iussit. Simillimum est, quod à Martino Cromero sic scriptum extat: Anno 1463. Cafâ à Turcis captâ, Theodosiâ priùs dictâ, qui etiam, cùm in ipso huius anni initio, Lesbon insulam, & mox Bosnam regnum florens opibus, & munitionibus, in suam potestatem redegissent, regemque Bosnensium Stephanum, cum primaria arce Iaice in deditionem acceptum, contra datam fidem ad palum alligassent, sagittis eum confixerunt: exprobrante ipso Mahomete Imperatore ignauiam, quòd cùm argento & auro, cuius immensa vis in thesauris eius reperta erat, perire, quàm ad defendendum sese & suos, eo vti maluerit.

Rex Califus, propter suam auaritiã, fame perit.

Cromer. lib. 25.

Propter eandem auaritiam Rex Bosnensium Stephanus, sagittis configitur.

Ambobus quos nominaui, scilicet Haoloni, & Mahometi, intolerabile fuit videre reges, qui malebant conseruare aurum, quàm vitam: ideoque dignos, in quos crudeliter sæuirent, iudicârunt. Quomodo verò Deus toleraret immisericordes homines, quibus nihil est curæ, vt exercitum bonorum operum, & castra in promptu habeant, quando extremam perniciem molitur Diabolus, zelusque Dei creaturam ad vltionem inimicorum armat? Sunt enim castra pauperum, inquit Chrysostomus, est & bellum, in quo pro te pauperes pugnant. Cùm enim stipendium acceperint, orantes tibi

Chrysost. hom. 33. ad pop.

Pauperum castra & bellum.

Deum

Deum faciunt propitium: propitium autem facientes, Dæmonum insidias repellunt: neque sinunt vehementer infestum esse malignum, neque semper irruere, sed ipsius soluunt potentiam. Hos itaque conspiciens milites, quotidie pro te cum Diabolo precibus, & orationibus pugnantes, à temetipso pulchrum istud tributum exige, illorum alimenta. Sic sanctus Chrysostomus quemlibet diuitem, & simul auarũ commonefacit.

Multa alia & noxia quidem auaritiæ germina, qui nosse desiderat, legat Beatum Theodoretum, breuissimè ea recensentem. Illorum enim S. Pauli verborum supra adductorum; Radix omnium malorum est auaritia, rationem reddens, ait: Cædes enim & præstigiæ, furta & rapinæ, fraudes & mendacia, iurisiurandi violatio, & alia genera iniquitatis ex hac radice pullulant.] Legat & S. Gregorium, qui scripsit: De auaritiâ prodit. fraus, fallacia, periuria, inquietudo, violentiæ, & contra misericordiam obdurationes cordis oriuntur. Denique S. Thomam, qui hæc omnia à S. Gregorio benè esse tradita demonstrat.

Theodor. in c. 6. 1. ad Timoth.

Greg. lib. 31. Moral. cap. 31.

D. Thom. 2. 2. Q. 118. art. 8.

CAPVT SEXTVM.

Luxuria & Ira, variorum peccatorum Sexta & septima Radix.

LVXVRIAM, vt & priora duo peccata Capitalia in præcedenti capite proposita, aliorum plurimorum peccatorum radicem esse, dubium non est. Illa enim omnes bonas operationes animæ, & virtutes tollit, iuxta illam luxuriæ definitionem, quam Iob tradidit: *Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans geni-*

Iob. 31. ℣. 12.

Greg. lib. 21. Mor. cap. 9. *genimina.* Cuiusmodi definitionem explanans S. Gregorius ait: Quia nimirum reatus, huius facinoris, non solùm vsq; ad inquinationem maculat, sed vsq; ad perditionem vorat. Et quia quamlibet alia fuerint bona opera, si luxuriæ scelus non abluitur, immensitate huius criminis obruuntur, securus adiunxit: Et omnia eradicans genimina. Genimina quippè sunt animæ operationes bonæ. Cui tamen, si peruerso ordine caro dominatur, igne luxuxiæ omnia benè prolata concremantur.] Accommodatè verò ad plura scripturæ loca, luxuria vocata est à Iobo ignis. Nam, vt annotauit Ioannes Pineda, non rarò in diuinis literis luxuria cum igne confertur, & etiam ignis appellatur, vt cùm Ecclesiasticus inquit: *Propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia, quasi ignis exardescit,* & iterum: *Homo nequam in ore carnis suæ non desinet, donec incendat ignem.* Inde nati aquod Pòetas loquendi modi: Cæco igne carpi: erubescendis ignibus aduri: à Cupidine faces subijci, & alij similes. Inde etiam spurcissimus spiritus, qui variarum obscœnitatum genera procurat, nomen suum accepit. Quia enim ipse mensurat concupiscentiæ ignem, & quantùm ex illo, in vniuscuiusque corde accendi debeat, diligenter considerat, vocatus est in libro Tobiæ Asmodæus, id est, ignem mensurans. Nam hoc sonat vox ista ex Hebræo deducta, vt annotauit Nicolaus Serarius, &citatus Pineda.

Luxuria est ignis.

Pineda in cit. Iob.

Eccles. cap. 9. ℣. 9.

Idem cap. 23. ℣. 23.

Tobia. 3. ℣. 8.

Serar. ibidem.

Cùm igitur luxuria omnes virtutes exterminet, necesse est vt dicatur, quòd eadem cuiuslibet generis peccata inducat. Pulsis enim virtutibus, quid aliud restat nisi vt vitia in locum ipsarum intrent? Pertinet ad hoc, quod scriptum est in Genesi: Et egressus Iacob foras, scilicet ex conclaui patris sui Isaac, venit Esau. Expendens id Philo Hebræus, & per Iacob prudentiam siue virtutes, per Esau autem insipientiam siue vitia intelli-

Luxuria virtutes expellit, peccata verò introducit.

Genes. 27. ℣. 30.

Philo. lib. de Temulentia.

intelligens ait: Quantisper inambulat in anima prudentia, exterminatur amicus insipientiæ: sed quàm primùm illa migrat, alter reuertitur, gaudens ob discessum inimicæ infensissimæ, propter quam exulauerat.]

Magis directè, quid mali ex Luxuria oriatur, tradidit Ecclesiasticus illis verbis: *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes.* En luxuria apostasiam, & defectionem à Deo generat, vt cultum illi soli debitum, idolis luxuriosus exhibeat. Euidens talis apostasiæ exemplum in Salomone extat, de quo scriptum: *Deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos: nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris eius: sed colebat Salomon Astarthen Deam Sidoniorum, & Moloch idolum Ammonitarum, &c.* Æquale exemplũ, factus est populus Israëliticus, cùm per solitudinem in Palæstinam tenderet. Nam vt inquit Scriptura sacra: *Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, & adorauerunt Deos earum.* Eccles. 19. ℣. 2. 3. Reg. 11. à ℣. 4. Numer. 25. ℣. 2.

Memorat quoque S. Paulus in sua priori epistola ad Corinthios, duo præcipuè mala, quæ Luxuria parit. Primum est, quòd per eam luxuriosus, membra Christi, faciat meretricis membra. Alterum, quòd idem, Spiritus sancti templum, quale est hominis corpus, violet. De priori malo, sic ait S. Chrysostomus, luxuriosos alloquens: Nolite facere membra meretricis. Non enim corpori vestro contumeliam facitis, quia non vestrum corpus est, sed Christi. Hæc autem dixit (scilicet S. Paulus) simul & benignitatem ostendens, quòd eius sit corpus nostrum, & à maligna potestate nos eripiens. Nam si est alienum corpus, non est, inquit, in vestra potestate, alienum corpus probro, & iniuriâ afficere, & maximè cùm sit Domini. De posteriori autem: Neque Spiritus sancti templum maculandum est. Si quis enim priuatam domum ingressus, cùm eam sit ludificatus, & probro, & 1. Cor. 6. ℣. 15. ℣. 19. Chrysost. in 1. ad Cor. hom. 18.

iniuriâ affecerit, extremum luet supplicium: qui Regis templum, latronis fecerit receptaculum, cogita quot mala sit passurus?] Satis Ponderosa sunt & illa, circa posterius malum, S. Augustini verba: Ipsum corpus tuum (ô homo) templum in te est Spiritus sancti. Iam vide, quid facias de templo Dei. Si eligeres in Ecclesia facere adulterium intra istos parietes, quid te esset sceleratius? Modo autem tu ipse es templum Dei. Templum intras, templum exis, templum in domo tua manes, templum surgis. Vide quid agas, vide ne offendas templi habitatorem, ne deserat te, & in ruinam vertaris.]

August. ser. 16. de Verbis Domini.

Reperiuntur & alia vitia, quæ ritè ad luxuriam originem suam reuocant: qualia sunt illa, de quibus S. Gregorius ait: De luxuria cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis seculi, horror autem vel desperatio futuri generantur.] Illa item apud S. Bernardum, qui inter alios tartarei Pharaonis currus, populum Dei ex Ægypto mundi fugientem insequentes, currum quoque luxuriæ sic descripsit: Voluitur ingluuie ventris, libidine coitus, mollitie vestium, otij soporisque resolutione. Trahitur equis duobus, prosperitate vitæ, & rerum abundantiâ: & qui his præsident, sunt duo, ignauiæ torpor, & infida securitas.]

Greg. lib. 31. Moral. cap. 21.

Bern. serm. 33. in Cant.

Currus Luxuriæ describitur.

Quidni eodem spectent, quæ Abulensis recenset, mysticè explicans lectum Og Regis Basan de Gigantum stirpe, de quo lecto ita locutus est Moyses: *Monstratur lectus eius ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, nouem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis, ad mensuram cubiti virilis manus.* Hunc ergo lectum mysticè, vt dixi, explicans Abulensis, hæc affert: Og Hebraicè coaceruans vel coaceruatio dicitur, vt patet in libro Hebraicarum interpretationum, & significat peccatorem,

Deuteron. 3. ℣. 11.

Abulensis. ib. Q. 3.

torem, qui peccatis peccata superaddit, donec veniat in profundum malorum. Peccatum enim, cui per pœnitentiam remedium non adhibetur, mox sibi nequiores socios aggregat, vt fiat habitatio omnis spiritus immundi. Et patet hoc maximè in vitio carnis, in quo manifestè gradus longitudinis, & latitudinis assignare possumus. In quo cùm aliquis nouem cubitos longitudinis, & quatuor latitudinis habuerit, tantò in lecto requiescit immobilis, Pergit. Lectus eiusdem luxuriæ

Primus cubitus vel gradus est, in cibis exquisitis vel electuarijs. Secundus in dulcibus, & continuis poculis: quia venter mero æstuans, facilè despumat in libidinem, vt ait Beatus Hieronymus. Tertius in spectaculis, iuxta illud: *Intrauit mors per fenestras nostras, & oculus meus furatus est animam meam.* Quartus in dissolutis cantilenis. Ideò Philosophus prohibet iuuenes à melodijs teneris, & amatorijs, quæ sunt secundùm Phrygiam melodiam. Quintus est prouocatiuus aromatibus. Multùm enim quidam odores, venerei appetitus excitatiui sunt. Sextus est in donis gratis receptis. Septimus in mollibus lectis. Octauus in temporali sociorum lætitia. Nonus in turpi vsu fœminarum. Quidsi brutorum? quidsi masculorum? Infandissima sunt, omnem gradum, & limitem naturæ excedentia: ideò magis congruit de talibus subticere. Habet quoque iste impudicorum lectus, quatuor latitudinis cubitos. Primus est turpis cogitatio. Secundus perficiendi consensus, vel deliberatio. Tertius consequens operatio. Quartus diuturni actus assuefactio. Et si tanta istius consuetudinis firmitas fiat, tunc lectus fit ferreus, vt à nullo bono superetur. Hæc omnia Abulensis. *Ierem. 9. ℣. 21. Thren. 3. ℣. 51.*

Jram quoque, quæ est quartum Capitale peccatũ, in gignendis peccatis satis feracem esse, demonstrat Ecclesiastes iracundum alloquens: *Si spiritus potestatem habentis* *Eccles. cap. 10. ℣. 4.*

tis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris: quia curatio faciet cessare peccata maxima. Quæ verba dicta esse de Ira, meritò docet S. Ambrosius. Ira enim est spiritus potestatem habentis, id est, spiritus potentissimus, & vehementissimus, de qua, idem S. Doctor alio loco scripsit: Ira grauis passio est: plerumque accendit inuitum, & volentem mitiùs vindicare, in furorem rapit, vt perimat, quem putauerit cöercendum. Commotus, gladio sæpè transuerberat innocentem. Amicos & fratres, per indignationem plurimi peremerunt. Videtur S. Doctor, alludere ad Alexandrum Magnum, qui cùm tot regiones & gentes gloriosè subegisset, à sua ira ignominiosè victus, aliquot amicis, quos multùm amabat, vitam ademit. Nam, vt refert Valerius, Lysimachum leoni obiecit, Clytum hasta traiecit, Calisthenem mori iussit.

Ambr. lib. 1. offic. cap. 21.

Idem in Psal. 36.

Ira, grauis passio est.

Valer. lib. 9. cap. 3.

Hic ergo spiritus tam potens, si ascenderit super te, ô homo, inquit Ecclesiastes, id est, si ira præuenerit, & præoccupauerit mentem tuam, *locum tuum ne dimiseris.* Quis locus sit, quem omnino retinere oporteat, exponit S. Ambrosius: Locus inquit, tuus patientia est: locus tuus sapientia est: locus tuus ratio est: locus tuus sedatio indignationis est.] Quid verò commodi, talis loci conseruatio afferat, expressum est illis vltimis verbis: Quia curatio faciet cessare peccata maxima. Certè si comprimendo iram, & impetus eius frangendo, euitantur peccata maxima, clarum est, iram suâpte naturâ maximorum peccatorum originem esse, si licenter quoquouersum erumpere permittatur.

Locus superius indicato.

Sed clariùs pro hac materia est illud S. Pauli: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia, tollatur à vobis, cum omni malitia.* Vbi S. Thomas per amaritudinem intelligit acceptæ ab aliquo iniuriæ memoriam, quæ cordi omnem dulcedinem adimit, & magna illud amaritudine implet. Fugiendam talem memoriam osten-

Ephes. 4. v. 31.

S. Thom. ibid.

ostendit S. Chrysostomus exemplo Ioseph. Perpendens enim illa eius verba: *Furtim sublatus sum de terra Hebraeorum, & hic innocens in lacum missus sum,* ita illum alloquitur: Taces meretricem adulteram? taces fratres fratricidas? inuidiam, necem, distractionem, furorem, insidias dominæ, & luxuriam, laqueos, machinas, tantam calumniam, iniquum iudicium, corruptum iudicem, iniustam sententiam, celas vindictam non habentem rationem? Vt quid ista taces & celas? Tum respondentem sibi Iosephum vir sanctus inducit: Non noui retinere, id est, in memoria conseruare malitiam: quia hæc mihi coronæ sunt potiùs, & brauia, & plurimæ mercedis occasio. Rursus ad auditorem talis colloquij, sermonem conuertit: Vides animam multâ Philosophiâ eruditam? Vides mentem immunem ab iracundia, & ipsis periculis altiorem? Vides eum condolentem magis inimicis, quàm memorem malignitatis?]

Genesees. 40. ℣. 15. Chrysost. epist. 7. ad Olympiam.

Amaritudo seu acceptæ iniuriæ memoria exemplo Ioseph obliterãda.

Ere sua omnes iracundi facerent, si, quem videndum, oris aurei Doctor proponit, viderent, exemploq; eius, omnem iniuriam ex memoria sua eraderent. Non fierent Camelo similes, cum quo idem Doctor iniuriarum memores comparat: quòd hoc animal firmâ memoriâ teneat, si quid ab aliquo patiatur. Non haberent etiam cor saucium, quale antiqui suo Marti omnium bellorum, vt credebant, præsidi adscribendo, cor eius gladio trasfixum pingebant. Præterea nollent à Seneca notari, & stolidi ingenij hominibus, imò & brutis animalibus annumerari, de quibus hic auctor: Friuolis, inquit, turbamur & inanibus. Taurum color rubicundus excitat: ad vmbram aspis exurgit: vrsos leonesque mappa proritat. Omnia, quæ naturâ fera sunt, consternantur ad vana. Idem inquietis, & stolidis ingenijs euenit: rerum suspicione feriuntur adeò quidem, vt interdum iniurias vocent modica beneficia.]

Idem hom. 23. ad pop.

Seneca lib. 3. de ira cap. 30.

Adhæc faciliùs animum attenderent ad ea, quæ prudentes quique tantoperè commendârunt. Quid enim aliud commendatum ab Isidoro Peluſiota, cuius dictum fuit: Inimicitiam in aquâ ſcribi oportere, vt quàm primùm obliteretur; amicitiam autem in æs incidi, vt firma conſeruetur. Quid aliud commendatum à Pythagora illo ſymbolo: Ollæ veſtigium in cinere, turbato? Id ſanè iuxta explicationem Plutarchi, vt iræ nullum veſtigium relinquatur, ſed ſimul atque deferbuerit atque reſederit animi tumor, omnis præteritorum malorum memoria obliuione perpetuâ obruatur.

Iſid. epiſt. 211.

Plutarch. lib. 4. QQ. Conuiual. q. 7.

Denique idem commendatum fuit lege illa, à Valerio Maximo, & alijs celebratiſſimâ, quàm Græci ἀμνησίαν, ſiue, legem obliuionis vocabant, & quam Trasybulus, vbi Athenienſium ciuitatem triginta tyrannorum ſæuitiâ liberaſſet, prudenter tulerat: & rurſus, cùm præteritarum iniuriarum memoriam nonnulli renouarent, eoſque, cum quibus reditum fuit in gratiam, turbarent, confirmârat. Imitari hanc Athenienſium legem Rex Polonorum Caſimirus primus, non neglexit, poſt illud turbulentiſſimum tempus, quo tota Polonia veluti lymphatico furore exagitata fuit: vt nec miniſtris ſacrorum, ac ne ipſis quidem templis, aris, atque ſacris parceretur. Ita enim de commemorato Rege Martinus Cromerus ſcripſit: Caſimirus primus Mieciſlai filius in paternum regnum anno ſeptimo, poſtquam exceſſerat, reſtitutus, vetus Athenienſium exemplum imitatus, præteritorum obliuionem edicit.

Valer. lib. 5. c. 1.

Cromer. lib. 4.

Apetitus vindictæ prohibetur.

Poſt amaritudinem poſuit S. Paulus, Iram, per quam S. Thomas intelligit appetitum vindictæ, qualem idem Apoſtolus omnibus prohibet, Romanos alloquens: *Non voſmetipſos defendentes cariſſimi.* Quod non ſic accipi debet, quaſi Apoſtolus prohibeat, ne vllus ſeipſum defendat & tutetur. Hoc enim cuique licet, ſi

Roman. 12. 9, 19.

modis

modis conuenientibus fiat: præsertim cum omni animantium generi hoc natura dederit, vt se vitamque suam tueantur, & omnia, quæ illis sunt exitiosa, à se propulsent. Imò ipsemet S. Paulus, cùm Iudæos contra se conspirâsse, & vt necem sibi afferrent, coniurâsse cognouisset; vitæ suæ statim consulere cœpit, & quod Actus Apostolorum testantur, per tribunum eiusque milites, omnia aduersariorum consilia dissipauit. *Actor. 23. à 17.*

Igitur participium illud Defendentes, idem significat, quod vindicantes, seu vindictam sumentes, vel iniurias iniurijs vlciscentes: vt solum hoc S. Paulus prohibeat, ne quis priuatâ potestate iniuriam sibi illatam vlciscatur. Et verò legitimam esse hanc verborum sancti Pauli explicationem, patet ex Græco ἐκδικοῦντες, vbi latina versio habet, Defendentes. Quocirca & Tertullianus legit: Non vosmetipsos vlciscentes. Patet quoque ex illo loquendi modo, quo vsus est Nabuchodonosor, cùm irâ plenus iuraret, quòd se defensurus esset de illis omnibus regionibus, à quibus sui nuncij cum magna ignominia repulsi erant. Quam enim aliam defensionem, si non vltionem, & vindictam intellexit? Patet postremò ex illo S. Cypriani dicto: Nec defendi ante Dominum serui, irreligiosa festinatione properemus.] Nam & is Defendi, pro Vindicari scripsit. *Iudith. 1. ℣. 12.* *Cyprian. lib. 1. de Patient.*

Habuit autem S. Paulus, cur appetitum vindictæ tàm seriò prohiberet. Sciuit enim per homines ab hoc appetitu liberos, sacrificium Deo afferri gratissimũ, quale obtulerat Dauid, cùm inimicissimum sibi Saulem in spelunca reperisset, manus tamen suas ab omni vindicta continuisset. Tunc enim Dauidem, & victimam, & Sacerdotem, & altare factum fuisse, docet S. Chrysostomus: Sacrificium, inquit, obtulit, idque admirabile quoddam dictuque incredibile: non quidem mactato vitulo, aut occiso agno, sed quòd his erat multò *1. Reg. 24. à ℣. 4.* *Chrysost. hom. 2. de Dauid & Saule.*

hono-

honorificentius, manſuetndinem, & humanitatem offerens Deo, atque irrationabili animi motu mactato, occiſaque iracundiâ, videlicet mortificatis membris, quæ ſunt ſuper terram. Et factus eſt idem, tum victima, tum ſacrificus, tum altare. Siquidem & ratio, quæ offerebat manſuetudinem atque humanitatem, & ipſa humanitas ac manſuetudo, deniqúe cor, in quo hæc offerebantur, omnia erant eiuſdem hominis. Multa ibidem planè aurea, & ad commendandam Dauidis manſuetudinem ſpectantia, habet idem aureus Doctor. Lege, ſi vis aurum colligere.

Præterea conſiderabat S. Paulus, ad Deum pertinere vindictam ſumere, iuxta illa eiuſdem Dei verba: *Deut. 32, ℣. 35.* *Mea eſt vltio, & ego retribuam.* Vnde prudenter Tertullianus infert, multùm de honore, qui Deo debetur, detrahi, ſi quis iniuriam ſibi illatam vlciſci, ad ſe pertinere iudicet; cùm id, ſui eſſe officij, Deus affirmet. Verba *Tertull. l. de patient.* Tertulliani pono: Quem honorem litabimus Domino Deo, ſi nobis arbitrium defenſionis arrogauerimus? Ecce rurſus Defenſionis nomen pro Vltione poſitum. Vt non immeritò dici poſſit, vſitatum olim fuiſſe, vt Defenſio pro Vltione, & Defendere pro Vlciſci poneretur.]

Indignatio in quo conſiſtat.

Jræ ſubiunxit S. Paulus Indignationem, quam S. Thomas in eo conſiſtere ait, cùm quis eum, à quo iniuriam accepit, indignum eſſe reputat, cui aliquando culpa admiſſa condonetur. Execratur talem indignationem Eccleſiaſticus, dicitque: *Eccleſ. 28. ℣. 3. & 4.* *Homo homini reſeruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur?* Quaſi dicat: Omnem admirationem excedit, quòd homo homini ignoſcere renuat; cùm eum eiuſdem naturæ, conditionis, & infirmitatis eſſe ſciat: ſuæ item miſericordiæ viſcera alteri claudat; cum tamen vt ſibi diuinæ pateant, velit: tum quòd vnam leuemque iniuriam

iniuriam proximo condonare indignum esse censeat; cùm ipse interim tot & tantis peccatis adstrictus, veniam eorum à Deo petat. Ad insectandam indignationem eandem, facit illud S. Gregorij: Cùm alienos excessus aspicimus, nostra, quibus in alijs excessimus, delicta cogitemus. Considerata quippè infirmitas propria, mala nobis excusat aliena. Patienter namque illatam iniuriam tolerat, qui piè meminit, quòd fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari. Et quasi aquâ ignis extinguitur, cùm surgente furore animi, sua cuique ad mentem culpa reuocatur: quia erubescit sibi peccata non parcere, qui vel Deo vel proximo sæpè recolit parcenda peccâsse.] *Greg. lib. 5. Mor. cap. 32.*

Clamor iracundorum qualis.

Jndignationem in textu verborum S. Pauli sequitur Clamor, qui hominum iracundorum solet esse tam asper, tam absonus, tam confusus, tam quouis honesto indignus, vt propter illum dictos homines, Sancti Patres Basilius & Gregorius, similes esse arreptitijs seu energumenis affirment. Solet etiam idem clamor esse tam intensus, vt iratum hominem faucibus præclusis enecet. Exemplo est L. Sylla, de quo Valerius Maximus scripsit: Multo alieno sanguine profuso, ad vltimum & suum erogauit Sylla. Puteolis enim ardens indignatione, animi contentione nimiâ, atque immoderatæ vocis impetu conuulso pectore, spiritum cruore ac minis mistum euomuit. Ita Valerius. Proinde salubre consilium dat iracundo Plutarchus, vt iniuriâ aliquâ lacessitus ad quietem, & ad silentium confugiat. Nihil, inquit, magis præstat, quàm refugere, abdereque se, & decurrere tanquam in portum, in quietem: sicut si ingruentem morbum comitialem sentiamus, ne concidamus, vel potiùs incurramus. Præluxit hac virtute silentij mansuetissimus Dauid, quo tempore illi impius Semei maledixit maledictione pessimâ. Ita illam maledictionem ipse *Basil. hom. 10. de ira. Greg. lib. cit. cap. 31. Valerius. lib. 9. Plutarch. de non irascendo. 2. Reg. 16. ℣. 7. & 8.*

3. Reg. 2. ℣. 8. Dauid moriturus vocauit, & filio Salomoni, ne impunitam relinqueret, commendauit.

Annotauit verò in quæstionibus Hebraicis sanctus Hieronymus, vbi in vulgata versione legimus, Pessima, in Hebræo esse NIMRETSETH, quæ vox, sicut quinque literis constat, ita quinque probrosa, & contumeliosa verba, quæ ab eisdem literis, singula à singulis, in lingua Hebræa inchoantur, continet. Et primum quidem significat adulterum, secundum Moabitam, tertium impium vel homicidam, quartum leprosum, quintum abominabilem. Vna ergo voce quinque vulnera Regi suo Dauidi, nequam seruus inflixit, exprobrans illi, quòd esset & adulter, commisso cum Bethsabee adulterio: & Moabita, id est, quòd genus duceret ex Ruth, scilicet aliena atque ignobili Moabitarum stirpe; & impius siue homicida, qui innocentem Vriam occidisset: & leprosus, scilicet instar leprosi ex vrbe Ieruſalem eiectus: & denique abominabilis, quem omnes horrerent. Quid ad hæc Dauid Rex? Num illicò, vt ei, aliquis suorum militum, caput gladio demeteret, exclamauit? Prorsus ne vnum quidem verbum contra illum passus est, ex ore suo excidere. Et idcircò nobilissimus sui ipsius victor cecinit: *Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.*

Quinque vulnera Dauidi Regi, vno verbo serui irâ perciti inflicta.

Psalm. 37. ℣. 14.

Iracundus ad blasphemiam facilis.

Postremò posuit S. Paulus blasphemiam. Nam & istud horrendũ peccatum audet committere ira, cui, vt loco superiùs indicato scripsit Plutarchus, intactum & sanctum est nihil: verùm exardescimus in amicos, iuxta atque in hostes, in liberos, in parentes, & in Deos hercle. Christianus si fuisset, Deum non Deos nominasset, quem blasphemus quilibet *laborare facit in sermonibus suis.* Phrasis est hæc Malachiæ Prophetæ, quâ ille exprimit, quàm vehementer displiceat Deo, quisquis irâ percitus, ore blasphemo aliquid Deo, vel Sanctis indignum, effutit.

Plutarch. lib. cit.

Malach. 2. ℣. 17.

Tam

Tam copiosam verborum S. Pauli, explanationem sequuntur aliquot Sanctorum Patrum testimonia, quæ similiter Iram multorum peccatorum esse originem tradunt. nempè S. Hieronymi: Ianua vitiorum omnium Iracundia est: quâ clausâ, virtutibus intrinsecus dabitur quies; apertâ verò, ad omne facinus armabitur animus. S. Basilij: Effrenes linguæ, ora incusto-dita, incontinentes manus, contumeliæ, probra, accusationes, verbera, & alia eiusmodi, quæcunque quis enumerare poterit, iræ sunt ac furoris fructus. Ob iram ensis acuitur, mors homini ex homine venit, fratres inter se ignorantur, parentes & liberi naturæ obliuiscuntur. S. Gregorij: De ira rixæ, tumor mentis, contumeliæ, &c. Appono S. Thomam Aquinatem, qui proposito articulo: Vtrum Ira debeat poni inter vitia Capitalia? respondet: Vitium Capitale dicitur, ex quo multa vitia oriuntur. Habet autem hoc ira, quòd ex ea multa vitia oriri possunt. Et hoc S. Doctor in illo, & subsequenti articulo declarat.

Hieron. in 29. c. Prouerb.

Basil. hom. 10. de Ira.

Greg. lib. 31. Mor. cap. 31.

S. Thom. 2. 2. Q. 158. art. 6. & 7

CAPVT SEPTIMVM.

Fnuidia, Gula, Acedia, peccatorum variorum
Octaua, nona, & decima Radix.

QVintum Capitale peccatum est INVIDIA, de qua nonnihil supra egimus, vbi de Dæmonis inuidia fuit nobis sermo. Sed vniuersaliùs de eadem hic etiam agendo, dicimus breuiter cum S. Augustino, illam esse odium felicitatis alienæ. Ex ea, id inprimis malum nascitur, quòd tantâ maleuolentiâ inficiat inuidum, vt eâ cæcatus bona proximi opera non videat,

August. lib 11. de Gen. ad lit. cap. 14.

Inuidia est odium felicitatis alienæ.

sed si quæ in illo, reperiantur mala, hæc sola cernat: & tamẽ potiùs bona, cùm sint lux quædam, quàm mala, quæ sunt tenebræ, deberent cerni. Quamobrem S. Bonauentura scripsit: Similis est inuidus noctuæ, & igni Græco. Noctua enim de nocte videt, & de die excæcatur, & ignis Græcus in aqua fortiùs inardescit siue succenditur. Sic inuidia in aquis gratiarum fortiùs exardescit, vnde deberet extingui? & ad modum noctuæ à luce excæcatur, vnde deberet illuminari.]

Bonau. t. 6. in Inuidus similis noctuæ, & igni Græco.

Quis sit Græcus ignis, à S. Bonauentura commemoratus, docet Simon Maiolus, asserens sic dictum, quòd Græco inuentore prodierit in orbem: Eundem ignem vocari etiam maritimum, quòd maritimo bello conficiendo sit aptissimus; siquidem in medio etiam mari positas naues exurit: insuper vim eius tantam esse, vt nullo liquore, præterquam aceto, extingui possit.

Maiolus colloq. 22.

Non contentus inuidus, quòd vitia proximi cernat, etiam vt ad notitiam omnium emanent, diligenter curat. Hoc esse inuidi ingenium, aduertit S. Basilius: Sicut Vultures, inquit, per multa quidem prata, multa etiam amœna, & moderata loca circumuolantes, ad tabida & fæculenta loca feruntur: muscæ quoque, salubre si quid offendant, prætereunt, ad vlcera verò properant: sic & inuidi, vitæ splendorem ac rerum bene gestarum magnitudinem, minimè quidem respiciunt; manca verò & fragilia, & si quid erratum, (vt quandoque rebus accidit humanis) tantùm obseruant: hæc diuulgant, & per hæc tantùm homines cognosci volunt.]

Vitia proximum diuulgat. *Basil hom. 11. de Inuidia.*

Quod si interdum bona etiam proximi inuidus cernat, ex his ille incredibilem cordis dolorem capit. Hunc intelligebat S. Augustinus scribens: Sicut ærugo ferrum, ita inuidia illam ipsam animam in qua est, interimit, & consumit. Et sicut aiunt viperas, dilacerato & diruto illo ipso materno vtero, in quo conceptæ sunt, nasci:

Bonis proximi inuidus torquetur. *August. serm. 83. de temp.*

nasci: ita & inuidiæ natura, illam ipsam animam, à qua concepta est, & consumit & perdit.] Quodque magis mirum, tam efficax est iste dolor, vt ipsis Dæmonibus per aërem vagantibus, maiorem cruciatum, quàm ignis afferat. Inuidia magis quàm ignis.

Attingo hîc communem doctrinam Sanctorum Patrum, & Theologorum cum S. Thoma affirmantium, plurimos Dæmones à Deo relictos esse in aëre, & primùm post extremum iudicij diem, in inferno claudendos, omnesque simul cruciandos. Hac doctrinâ præmissâ, solent huius diuini facti aliquot causæ dari. Ad nostrum institutum propriè pertinet ista, quam tradit sanctus Bernardus: In pœnam suam, locum in aëre isto medium inter cælum & terram, de cælo cadens sortitus est Diabolus, vt videat & inuideat, ipsaque Inuidiâ torqueatur, scripturâ dicente: *Peccator videbit & irascetur: dentibus suis fremet & tabescet.* Quid autem Diabolo in aëre vaganti, videndum & inuidendum semper occurrat, ibidem vir sanctus exponit. Videt enim supra se Angelos & homines, quos montes vocat, in cælo diuinâ claritate fulgentes, diuinis laudibus resultantes, sublimes in gloria, abundantes in gratia. Videt infra se in terra homines, fide solidos, spe excelsos, charitate speciosos, cultos virtutibus, bonorum operum fructibus refertos, de rore cæli, tanquam de saltu sponsi quotidianam capientes benedictionem. Cum quanto verò dolore, & rancore hostis humani generis hæc videt, quis sermone explicet? Næilli tolerabilior est ignis, quem secum vbique circumfert, quàm talium rerum visio, quæ cor eius fodicant, lacerant, cruentant. *S. Thom. 1. P. Q. 64. art. 4.* *Bern. serm. 54. super Cant.* *Psalm. 111. ℣. 10.*

Vlteriùs adhuc in sua malitia progreditur inuidus, quando commemorato dolore stimulatus, bona facta proximi deformat, deprauat, mutilat. Quemadmodum maligni pictores, inquit S. Basilius, qui homi- *Basil. hom. 11. de Inuidia.*

nis imaginem, vel ex contorta nare, vel tubere, aut membri cuiuspiam mutilatione, naturâ seu casu insita corpori, effingunt notabilemque reddunt. Iniquum profectò, id quod laudabile potissimùm fuerit, alicuius peioris gratiâ manifesti occultare, & virtutem ex vicinitate vitij, (si quod fortè reperitur) calumniari. Fortitudinem, audaciam potiùs appellant inuidi: modestum verò, sine sensu hominem: iustum, immitem, & nimiùm seuerum: prudentem, astutum: magnificum, vastum: liberalem, vt prodigum taxant: domesticè frugalem, auarum dicunt. Deniq; omnis virtutis species in vicina vitiorum nomina conuertunt, nusquam calumniâ rebus laudatis deficiente. Hæc S. Basilius.

Cyprian. de zelo & liuore.

Tanta sunt ista mala, sicut & alia, quæ ex inuidia prodeunt, vt S. Cyprianus ausus sit scribere: Nihil magis Christiano cauendum, nihil cautiùs prouidendum, quàm ne quis inuidiâ, & liuore capiatur.] Rationem paulò post subiunxit: Radix est omnium malorum Inuidia, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum.] Quod sic generatim scriptum, explicatiùs mox lateque prosequitur. Similia, inuenies apud S. Chrysostomum, cuius vox est: Graue quid inuidia, graue & simulatione plenum. Hoc mundum innumeris repleuit malis. Ex hoc morbo litibus plena sunt tribunalia: ex hoc liuores & pecuniarum amor, ambitio & inanis gloria. Hinc vrbes obsidentur, & mare piratas habet, hinc per orbem cædes, &c.]

Radix malorum Inuidia.

Chrysost. hom. 44. ad pop. de liuore & inuidia.

Gula quid?

Sextum Capitale peccatum est GVLA, siue cibi ac potus appetitus inordinatus, vt communiter hoc genus peccati describi solet. Neque enim cibus, inquit sanctus Gregorius, sed appetitus in vitio est. Vnde & lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, & abiectiores non sine reatu conscientiæ degustamus. Esau quippè primatum per lenticulam perdidit: Et Elias in eremo virtu-

Greg. lib. 30. Mor. cap. 27.

virtutem ſpiritus carnes edendo ſeruauit. Vnde & antiquus hoſtis, quia non cibum, ſed cibi concupiſcentiam eſſe cauſam damnationis intelligit, & primum ſibi hominem non carne, ſed pomo ſubdidit, & ſecundum, non carne, ſed pane tentauit. Ita S. Gregorius. Porrò ex deſcriptione tradita, patet gulam aduerſari inprimis virtuti abſtinentiæ, quâ homo ſecundùm doctrinam S. Thomæ à cibis abſtinet, prout oportet pro congruentia hominum, cum quibus viuit, & perſonæ ſuæ, & pro valetudinis ſuæ neceſſitate. Deinde virtuti Sobrietatis, quæ vt idem docet, ſpecialiter attenditur circa potum, non quemcunque ſed eum, qui ſuâ fumoſitate natus eſt caput turbare, ſicut vinum, & omne quod inebriare poteſt. *Gen 3. ¶. 5. & 6. Matth. 4. ¶. 3. S. Thom 2. 2. q. 146. art. 1. l. 149. art. 1.*

Quæ verò potiſſimùm peccata ex gula naſcantur, Scriptura ſacra hoc etiam modo oſtendit, quòd toties, vbi ſine vlla peccatorum enumeratione, aliquos homines fuiſſe valdè improbos indicat, ibi eos gulæ fuiſſe deditos dicit. Tales cùm eſſent illi, quos tempore Noé, ruptis cæli cataractis aquæ diluuij obruerant, de illis æterna veritas Chriſtus dixit, quòd fuerint *comedentes & bibentes.* Alio etiam in loco de Sodomitis, qui tempore Lot, nullum non audebant ſcelus, ab eodem Chriſto dictum: *Edebant & bibebant.* Sed & de illo diuite, quem in inferno ſepultum eſſe ex Euangelio S. Lucæ ſcimus, hoc ſolum à Chriſto dictum, quòd *indueretur purpurâ & byſſo, & epularetur quotidie ſplendidè.* *Matth. 24. ¶ 38. Lucæ. 17. ¶. 28. Lucæ. 16. ¶ 19.*

Nec eſt iſte qualiſcunq;, de alicui⁹ multis & grauib⁹ peccatis, conijciendi modus, ſi hoc duntaxat affirmetur de illo, quòd totus cibo potuique vacet. Detur enim aliqua terra, quæ nonniſi ſpinas abundè proferre, apta ſit nata, nonne prudenti coniectura aſſequi licebit, fore, vt tota illa terra maxima ſpinarum copiâ inhorreſcat, ſi ea frequenter irrigetur, nullumque bonũ ſemen in ea ſeratur?

tur? Equidem huic terræ ſimillimum eſt humanum corpus, quod naturaliter ſpinas peccatorum multorum ſine vlla difficultate generat. Sit enim aliquis ſuo abdomini natus, qui prauas eius appetitiones potus cibique copiâ irritet, & nihil illi denegando continuè helluetur, quid huic ex peccatis prudenti iudicio deerit? Corpus abundè ſaginatum (inquit S. Baſilius) & anima illi immerſa, & ad peccandum procliuis facta, compendium quoddam eſt ad laſciuiam, & procacitatem, & ſimul omnia ea, quæ vetita ſunt.]

Baſil. in Hexa. hom. 11. de paradiſo.

Jnterdum Scriptura ſacra, & peccata aliquorum enumerat, & quòd ex gula ſint nata indicat. Facit hoc cùm Balthaſaris Regis Babylonis conuiuium deſcribens, ait: *Balthaſar Rex fecit grande conuiuium optimatibus ſuis mille, & vnuſquiſq; ſecundùm ſuam bibebat ætatem. Præcepit ergo iam temulentus, vt afferrentur vaſa aurea & argentea, quæ aſportauerat Nabuchodonoſor pater eius de templo, quod fuit in Ieruſalem: & biberunt in eis Rex, & optimates eius, vxores & concubinæ illius. Bibebant vinum, & laudabant Deos ſuos aureos & argenteos, æreos, ferreos, ligneoſq; & lapideos.* Quanta hîc peccata, quorum omnium radix fuit Gula? cui inprimis Rex, & multùm quidem indulſit: ideoque ille ſolus, inter tot conuiuas, temulentus vocatur. Grande equidem, & turpe in Rege notatum vitium. Vinolentia enim, inquit S. Hieronymus, ſcurrarum eſt, & comeſſatorum. Vtidcircò prudens & ſalubre monitum illud, in Prouerbijs ſit præſcriptum: *Noli Regibus ò Lamuel, noli Regibus dare vinum*: præſcriptum verò, cùm ſatis iuſta ratione: *Quia nullum ſecretum eſt, vbi regnat ebrietas. & ne forte bibant, & obliuiſcantur iudiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperis.*

Danielis 5. à ℣. 1. ad 5.

Hieron. ep. 83. ad Oceanum.

Prou. 31. ℣. 4.

A Scriptura ſacra, & à tot annorum experientia edocti Sancti Patres, ſolent & ipſi Gulæ varia peccata adſcribere: vt videre licet, ſi legatur ſancti Nili liber

Nilus in l. Aſcetico.

aſce-

asceticus: in quo ille inter alia in memoriam reuocans verba illa Iudæorum: *Sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate*, sic inquit; Verè sedent super ollas carnium homines voluptarij & libidinosi, humido & perpetuo calore suas incendentes cupiditates. Porrò libidinis mater est Gula. Hæc enim libidinem gignit, & multa alia vitia, quæ ab eius radice tanquam stolones pullulant, & paulatim in arbores magnas euadunt, malitiæque fructus edunt vberrimos.] Illud præterea S. Gregorij: De ventris ingluuie, inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam, propagantur.]

Exodi 16. ¥. 3.

Greg. lib. 31. Moral. cap. 31.

Ex gula quæ nascantur peccata.

Gula triumphat, vbi multi conuiuæ.

Ex dictis, præsertim vbi conuiuium Regis Balthasaris attigi, patet, tunc potissimùm triumphare gulam, cùm multi simul conuiuantur. Tantùm septem filij & tres filiæ Iobi, ad sumendum frugale prandium quotidie conueniebant: & tamen Iob religiosus prudenter verebatur, vt per continuos septem dies, absque vllo etiam tenuissimo peccato peracta essent omnia: & ideò octauo quoque die sacrificium offerebat, quo expiaret, quidquid macularum ab ipsis per id tempus contractum fuisset. Nouerat enim vir sanctus (inquit Diuus Gregorius) quia celebrari conuiuia sine culpa vix possunt. Nouerat, quia magnâ purgatione sacrificiorum, diluendæ sunt epulæ conuiuiorum: & quidquid in semetipsis filij conuiuantes inquinauerant, pater sacrificium immolando tergebat. Nonnulla quippe sunt vitia, quæ â conuiuijs vix separari possunt, aut certè nequaquam possunt. Penè enim semper epulas comitatur voluptas. Nam cùm corpus in refectionis delectatione resoluitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Vnde scriptum est: *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Penè semper epulas loquacitas sequitur: cùmque venter reficitur, lingua defrenatur.

Iob. 1. ¥. 4.

¥. 4.

Greg. lib. in Iob cap. 5.

Exodi 32. ¥. 6.

Luca 16. ℣. 24. Vnde rectè diues apud inferos aquam appetere describitur, dicens: *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flammâ.* Priùs epulatus quotidie dicitur splendidè, & post, aquam petere in lingua memoratur. Quia enim vt diximus, inter epulas valdè defluere loquacitas solet: ex pœna indicat culpam. Sic S. Gregorius. Quid igitur sentiendum, quando magnus hominum numerus sine magno delectu ad conuiuium admittitur? Qualium peccatorum colluuies non erit, cùm disparium morum, & ingeniorum plurimi epulones confluunt? Hinc orta fuit illa apud antiquos cura, vt certum aliquem numerum conuiuarum statuerent, qui tàm ad iucunditatem, quàm ad honestatem, & ad sobrietatem conseruandam, maximè idoneus esset. Quâ de re lege Ioannem Pinedam.

Pined. in Iob 1. ℣. 4. Num. 14.

Triumphat & in illis conuiuijs Gula, quæ potiùs symposia cum Græcis, id est compotationes, vel cum Hebræis MISSTHEH, cuius idem est etymon, quàm cum Latinis conuiuia diceres, Talia sunt, in quibus noui Philoxeni, multo potu se ingurgitant: cùmque vinum appetant, admissi ad illud, vellent cum Philoxeno, cuius meminit Aristoteles, habere longum instar gruis guttur, vt sapore vini, sensim per illud inter bibendum ad stomachum descendentis, longiori tempore oblectentur. Aptè eosdem nouos Bacchos apellares, qui omnia nouem antiqui Bacchi pocula, apud Athenæum, & apud citatum Pinedam enumerata exhauriunt. Athenæus diceret, quòd puteos exhauriant, prout ille cum nonnullis alijs, magna pocula vocat. Exhaustis autem his puteis, delabuntur in illum puteum, de quo sic S. Augustin⁹ scripsit: Ebrietas quasi inferni puteus quoscunque susceperit, nisi digna subuenerit pœnitentia, & emendatio fuerit subsecuta, ita fortiter sibi vendicat, vt eosdem

Similiter vbi poculis & potucertatur.

Aristt. 3. Ethic.

Athenæum lib. 2. cap. 1.

Idem lib. 11. c. 2.

August. serm. 231. de tempore.

ipsos

ipsos de inferni tenebroso puteo, ad charitatis vel sobrietatis lucem redire, sine pœnitentia non permittat.

Idem delabuntur in illud mare, de quo ita Clemens Alexandrinus loquitur: In multa temulentia corpus tanquam nauis demersum, turpitudinis profundum subit ac dedecoris, decumanis vini fluctibus obrutum, Gubernator autem, mens scilicet humana, supereminentis ebrietatis fluctu circumagitur, & in mari versans caligat, & propter procellæ tenebras à portu veritatis aberrat: donec in saxa mari latentia irruens, seipsum in voluptates impactum perdiderit.] Experti erant huius maris tempestatem tres illi ganeones, de quibus non illepidè commemoratus Athenæus refert, quòd cùm in taberna essent vino obruti, eò dementiæ deuenerant, vt se in triremi nauigare, & fluctibus maris vndique iactari, omninò putarent; ideoque veluti in manifesto naufragandi periculo, suppellectilem domesticam per fenestram eijcerent. O infelices helluones, qui in hoc mari non aquarum sed dementiæ pleno peritis. Verè acephali, verè monstra sine capite estis. Clementem Alexandrinum imitor, cùm ebriosos appello acephalos. Ita enim is auctor Origenis magister, & Pantæni Martyris discipulus scripsit: Mihi videtur, qui à Mathematicis vocatur acephalus, qui ante stellam errantem numeratur, capite in pectus compresso ac considente; significare homines helluones, & voluptarios, & ad ebrietatem propensos. Nam in his quoque facultas ratiocinandi non in capite, sed in intestinis collocatur, iræ & cupiditati seruiens. Legi potest in hæc verba Clementis citati, commentarius Gentiani Herueti.

Clemens Alexand lib. 2. Pædag. c. 2.

Idem ibid.

Præterea triumphat Gula, vbi conuiuæ epulantur immemores illius doctrinæ: *Comedes coram Domino Deo tuo, & epulaberis tu & domus tua.* Quam doctrinam ita aliqui explicant, quòd per eam nonnisi probi, & sapientes

Vbi conuiuæ non meminerunt Dei, & doctrinæ eius. *Deuter 14. 2.*

pientes iubeantur ad conuiuium admitti. Antiquorum enim sententia, & sermo fuit: Qui fruitur conuiuio, in quo probi & sapientes accumbunt, perinde est, ac si diuinæ maiestatis gloriâ frueretur. Vt mirum non sit, quod de Aristarcho narratur, eum quoties ad aliquod conuiuium inuitaretur, non priùs solitum fuisse promittere, quòd venturus esset, quàm nomenclaturam omnium, qui ad idem conuiuium vocabantur, didicisset. Dicebat enim: cui nauigandum est, aut in expeditione militandum, contubernium vtcunque ferat commorantium, necesse est: cæterùm citra delectum, turbæ quorumlibet conuiuarum sese immiscere, hominis est non satis considerati, parumque cordati.]

Augustin. in qq. sup. Exodi q. 66.

Sanctus verò Augustinus censet epulari coram Domino Deo, esse tàm cibum quàm potum, ad honorem & gloriam Dei referre. Talem epulandi modum

1. Cor. 10. ℣. 31. commendabat Corinthijs S. Paulus: *Siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Coloss. 3. ℣. 17. Similiter Colossensibus: *Omne quodcunq; facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.* Ad hunc modum reducit

Exodi 18. ℣. 12. Augustin. ibid. S. Augustinus illud Scripturæ: *Obtulit ergo Iethro cognatus Moysi, holocausta & hostias Deo; veneruntq; Aaron, & omnes seniores Israël, vt comederent panem cum eo coram Deo.* Nam & ibi interprete S. Augustino, comedere ante

Origen. in Exodi cap. 17. & 18. Hom. 11. Deum, est ad gloriam Dei comedere. Fauet Origenes: Non omnes inquit, panem manducant in conspectu Dei, sed qui presbyteri sunt, qui seniores, qui perfecti sunt, & meriti probati, ipsi manducant panem in conspectu Dei: qui obseruant illud, quod Apostolus dicit: *Siue manducatis siue bibitis, &c.*

Aliam interpretationem adiungit Origenes, vt comedere coram Deo, idem sit, quod in memoria eum conseruare, cùm corpus cibo potuque reficitur. Efficacissimus

cissimus est iste modus ad profligandam gulam, & efficiendum, vt se quisque in conuiuijs intra limites modestiæ ac temperantiæ contineat. Si enim, referente Suetonio, Octauius Cæsar Augustus ad conuiuia inuitatus, sic ea solâ suâ præsentiâ moderabatur, vt qui illis accumbebant, ad omnem in verbis & actionibus honestatem sese componerent: sæpeque habuit opus, eos præ reuerentia tacentes vel submisse fabulantes, ad commonionem sermonis inuitare: quid non præstaret ad quamlibet mensam, etiam lautissimè instructam, ipsius Dei præsentia, fortiter menti impressa, qualem habuit Dauid, qui aiebat: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper*, vel vt Pagninus ex Hebræo vertit: Posui Dominum coram me semper? Quodsi hæc præsentia tollatur, quid non attentabit gula? quam metamorphosim circa sua mancipia non efficiet? Verè enim Diocles dicebat teste Palladio, hominem quàm primùm à contemplatione diuinæ præsentiæ cessârit, continuò vel Dæmonem vel bestiam fieri. Dæmonem quidem, si se arrogantiæ, iracundiæ, inuidiæ alijsque similibus vitijs dedat: bestiam verò, si ea tantùm, quæ ventris sunt, curet.

Sueton. in Octauio cap. 74.

Psalm. 15. ℣. 8.

Pagninus.

Pallad. cap. 38. Hist. Lauf.

Septimum & vltimum Capitale peccatum est ACEDIA, quam S. Bernardus describens ait: Vitium Acediæ est, quod quendam torporem incutit animæ, vt ipsi omnia exercitia spiritualia, quasi insipida videantur, & in graue tædium conuertantur: de quo tædio dicit Psalmus: *Dormitauit anima mea præ tædio.* & alibi: *Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquauerunt vsque ad portas mortis.* Tantùm quippè aliquando affligitur hoc vitio anima bonorum, vt etiam omnem escam, id est omne spirituale exercitium abominetur: vt nec orare, nec legere, nec meditari, nec opus manuum libeat exercere. Imò etiam appropinquat vsque ad portas

Bernard. tract. de Pass. Domini.

Psalm. 118. ℣. 28

Psalm. 106. ℣. 18.

mortis, id est, vt etiam ipsius vitæ fastidium habentes, morte finiri desiderent, cum S. Iob dicentes: *Tædet animam meam vitæ meæ.* Ita S. Bernardus. Breuiùs qui Acediam describunt, aiunt eam esse remissi animi languorem ad bene operandum; præsertim verò esse tristitiam de re spirituali. Cuius descriptionis auctores meminerunt tristitiæ: tum quòd S. Cyprianum imitentur: tum quòd tristitia à natura Acediæ separari nequeat. Acediâ enim occupatus homo, audiens de æterna beatitudine, quæ in fruitione Dei consistit, & de his, quæ ad illam obtinendam pertinent, vt sunt virtutum opera cum charitate coniuncta, item diuina præcepta, sacramenta quoque, & alia huiusmodi, tristatur & dolet, quòd talibus modis, qui illi displicent, æternam salutem acquirere iubeatur, velletque omninò liber ab illis esse.

Iob 10. ℣. 1.

Carisf. de 7. peccat. Capital. Numer. 9.

Cyprian. lib. orth. fidei, cap. 4.

Ex his colligitur primò, sufficienter etiam describi Acediam, si cum Francisco Toleto dicatur, Acediam esse tristitiam de bono spirituali, vt ad ipsum hominem attinet. Quæ vltima verba benè sunt notanda. Si enim quis tristaretur de bono spirituali, vt est in proximo, quasi nolens, vt ipse tali bono sit præditus, iam non esset Acedia, sed fraternæ gratiæ inuidentia, vnum ex peccatis contra Spiritum sanctum, quæ dicuntur non remitti, quia difficilè remittuntur.

Tolet tract. de 7. peccat. mort. c. 68.

Colligitur secundò, quàm iustè hoc peccatum, de quo agitur, vocatum sit Acedia. Cùm enim illud non permittat, vt aliquid eorum, quæ ad cælestem patriam aditum faciunt, generosè & strenuè fiat, imò languorem afferat, per quem omnes exercitationes virtutum, vel penitus negliguntur, vel remissè expediuntur, meritò nomen suum à Græcis traxit, quibus ἀκηδία inter alia vacuitatem omnis curæ, & diligentiæ significat. Suâ tamen iucunditate non caret, quod S. Thomas & S. Antoninus annotârunt, Acediam seu acidiam esse dictam, quasi

S. Thom. 2. 2æ. q. 35. art. 1. Anton. 2. par. summæ Th. tit. 9. cap. 2.

quasi acidam. Quæ autem sunt acida seu acetosa, sunt frigida: frigus verò inducit difficultatem, & tarditatem in motu. Videmus enim quòd aqua, cùm propter frigus est congelata, immobilis manet, quæ ex se flueret. Et senes, quia frigidi sunt, sunt & tardi ad ambulandum: sicut è contra adolescentes, in quibus viget calor naturalis, sunt festini ad ambulandum, ad discurrendum. Acidia ergo est quædam frigiditas spiritualis, & feruoris diuini, ex quo anima non mouetur, vel cum difficultate mouetur ad benè operandum. Hæc D. Antoninus.

Colligitur tertiò, propter magnum animorum languorem, quem Acedia generat, posse omnes, qui eo laborant, vocari semicoctam betam. Ita olim Propheta Isaias vocauerat illos Iudæos, qui à Chaldæis, deinde etiam à Romanis fame, & varijs ærumnis enecti, vix pedibus consistebant, & in vijs publicis, præ nimia debilitate cadentes, animas miserè efflabant. Vbi enim vulgata versio habet: *Sicut oryx illaqueatus*, Septuaginta interpretes Græci verterunt: *Sicut beta semicocta, id est, solis æstu semitosta.* Qualis similitudo hominem flaccescentem, & iam iam morientem benè exprimit, vt & illa apud Virgilium: Purpureus veluti cùm flos succisus aratro, Langueſcit moriens: lassoué papauera collo, Demisêre caput, pluuiâ cùm fortè grauantur. Vide in Isaiam commentarium Leonis Castri. Augustus quoque Cæsar paulò ante commemoratus, vt scripsit Suetonius, quem viribus destitutum languere cernebat, vocabulo nouato, betizare illum dicebat. Fortè imitabatur antiquiores, apud quos languere, vulgò dicebatur lachanizare, quasi diceretur, instar oleris esse: Olus enim Græci λάχανον vocant,

Isaiæ 51, ℣. 20.

Beta semicocta, qui olim dicti.

Virgil. lib. 9. Æn.

Sueton. in Augusto Num. 87.

Colligitur quartò, quàm aptè Acedia soleat pingi supra testudinem sedens. Statim enim, vt aliquos vitium hoc infecerit, testudineo, id est tardissimo gradu in procu-

procuranda animæ salute omnes progrediuntur: si tamen progrediuntur, & non potiùs immobiles subsistunt. Quod cùm faciunt, quàm longè à prudentiæ regula absint, manifestè produnt. Nobilis auctor Cosmas Magalianus meminit emblematis, in quo pingitur femina, in medijs fluctibus insidens delphino, omnium simpliciter animalium, & non solùm marinorum, velocissimo pisci, vt Plinius narrat. Altera huius feminæ manus libram cum ponduſculis in lancibus gestat. A collo dependet supra pectus cor oculis præditum, in quos è cælo immissi splendores incidunt. Epigraphe seu inscriptio totius picturæ est: *Cognosce, Eligе, Matura.*

Magalian. lib. 3. in Cant. Moysis sect. 3. annot. 9. Numer. 130. Plinius

Prudentis animæ imago.

Et hæc quidem femina typus est prudentis animæ, quæ videns se rerum humanarum fluctibus iactari, librâ rationis vtitur, & cælesti lumine illustrata cognoscens, quantùm inter res cælestes & terrenas interſit, his abiectis, illas sine mora & maturè eligit. Quia verò S. Bernardus supra citatus ab Acedia torporem animo incuti dixit, satis indicauit Acediam esse quoque persimilem torpedini pisci, de quo refert Plinius, quòd procul etiam, & de longinquo, vel si hastâ virgaué attingatur, quantumuis prævalidos lacertos, torpescere faciat, & pedes ad cursum veloces, veluti si ligarentur, ad omnem motum ineptos reddat.

Bernard. sup. cit.

Plinius lib. 32. cap. 1.

Peccata quæ ex Acedia nascuntur.

Explicatâ Acediæ naturâ, paulisper dicendum, quæ potissimùm peccata ex illa nascantur. Compendiarium id expediendi modum tradit Ludouicus de Ponte comparans Acediam cum illa quarta bestia, quam Propheta Daniel vidit ascendentem de mari. *Aspiciebam inquit, in visione noctis: & ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis, & fortis nimis: dentes ferreos habebat magnos, comedens, atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans: & habebat cornua decem.* Est nempe Acedia terribilis bestia, quam, cùm ipse Dauid, qui vrsos & leones

Ludouic. de Ponte tract. 4. ducis spirit. cap. 17.

Daniel. 7. ℣. 7.

discer-

discerpebat, timeret, spiritu principali, cum illa pugnaturus, à Deo confirmari voluit, ne suum ardens in exercendis virtutibus studium sensim per eam tepesceret. *Psalm. 50. ℣. 14.*

Eadem bestia est mirabilis: quia cùm alia vitia, peritura bona consectentur, Acedia in fastidio bonorum spiritualium, & æternorum est tota, vt vel ipsa de illis cogitatione affligatur. Est præterea fortis, quæ tot heroas strauit, vt, cum Episcopo Ephesi Ecclesiæ, cuius in Apocalypsi fit mentio, primam charitatem relinquerent, & cum altero Laodiciæ Ecclesiæ itidem Episcopo tepidi fierent. Eadem bestia dentes habet magnos & ferreos, quibus virtutes & bona opera comminuit, reliqua execrandorum affectuum pedibus conculcat. *Apocal. 2. ℣. 4.* *Apocal. 3. ℣. 16.*

Habet etiam cornua decem, quæ nominatus auctor sic enumerat: Pigritiam & laxitatem in explendis diuinis præceptis: Otiositatem & somnolentiam in bonis actionibus, tam actiuæ quàm contemplatiuæ vitæ: Timorem laborum & difficultatum, quæ sunt in ipsis virtutibus: Pusillanimitatem & timiditatem cordis, ad res magnas arduaq; facinora aggredienda: Diffidentiam ac desperationem in procurandis rebus spiritualibus: Rancorem & amaritudinem contra eos, qui ipsi resistunt, resque spirituales, quæ ipsam tædio afficiunt: Diuagationem ac distractionem spiritus ad res illicitas & inanes, in quib⁹ sese oblectat: Curiositatem sensuum, & linguæ ad loquendum laxitatem: Corporis inquietudinem, vt non possit homo in loco vno quietus consistere: denique Inconstantiam, & perseuerantiæ defectum in bono inchoato. Hæc Ludouicus de Ponte.

Quæ omnia in his S. Gregorij paucioribus verbis continentur: De tristitia (Acediam iuxta superiùs dicta intelligit) malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita, nascitur.] *Greg. lib. 31. Moral. cap. 31.*

Proposui septem peccata mortalia, & quomodo ex illis alia generentur ostendi. Quia verò ista peccata longè lateque regnant, videntur esse septem Reges propositi, & ad hoc quidem propositi, vt ab omnibus conculcentur, instar illorum regum, qui ex spelunca cùm essent educti, omnibus viris Israël primarijs, & principibus exercitus, dicebat Iosue : *Ite, & ponite pedes super colla regum istorum.* Quod expendens Origenes, spiritus feruore accensus aiebat: Vtinam Dominus meus Iesus Filius Dei, mihi istud concedat, & iubeat me pedibus meis conculcare spiritum fornicationis, & calcare super ceruices spiritus iracundiæ, & furoris, calcare auaritiæ Dæmonem, calcare iactantiam, conterere pedibus superbiæ spiritum: & cùm hæc fecero, operis gesti summam, non mihi, sed cruci eius appendere.

Iosue 10. ℣. 24.

Origenes Hom. 12. in Iosue.

CAPVT OCTAVVM.

Ignorantia rerum cognoscendarum, & agendarum, quæ à Theologis apellatur Vincibilis.

Radix peccatorum vndecima.

TAntum efficacitatis ad propaganda mala in hac radice situm esse S. Thomas iudicat, vt causas peccatorum internas enumerans, primo loco Ignorantiam ponat. Nec immeritò. Nam toties in Scriptura sacra, præsertim verò in libris Moysis, vbi varia sacrificia pro varietate peccatorum præscribuntur, ignorantiam plurimorum malorum esse originem docetur. Vt cùm dicitur: *Anima si peccauerit per ignorantiam, fecerit& vnum ex bis, quæ Domini lege prohibentur, & peccati rea*

S. Thom. 1. 2dæ. q. 76. art. 1.

Leuit. 5. ℣. 17. 18. 19. Num 15. ℣. 22. ℣. 27.

rea intellexerit iniquitatem suam, offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, iuxta mensuram æstimationemq; peccati: qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit: & dimittetur ei, quia per errorem deliquit in Dominum. In suo quoque Psalmo, nonne hoc ipsum Rex Dauid docuit, cùm Deum oraret: *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris?* Iuuentutis delicta prudenter memorat. Si enim puerilis & senilis ætas (inquit S. Augustinus) non est à tentationibus libera, quarum altera, id est, puerilis, nondum benè ingreditur, altera iam egreditur istam vitam: & altera paulò antè non erat, altera paulò post non erit: quid sentiendum est de flagrantia iuuenilis ætatis, quæ vtriusque in medio constituta, & ab infirmitate pueritiæ non recessit, & nondum ad torporem senectutis accessit? Hæc pluribus atque maioribus tentationum tempestatibus quatitur. Hæc fluctuum crebriori impetu seculi inundantis operitur.] Memorat etiam ignorantias suas, id est peccata sua, per ignorantiam in ætate iuuenili facta. Cùm enim, vt S. Chrysostomus scripsit, adolescentium animæ non admodum prudentiâ muniantur, & ratio, quæ vitia gubernet, sit in illis infirmior; facilè à via virtutum aberrant, ignoranteſque quid liceat quid non, frequenter in electione agendarum rerum hallucinantur, & loco laudabilium operum, multa illicita committunt. Et hæc quidem aptè afferuntur ad vulgatam versionem latinam, in qua legitur, *Ignorantias meas.* Atqui in Hebræo textu habetur, Prævaricationes seu scelera mea, vt inter alios Cardinalis Bellarminus aduertit. Nempe latina versio secuta est Septuaginta interpretes Græcos, qui verterunt ἀγνοίας, id est ignorantias, & hoc ipso ostenderunt, vocem Hebraicam generalem esse, & tam prævaricationes siue scelera significare, quàm peccata leuiora, qualia communiter sunt, quæ per ignorantiam committuntur.

Psalm. 24. 8. 4.

August. 246. de temp.

Chrysost. Epist. ad Olympiam 7.

Bellar. in Psal. cit.

Habacuc 3. ℣. 1. Est etiam celebris illa apud Prophetam Habacuc capitis tertij inscriptio: *Oratio Habacuc Prophetæ pro ignorantijs* seu ignorationibus, quam ita transtulit S. Hieronymus ex Hebræo, adducens pro se aliquot interpretes, qui eam similiter transtulerint, nominatim Aquilam, Symmachum & Quintam editionem. Fauet Paraphrastes Chaldæus, & ipsum verbum Hebræum SSAGAH, quod significat errare, ignorare. Ergo & hæc inscriptio agnoscit & docet, quòd multa peccata ex ignorantia procedant: quæ vt Deus condonet, nec sua beneficia propter illa nobis subtrahat, necesse sit eum orare, vt Propheta Habacuc fecit. Cùm enim intellexisset, quòd in mundum venturus esset Dei Filius, statim se ad orationem contulit: vt impleret Deus quod promiserat, nec propter ignorantias, id est, propter peccata generis humani, tantùm bonum differret. Plura pro eadem veritate testimonia, nouæ legis Scriptura suppeditat. Talia sunt: *Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me: Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt: Et nunc fratres scio, quia per ignorantiam feciſtis: Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent: Qui primus blasphemus fui, & persecutor & contumeliosus: sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* & alia plurima.

Hieron.

Ioan. 16. ℣. 3.
Luc. 23. ℣. 34.
Actor. 3. ℣. 27.
1. Cor. 2. ℣. 8.
1. Timoth. 1. ℣. 13.

Scripturam sacram sequuntur Sancti Patres, inter quos S. Augustinus inquit: Alia sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ. In quibus verbis, vt obseruauit Gregorius de Valentia, tres internæ causæ, peccatorum includundur.

August. lib. 83 qq. quæst. 26.
Valent. in 1. 2dæ. disp. 6. q. 6 p. 1.

Prima, appetitus sensitiui aliqua passio, quæ à S. Augustino apellatur infirmitas, quòd recto rationis ordini repugnando, bonum mentis statum perturbet, & rectas animæ operationes impediat: planè instar infirmitatis ad corpus pertinentis, quæ similiter bonam,

& fir-

& firmam constitutionem corporis corrumpit, & ne illud operationes suas ritè exerceat, efficit.

Secunda causa, imperitia seu ignorantia eorum, quæ quis scire & potuit, & debuit. De his ita S. Thomas loquitur: Quædam sunt, quæ aliquis scire tenetur, illa scilicet, sine quorum scientia, non potest debitum actum rectè exercere. Vnde omnes tenentur scire communiter ea, quæ sunt Fidei, & vniuersalia iuris præcepta: singuli autem ea, quæ ad eorum statum vel officium spectant. Quædam verò sunt, quæ etsi aliquis natus est scire, non tamen ea scire tenetur: sicut theoremata Geometriæ, & contingentia particularia, nisi in casu. Affirmans ergo S. Augustinus, esse quædam peccata imperitiæ seu ignorantiæ, affirmat eam esse peccatorum radicem, sicut & in alio loco, vocans eandem ignorantiam malum, per quod à nescientibus innumerabilia perpetrantur mala.

S. Thom. 1a 2dæ. q. 76. art. 2.

Quæ omnes scire debent.

Augus. contra Iulian. Pelag. lib. 6. c. 16.

Tertia causa, est malitia, ex qua is propriè peccat, qui neque passione impulsus (inquit citatus Valentia) neque ignorantia iuris aut facti obcæcatus, probè sciens tum in vniuersali tum in particulari, rem esse simpliciter malam, atque repugnare bono honesto, & nocere animæ: sponte nihilominus illam, ob rationem boni minoris, quam in ea cernit, scilicet vtilis aut delectabilis, anteponit bono maiori, atque eam peruersè eligit. Tali malitiâ laborabant illi, de quibus scriptum: *Quasi de industria recesserunt ab eo, & omnes vias eius intelligere noluerunt.* & illi: *Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas: qui lætantur cùm male fecerint, & exultant in rebus pessimis.*

Iob 34. ℣. 27.

Prou. 2. ℣. 13. 14.

Sed relictâ malitiâ, & infirmitate de sola ignorantia cœptum sermonem prosequamur, de qua sæpiùs agit nominatus S. Augustinus. Agit & S. Bernardus fusè ostendens, quòd per ignorantiam sæpè peccetur: cuius hoc quoque pronuntiatum est; Priusquam homo

Aug. de gratia & libero arbitr. c. 3. & l. 3. de libero arbitr. cap. 22. Bern. Epist. 77. ad Hugon. de S. Vict. serm. 35. sup. Cant.

per fidem cognoscat Creatorem suum, Ignorantia mater omnium vitiorum eius possidet animam. Et illud: Fugienda nobis ignorantia, de qua tot millia malorum, vniuerso nostro generi prouenerunt.]

Pauci suam ignorantiam nôrunt.

Maximè porrò in præsenti materia dolendum, quòd innumerabiles homines suam ignorantiam non nôrint, sed omnes magnam sibi sapientiam, & prudentiam vendicent. Notauit eos Socrates, à quo, inquit Cicero, omnis quæ est de vita, & de moribus, Philosophia manauit. Aiebat enim: Si quis in theatro iuberet coriarios omnes surgere, illi soli surgerent; similiter si fabros ferrarios, textores aut alios generatim: si autem prudentes aut iustos iubeat surgere, hîc omnes illicò consurgent, quia omnes tales videri volunt, imò tales se esse iudicant. Grauiùs notantur ijdem, siue loquatur Rex Salomon; *Ne sis sapiens apud temetipsum*: siue Propheta Isaias; *Væ qui sapientes estis in oculis vestris*: siue Apostolus Paulus; *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* Quæ dicta cùm SS. Patres illustrant, sex in illis hominum genera, qui sibi videntur esse sapientes & prudentes, cùm verè non sint, assignant. Lege si lubet Basilium, Chrysostomum, Gregorium, quorum vltimus verissimè exclamat: Magnum est humanæ ignorantiæ pelagus.]

Cicer. Tuscul. q. lib. 3.

Socrates.

Prouerb. 3. ℣. 7.

Isaiæ 5. ℣. 21.

Roman. 12. ℣ 16.

Basil. in resp. ad interreg. 260.

Chrysost. in 12. ad Roman. Greg. 10. Mor. c. 27. lib. 5. in 1m. Reg. c. 4.

Vndenam verò inter homines tanta ignorantia proueniat, quæ peccatorum est radix, S. Augustinus docet. Ait enim eam generari ex primi parentis peccato, quo præcedente, quia omnes nascimur in carne peccati, fit, (verba sunt S. Augustini) vt per ignorantiam vel infirmitatem, non exertis aduersus eam totis viribus voluntatis, eidem ad illicita etiam nonnulla cedamus, tantò magis & crebriùs, quantò deteriores, tantò minùs & rariùs, quantò meliores sumus. Cui doctrinæ consectarium est, quod tradunt Theologi, posteros Adæ in statu innocentiæ, nullam habituros fuisse ignoran-

Augustin. de peccat. meritis & remiss. cent. Pelag. cap. 36. 37. 38. 39.

Ex peccato primi hominis ignorantia.

tiam

tiam vitiosam & culpabilem, quæ est priuatio cognitionis eorum, quæ homo nosse debet, vel simpliciter, vel aliquo certo tempore. Nam licet, vt inquit Pererius, nati fuissent ignorantes, non tamen earum rerum, quas prima illa ætate scire eos oportebat aut decebat.

Perer. lib. 5. in Genes. disp. de scientia Adami q. 5.

Præterea cùm ætatem ad discendum idoneam attigissent, multa & facilia ad acquirendam omnem cognitionem, & doctrinam præsidia habuissent. Decem nominatus auctor enumerat, ex quibus hæc quatuor nobis interim sufficiant. Primum erat, summa docilitas & habilitas ad discendum, & sciendum quidlibet, propter admirabilem ingenij, memoriæ, ac iudicij excellentiam, & incredibilem discendi ardorem, veriqúe noscendi cupiditatem. Secundum erat, præstantia omnium sensuum tam interiorum quàm exteriorum, quorum ministerio mens humana vtitur ad acquirendam scientiam. Tertium perfecta animi moderatio, & omnium perturbationum sedatio, cunctorumq; affectuũ sub rationis imperium subiectio. Quartum singularis, & eximia erga homines in illo statu viuentes, prouidentia & cura Dei, eos ad comparandam rerum omniũ cognitionem adiuuantis, vel per interiores illustrationes, vel per Angelos, qui tunc homines familiariter visitassent.

In statu innocentiæ facilis fuisset acquirendi omnem doctrinam modus.

Atqui non solum Originale peccatum facit, vt homines passim ignorantia laborent, & per eam peccent. Faciunt hoc & illa tria, quæ S. Bernardus tradit, nempe sciendi incuria, discendi desidia, & verecundia inquirendi. Quod attinet ad primum, omninò magna indignitas, quòd reperiantur, qui nullam diligentiam adhibent, vt hanc à se ignorantiam amoueant. Putant illi, se extra omnem culpam esse, nec vllas pœnas se ideò daturos, si propter ignorantiam aliquid vel prohibitum committant, vel imperatum omittant. Audiant sanctum Chrysostomum sic loquentem: Neque putandum

Bernard. Epist. 77. ad Hugonem de S. Vict. serm. 35. sup. Cant.

Tria ignorantiam fouent.

ad

Chryſoſt. Hom. 56. in Epiſt. ad Rom. in Moral.

ad apologiam ſufficere ignorantiam. Erit enim, erit, inquam, quando & ignorantiæ pœnas dabimus: quando ſcilicet & ipſa ignorantia veniam non habebit. Nam & Iudæi ignorârunt, ſed ea ignorârunt, quorum ignorantia veniam non meretur: & Græci ignorârunt, ſed excuſationem non habent. Quodſi ea ignoraueris, quæ ſciri non poſſunt, præter culpam erit: ſi verò quæ ſcitu & poſſibilia ſunt & facilia, extremas pœnas meritò dabis.]

Quod ſpectat ad ſecundum, deſidia à S. Bernardo commemorata, impedit multos, ne vnquam ſacræ Scripturæ libros inſpiciant, à quibus illuminati ſcientiam ad euitanda peccâta neceſſariam acquirerent. Nimirum ſcriptura Sacra lumen eſt clariſſimum, quod ignorantiæ tenebras diſpellit, & quâ incedẽdum ſit, quid item agendum ei, qui ad æternam patriam peruenire velit, ſufficienter oſtendit. Congruè ad hoc Philo Epiſcopus Carpathius explicat illud Canticorum: Fauus diſtillans labia tua: Fauus, inquit, eſt diuina Scriptura. Vt enim in fauo mel & cera latent, quorum altero paſcimur, altero lumen accendimus: ſic in literis ſacris, ſuauiſſimus cibus animi, & lumen mentis inſunt. Hoc igitur lumine ex oculis aliquorum ſublato, quid mirum, ſi tales tenebris ignorantiæ inuoluantur, & quocunque ſe verterint, vbique multas & graues noxas contrahant?] Nam quemadmodum inquit, S. Chryſoſtomus, qui luminis huius vſurâ ſunt priuati, nequaquam rectè ingredi poſſunt: ita qui ad diuinarum Scripturarum radios, oculos non intendunt, neceſſariò in multa frequenter errata incurrunt, perinde acſi in tenebris periculoſiſſimis ambularent.]

Philo Carpath. Cantic. 4. ℣. 11.

Chryſoſt. in proœm. Inp. Ep. ad Rom.

Hæc cùm affero, non id ago, vt doceam, omnia quæ in ſacris literis continentur, licere cuilibet, & vt libet, ſcrutari. Memini aquarum Ezechieli prophetæ oſtenſarum, quarum aliæ erant ad talos, aliæ ad genua,

Ezech. 47. à ℣. 3.

aliæ

aliæ ad renes, aliæ non poterant transuadari. Noui etiam, quòd S. Ambrosius scripsit, illis aquis adumbratam esse Scripturam sacram, quæ tametsi in multis locis sit aperta, in plurimis tamen profunditatis est tantæ, vt nullus humano ingenio eam penetrare possit. Quò alludens eruditus auctor, concinnè ad id, quod dicitur, inquit: Sicut in magno fluuio quædam sunt partes, quæ vado transiri possunt, aliæ per pontem, aliæ verò quæ nullo modo, nisi adminiculo cymbæ: ita in sacris literis, quæ ad mores informandos spectant, perspicua sunt; quæ verò ad mysteria pertinent, per interpretationes Patrum quasi per pontem cognosci possunt. Sunt etiam nonnulla, quæ vt penetrentur, Spiritus sancti quasi vehiculo, & ductu mens nostra eget.

Ambr. in 22. Apocalyp.

Magal. in 2. ad Timoth. c. 3. ¥. 16

Quocirca Scripturam sacram commendãdo hoc solùm insinuaui, ad exterminandam ignorantiam multùm prodesse, si illam quisq; pro ratione sui intellectus, officij, status, & similium identidem lectitet, excitatus ad hoc illis etiam S. Gregorij verbis: Diuinus sermo sicut mysterijs prudentes exercet: sic plerumq; superficie simplices refouet. Habet in publico, vnde paruulos nutriat: seruat in secreto, vnde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quidã quippè est fluui⁹, vt ita dixerim planus & altus: in quo & agn⁹ ambulet, & elephas natet.]

Greg. in præfat. Moral. cap. 4.

Vt autem verbum Dei scriptum legere, ita & quod viua voce in Ecclesijs proponi solet audire, illa eadem desidia non permittit: & sic altero modo, ad acquirendum lumen scientiæ idoneo, hominem desidem priuat. Nam & auditum Dei verbum est instar lucernæ lucentis, vt sanctus Petrus loquitur, in hoc præsentis seculi caliginoso loco, tenebras humanæ ignorantiæ discutiens: donec extremi iudicij, & felicitatis futuræ elucescat dies, & lucifer oriatur in cordibus nostris: Christus videlicet, qui, teste S. Paulo,

2. Petr. 1. ¥. 19.

1. Cor. 4. ℣. 5. *illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Tunc enim, inquit S. Augustinus, præsenti tali

August. tract. 35. in Ioan. die, lucernæ non erunt necessariæ. Non legetur nobis Propheta, non aperietur codex Apostoli, non requiretur testimonium Ioannis, non ipso indigebimus Euangelio. Omnes scripturæ tollentur de medio, quæ nobis in huius seculi nocte tanquam lucernæ accendebantur, ne in tenebris remaneremus.]

Quod ad tertium attinet, scilicet Verecundiam inquirendi, hæc etiam inhibet multos, ne res ad fidem orthodoxam, & ad legem Dei seruandam, requisitas sciant, malintque potiùs illarum ignoratione teneri, quàm addiscendo eas, confundi. Verecundiam talem

Antonius 4. par. Summa tit. 4. c. 1. reuocaret S. Antoninus ad primam classem verecundiæ, quam ille in sua summa Theologiæ tractat. In quatuor

Verecundia quadrudex. enim partes eam tribuit, vt alia sit verecundia vitanda, alia detergenda, alia moderanda, alia procuranda. Itaq;, vt dixi, ad primam, id est, ad vitandam, reuocaret vir sanctus verecundiam inquirendi, & cognoscendi ea, quæ homo Christianus scire omninò debet. Quomodo enim hæc vitanda non sit, quæ facit, vt ignorans re ipsa experiatur, verum esse illud S. Pauli affirmatè asserentis:

1. Cor. 14. ℣. 38. Matth. 25. ℣. 12. *Qui ignorat ignorabitur?* Nempe quod quinque fatuis virginibus dictum est, idem omnibus ignorantibus dicet supremus Iudex; *Nescio vos.* Quod infinitum malum, vt ignorantes effugiant, imitentur Nicodemum, qui teste

Ioan. 3. à ℣. 1. S. Ioannis Euangelio, cùm esset Pharisæus, nomen scilicet, & docti & probi hominis habens, vel vt Christus eum vocauit *Magister in Israël,* item *Princeps Iudæorum,* id est familiæ alicuius vel tribus caput, opibus etiam & nobilitate cæteris Iudæis antecelleret, erubescebat multa, discere, qui didicerat, inquit S. Augustinus, alios docere: vicit tamen seipsum, & quod palàm præstare præ pudore noluit, clam & nocturno tempore Christum,

totius

totius mundi magistrum adijt, eique se mysterijs Fidei instituendum tradidit. Meminerint & S. Augustini, qui in sua Epistola ad Auxilium Cõepiscopum, non dubitauit scribere: En adsum. Senex à iuuene Cõepiscopo, & Episcopus tot annorum, à collega necdum anniculo paratus sum discere.] *Augustin. Epist. 28. ad Hieron.* *Idem ad Auxilium Epist. 75.*

Postulat ipsa rei æquitas, vt antequam hinc ad caput subsequens abeam, paucis attingam, quàm laudabile sit inuentum Gymnasia & Scholas erigendi, in quibus, ad expugnandam ignorantiam, humano generi, vt vidimus, noxiam, apta studia multiplicis doctrinæ floreant. Ferè iam inde ab ipso mundi exordio, talia extitisse Gymnasia, documento est illud, quod Moyses de Iacob scripsit: *Iacob autem vir simplex, habitabat in tabernaculis.* Vbi sacer Historicus præclaris encomijs Iacobum ornat. Primum est, quòd fuerit Simplex, id est, in dictis & factis omnis fraudis & doli expers, planèque innocens illâ innocentiâ, quam intelligebat Christus, cùm discipulis suis commendaret, vt tanquam columbæ simplices essent. Alterum, quòd in tabernaculis habitârit, non vt Esau, cuius deliciæ erant, per agros & siluas vagari, ac in venatione ferisque capiendis, totos dies consumere. Nunquam satis laudatum inuentum gymnasia & scholas erigendi. *Genes. 25. ℣. 27.* *Matth. 10. ℣. 16.*

Nomine verò tabernaculorum Hebræi interpretes intelligunt Scholas, quas Iacob frequentabat, sapientiam & scientiam rerum diuinarum acquirens, sub magistris pietate conspicuis: qualis erat Melchisedech *Sacerdos Dei altissimi*, qui vni tabernaculo præfuit: & præterea Heber Propheta, qui in altero tabernaculo omnia, vt & prior, quæ ad Dei notitiam cultumq; pertinebant, suis discipulis tradebat. Confirmat istam interpretationem Paraphrastes Chaldæus, qui habet: Iacob erat vir integer, minister Domus doctrinæ. Nam Hebræi scholam, solent vocare Domum doctrinæ. Liber etiam Iosue facit mentionem ciuitatis, quæ vocabatur Cariath Sepher, *Genes. 14. ℣. 18.* *Iosue 15. ℣. 15.*

Hieron. in Epitaphio Paulæ cap. 10. Sepher, id est, vt explicat S. Hieronymus, Ciuitas literarum. Fuit autem sic dicta, quòd in illa post Moysen, Othoniel secreta legis diuinæ docuerit, vt nonnulli sentiunt.

Magnis postea incrementis, auctas fuisse scholas à Salomone Rege, illis verbis ostendunt aliqui: *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.* Aiunt enim per domum debere intelligi Academiam, quam rex sapientissimus Salomon, nomine & titulo sapientiæ ædificauerat in arce Sion, iuxta Regiam, & in atrio templi ad orientalem plagam: vt in ea lectissimi quique diuersarum scientiarum Magistri docerent. Per septem verò columnas, intelligunt ijdem suggesta septem ad docendum idonea, quæ à septem columnis fulciebantur, seu septem gymnasia, pro numero septem artium liberalium, quæ in ipsis tradebantur, & ad quas omnes Hierosolymitæ & Iudæi, proselyti quoque & exteri, ab ipsamet earum vtilitate & dignitate inuitabantur. Imò sunt, qui asserant, ipsum Salomonem Regem in hac Academiâ, sua Prouerbia & Parabolas, multaque alia dictasse, de quibus hæc in sacra Scriptura legimus: *Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas, & fuerunt carmina eius quinque & mille. Et disputauit super lignis, à Cedro, quæ est in Libano, vsque ad Hyssopum, quæ egreditur de pariete: & disseruit de iumentis & volucribus, & reptilibus, & piscibus. Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, & ab vniuersis regibus terræ, qui audiebant sapientiam eius.*

Prouerb. 9. ℣. 1.

Pineda lib. 3. de reb. Salom. cap. 18.

3. Reg. 4. à ℣. 32.

Barrad. Tom. 1. lib. 10. cap. 14.

Hinc facilè explicatur, quodnam fuerit illud templum, in quo, vt S. Lucas Euangelista refert, Christum Dominum sedentem in medio Doctorum, audientem quoque illos, & interrogantem, Maria & Ioseph inuenerunt. Illa enim Academia vocatur Templum, quia sita erat in atrio templi: siquidem quodlibet templi atrium appellare Templum, vsitatum fuit. Secundò, quo sensu S. Paulus dicat se *eruditum secus pedes Gamalielis, iuxta*

Luc. 2. ℣. 46.

Actor. 22. ℣. 3.

verita-

veritatem paternæ legis. In illa enim Academia Hierosolymitana, supremi legis Magistri & interpretes, locum suum habebant in Cathedris; alij ætate & doctrinâ minores in subsellijs, tandem auditores & discipuli illorum, super storeas humi stratas sedebant, quibus licebat disserentes Doctores & audire, & interrogare, & etiam, si ipsi interrogarentur, respondere. Quod totum complexus est S. Ambrosius explicans illud S. Pauli: *Prophetæ autem duo aut tres dicant, & cæteri dijudicent.* Hæc, inquit, traditio Synagogæ est, vt sedentes disputent, seniores dignitate in Cathedris, sequentes in subsellijs, nouissimi in pauimento super mattas. Quibus si reuelatum fuerit, dandum locum dicendi præcipit, nec despiciendos, quia membra corporis sunt.] Cùm igitur Gamaliel ex primarijs Doctoribus esset, sedente illo super Cathedram, sedebat Paulus in pauimento super mattam seu stoream, & secus pedes Gamalielis, vtpotè auditor & discipulus eius. A qua consuetudine, ne ipse quidem Christus recedere voluit: sed aliorum discipulorum more, humi eum super stoream sedisse, quo tempore in templo sedens in medio Doctorum, à parentibus suis inuentus erat, consentaneè ad summam eius humilitatem, multi auctores tradunt.

1. Cor. 14. v. 29.

Ambr. ibid.

Antiquis seculis posteriora non cedunt. Quot enim Academias & Collegia, quot Gymnasia & Scholas orbis Christianus habet? Securè illis annumerari debent, quæ in nostra Polonia, & discipulorum numero, & ingeniorum præstantiâ florent. Non possum hîc non meminisse Tui fortunatissimè Rex Vladislae Iagello, qui, vt inferiora studia taceam, pro Philosophis & Theologis, Iurisperitis & Medicis nobilem Academiam, à Casimiro Magno inchoatam, Cracouiæ erexisti, & ne Doctoribus Pragâ Lutetiâque tunc accitis, alijsque, qui deinceps docendi laborem subirent, annua stipendia deessent,

Polonia & discipulorum numero, & ingeniorum præstantiâ floret.

Academia Cracouien. erigitur à Vladisl. Iagellone.

deessent, prouidisti. Sed nec tui memoriam vlla vnquam delebit obliuio, bellicosissime Rex Stephane Bathori, qui in acie & certamine ita versari didiceras, vt pro tua constanti erga literas voluntate, nunquam illas augere desisteres. Testantur id Collegia, præter Claudiopolitanum in Transiluania, Polocense, Rigense, Derpatense, quæ tu, cùm tribus in locis magno Duci Moscouiæ eripuisses, regnoque Poloniæ iure restituisses, regiâ liberalitate fundasti, & in illis, vt Societatis nostræ Præceptores iuuentutem erudirent, curasti. Vigebit semper & nomen tuum amplissimâ Cardinalatus & Varmiensis Episcopatus dignitate, præcipuè verò sanctimoniâ vitæ, celeberrime Stanislae Hosi, qui in Concilio Tridentino legatus Pontificius, cùm Societatis nostræ homines agnouisses, primus eos in Poloniam aduocasti, & Bransbergæ collocatis, Collegium, in quo illi instituendæ iuuentuti operam darent, extruxisti. Suaue & iucundum esset, memorare alias Academias, & alia Collegia, simulque eos, à quibus, vtpotè à primis suis fundatoribus prodierint. Sed quia non paruo sunt numero, si recenserentur, multùm subsequentia retardarentur, idcircò recensendis illis supersedeo.

Stephanus Bathoreus quatuor Collegiorum auctor.

Stanislaus Hosius nostræ Societatis homines in Poloniam primus adduxit, & Bransbergæ collocat.

Quid verò isti spectârunt, cùm non sine magnis impensis, literarum domicilia struerent, stabilirent, dotarent? Hoc proculdubiò, vt ignorantia, mater omnium vitiorum à S. Bernardo superiùs vocata, exterminetur, & si fieri posset, nullus reperiatur, qui dicere queat, quod ex persona ignari S. Augustinus scripsit: Nesciui, non audiui, non intellexi. Vbi enim artium & Musarum Christianarum studia vigent, i bi facilè acquiritur scientia omnium, quæ scire debet, quisquis cum tenebris internis in tenebras exteriores proijci nolit. Quocirca laudabiliter Carolus V. Imperator curabat, vt qui Gymnasijs præessent, officio suo magnâ cum diligentiâ

Aug. lib. de gratia & libero arbitr. cap. 3.

funge-

fungerentur. Fertur enim in qualibet ciuitate, quam lustrabat, tria P.P.P. quomodo haberent, interrogasse, nempe Prætor, Pastor, Præceptor. Idem quælibet Respublica curare debet. Nam vt auctor Politicus scripsit, quinq; declarant Rempublicam benè aut malè habere: Ædes precum, Curia, Schola, Forum, Horologium: prout hæc benè ant malè habent, & reguntur. *Corn. in 3. Isaiæ ℣. 3.*

CAPVT NONVM.

Negligens custodia cordis, peccatorum Duodecima radix.

QVantæ excubiæ & custodiæ circa cor humanum debeant esse, quis sufficienter explicet? Nam imprimis cor ipsum diligenter excubare, & seipsum accuratè custodire debet. Videtur id lingua Hebræa significare vocabulo SECVI quo illa interdum, & cor, & gallum gallinaceum appellat. Exemplo est locus ille apud Iobum: *Quis dedit gallo intelligentiam?* Vbi ex Doctoribus Hebræorum aliqui vertunt: Quis dedit cordi intelligentiam? quasi ipso vocabulo, cordi & gallo communi, cor admoneatur de vigilantia, quæ maximè in gallo apparet. Et idcircò Plinius gallos gallinaceos vocat vigiles nocturnos, hominum genus ad vigilandum excitantes. Sic enim ait: Gloriam sentiunt & hi nostri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoque somno, natura genuit. Nôrunt sidera, & ternas distinguunt horas interdiu cantu. Cum sole eunt cubitum: quartaque castrensi vigilia ad curas laboremque reuocant. Nec solis ortum incautis patiuntur obrepere, diemque venientem nuntiant cantu, ipsum verò cantum plausu laterum. Vna eademq; vox & cor & gallum Hebræis significat. *Iob 38. ℣. 36.* *Plinius lib. 10. cap. 21.* Galli sunt nocturni vigiles.

Quia

Quia verò dictæ vocis Hebrææ SECVI gallum & cor significantis radix SACAH significat Aspicere, etiam sic commendatur cordi vigilantia, cùm ipsum sit, quasi quidam speculator, ad quem pertineat, veluti ex specula eminus prospectare, ne aliquid mali, animarum hostes moliantur. Et quidem si officio suo cor satisfaciat, iure illa verba Isaiæ vsurpare potest: *Super speculam Domini ego sum, stans iugiter per diem: & super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus.* Nec parum in hoc speculatore situm. S. Cyprianus vel alius eius nomine auctor, in libro de montibus Sina & Sion narrat, vsitatum olim fuisse, vt cùm dies vindemiæ appropinquarent, possessores vinearum, haberent in medio earum quadratam & altam speculam, in eaque custodem seruarent, cuius esset à direptione racemorum furem deterrere inclamando: Rectùm ambula. Atqui vitæ singulorum hominum, inquit Honorius, vineæ à simili dicuntur: quia sicut vinea circumsepta est maceria, sic corpore circumdata est anima: & sicut vineæ sunt palmites fructum ferentes: sic sunt in anima cogitationes opera proferentes. His ergo vineis opus est speculatore, id est corde vigili, quod tartareos fures fructibus earum, id est, virtutibus insidiantes abigat, & recta in Orcum abire iubeat. Proinde aptè huc adduxeris illud Dei monitum: *Statue tibi speculam: pone tibi amaritudines: dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti.*

Cor est quidam speculator.

Isaiæ 21. ℣. 8.

Cyprian. de mont. Sina & Sion.

Honor. in cap. 2. Cant.

Ierem. 31. ℣. 21.

Præterea cùm illa eadem radix SACAH non tantùm aspicere, sed & pingere significet, non leuiter & hac ratione excitatur cor ad vigilandum, & se custodiendum: quandoquidem est pictor, cuius sit bonas duntaxat imagines pingere & æternitate digniores, quàm fuerint illæ, quibus gloriando dicebat Zeuxis: Diu pingo, quia æternitati pingo. Exemplar talium bonarum imaginum ipse Deus proposuit, de cuius pictura, sic S. Ambro-

Cor est pictor.

Ambrosius scripsit: Illa anima à Deo pingitur, quæ habet in se virtutum gratiam renitentem splendoremque pietatis. Illa anima benè picta est, in qua est splendor gloriæ, & paternæ imago substantiæ. Secundùm hanc imaginem, quæ refulget, pictura pretiosa est Adam ante peccatum: sed vbi lapsus est, deposuit imaginem cœlestis, sumpsit terrestris effigiem.] Atque hanc terrestris hominis effigiem imitatione exprimendam, cùm Diabolus malitiosè proponat, imaginem autem cœlestis deformare, imò & abolere pertinaciter studeat: quomodo cor non aduigilet, ne prauas imagines pro rectis pingat, & à beatitudine cœlesti excluſum, simul cum pictura sua disperdatur. Propterea S. Ambrosius ibidem ait: Fugiamus imaginem terrestris, quæ intrare ciuitatem Dei non potest, quia scriptum est: *Domine, in ciuitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges.*

Ambr. lib. 6. Hexam. cap. 7.

Quæ anima à Deo pingitur.

Psalm. 72. ℣. 20.

Jam verò quàm grauiter vnumquemque hominem, vt cor suum diligenter custodiat, adhortantur illa Dei verba: *Omni custodiâ serua cor tuum?* Quorum nonnulli interpretes docent, hoc Deum velle, vt in custodiendo corde, nullam custodiam omittamus, quam aliquando circa rem quampiam laudabiliter adhibitam esse nouerimus. Exempli gratiâ. Nouimus ab ipso Deo, ad custodiendum paradisum, datum fuisse primum hominem Adamum, iuxta illud sacræ Scripturæ: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Cùm autem peccatum admissum, ex paradiso hunc custodem eiecisset, alium statim prouidit Deus. Nam eadem Scriptura teste: *Collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.*

Prouerb. 4. ℣. 23.

Genes. 2. ℣. 15.

Ibid. ℣. 24.

Hæc porrò notitia, quæ à nobis, vt dixi, habetur, coniungi debet cum hac praxi, vt si cor nostrum sedulò custodire volumus, custodes illos, quos assignat S. Bernardus,

Bernard. serm. 29. parvor. & Car.

nardus, procuremus. Hic enim vir sanctus docet, ad portam memoriæ debere excubare ianitorem seu custodem, cuius nomen est Recordatio propriæ professionis: vt cùm turpibus sese cogitationibus sensérit animus prægrauari, increpet se, & dicat sibi: Tunè hæc debes cogitare, qui Sacerdos es? qui Clericus es? qui Monachus es? Cultor iustitiæ in se debet huiusmodi quicquam admittere? decet seruum Christi, amâtorem Dei, tale aliquid vel ad modicùm meditari?] Ad portam voluntatis, in qua solent manere carnalia desideria, tanquam in domo domestica familia, dicit vir sanctus debere statui ostiarium, qui vocatur Recordatio cœlestis patriæ. Hic enim potest prauum desiderium, quasi cuneus cuneum expellere, & ipsum, qui ait: *Ecce sto ad ostium & pulso*, sine cunctatione recipere. Ad portam rationis talem & tam ferocem adhibendum esse custodem ait, qui nemini parcat; sed quicunque hostis siue clam siue palàm ingredi præsumpserit, procul eum arceat: & talis sit Recordatio Gehennæ.] Ita S. Bernardus: & quidem ad custodiam paradisi concinnè alludens, bonosq; cordis custodes proponens. Neque verò quicquam à custodia cordis recedimus, cùm trium animæ potentiarum custodes recensemus. Agimus enim de corde animæ, seu de anima, cui dictæ potentiæ insunt, quæ cùm custodiuntur, cor seu anima custoditur.

Ad portas memoriæ, voluntatis & rationis qui custodes statuendi.

Alij custodes cordis proponuntur.

Ludouic. de Ponte tract. 4. Duc. Spir. cap. 14.

Bonos etiam custodes cordis assignat Ludouicus de Ponte, quorum primus est Prudentia, cui ex officio incumbit, circa cor vigilare, & mox atque hostis apparuerit, signum dare, vt virtutum milites ad resistendum & repellendum illum, se accingant. Imò ne inter hos ipsos milites ordo turbetur, ad eandem prudentiam spectat, instar strenui ducis illos dirigere & gubernare. Quod cùm benè intelligeret Magnus Antonius, prudentiam, teste Cassiano, cæteris virtutibus moralibus præ-

Cassi. collat. 2. c. 4.

ferebat,

ferebat, eamq; omnium virtutum generatricem, gubernatricem, & custodem vocabat. Tali prudentiâ excellebat. B. Iuniperus, qui interrogatus, quanam ratione munditia cordis feliciter conseruari possit, ne ab inimico castitatis inquinetur, respondit: Ego cùm procul aduentantem hunc inimicum prospicio, portas animi bonis desiderijs sanctisque cogitationibus occludo, & interiùs sublata voce: Procul, procul, exclamo: occupatus est diuersorij locus. *Sur. in Vita S. Aegidii.*

Secundus custos est zelus puritatis, planè commemorato Cherubino, paradisi custodi, simillimus. Habet enim gladium flammeum & versatilem, vt & ille habuit; gladium, inquam, igne flagranti, munditiæ interioris amore accensum, quo prauas appetitiones carnis & recidit & exurit, illamque victoriam reportat, quam S. Cyprianus sic celebrat: Nulla maior est victoria, quàm ea, quæ de cupiditatibus refertur. Qui hostem vicit, fortior fuit, sed altero: qui libidinem repressit, seipso fortior fuit. Qui inimicum prostrauit, externum hostē percussit: qui cupiditatem depressit, hostē domesticum superauit.] *Cyprianus de bono pudicitiæ.*

Quapropter iustè hunc gladium commendat idem sanctus Cyprianus, vocans eum seueritatis gladium, triumphatorem, & dissolutionis occisorem.] Commendat & S. Hieronymus, appellans eundem & Christi & pudicitiæ gladium. Explicans enim illud Psalmi: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime*, ita Principiam Virginem alloquitur. Arbitror te accinctam Christi gladio militari. Vt autem scias semper virginitatem gladium habere pudicitiæ, per quem truncat opera carnis, & superat voluptates, Gentilis quoque error Deas, virgines finxit armatas.] Adhæc iustè cordis nominatus custos, scilicet zelus puritatis, tali gladio accinctus, reponi debet in numero illorum custodum Salomonis, quos laudans sacra Scriptura ait: *En lectulum* *Idem lib. de singul. Clericor.* *Hieron. Epist. 140. ad Principiam.* *Psalm. 44. ℣. 4.* *Cant. 3. ℣. 7. & 8.*

Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israël; omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos.

Cromer. lib. 5. in Boleslao.

Tertius custos est cogitatio præsentiæ Dei. De Boleslao Vladislai I. Poloniæ Principis filio, refert Cromerus, quòd solitus fuerit gestare de collo suspensam in pectus auream laminam, in qua nomen & imago Patris insculpta erat. Hoc autem faciebat, vt memoriam Patris continuò sibi refricaret, & quidquid ageret vel loqueretur, sic se in omnibus, quasi omnia inspiciente & exaudiente Patre gereret. Ita fiebat, vt hæc continua mortui Patris repræsentatio, à multis vitijs iuuenem retraheret, & propter multas virtutes, præcipuè verò propter singularem modestiam & verecundiam, omnibus amabilem redderet. Tantum potuit efficere imago patris mortui in superstite filio: quidni longè maiora præstare possit in omnibus præsentia Dei semper viuentis & vbique præsentis?

Psalm. 104. ℣. 4. August. ibid. Psalm. 82. ℣. 14. & 67. ℣. 3.

Experiebatur efficaciam huius præsentiæ Rex Dauid: ideoque vt eam semper ob oculos habeamus monebat: *Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius semper.* Explanat hæc verba S. Augustinus & ait: Quæ est facies Domini, nisi præsentia Dei? *Sicut facies venti & facies ignis.* Dictum est enim: *Sicut stipulam ante faciem venti. Et sicut fluit cera à facie ignis.* Et multa alia ponit Scriptura, nihil aliud, quam earum rerum præsentiam volens intelligi, quarum nominat faciem.

Ephram. lib. de virtute cap. 10

Quid de eadem efficacia senserit S. Ephræm, hæc eius verba demonstrant: Nihil peius grauiusq; quàm ipsius Dei obliuionem capere. Continuâ enim Dei recordatione turpes animæ passiones recedunt, instar malefi-corum Prætore accedente: vnde & mundum Spiritus S. habitaculum efficitur. Vbi verò Dei memora abest, ibi tenebræ cum fœtore dominantur, omnisque res improba exer-

ba exercetur. Dignum notatu & illud S. Chrysostomi: Si cogitauerimus Deum vbiq; præsentem esse, omnia audire, omnia videre, non solùm quæ opere fiunt, & quæ dicuntur, sed & quę in corde sunt omnia, & quę in profundo sunt animi (iudex enim est cogitationum & consiliorum cordis) si ita nos disposuerimus, nihil mali faciemus, nihil mali dicemus, nihil mali cogitabimus. *Chrysost. Hom. 8. in Epist. ad Philip.*

Quartus custos timor Dei, quo homines perterreri vtile esse, illo eodem gladio Cherubini commemorati, satis ostensum fuit. Nam ideò etiam tàm terrificus gladius ante oculos hominum manu Angeli vibrabatur, vt statim ab initio mundi, omnes discerent timere Deum, qui milites suos gladijs versatilibus & ancipitibus, id est, vtrinque acutissima acie, & ad feriendum acerrima præditis, flammas item longè lateque spargentibus, instructos habeat.

Jdem timor incutiebatur, etiamsi quispiam à communi sententia tot & tantorum auctorum assensu comprobata recedens, cum Theodoreto & Procopio Gazæo sentiret, ea, quæ Moyses de Cherubim & gladio flammeo tradidit, non historicè & propriè, sed figuratè & mysticè accipienda esse. Audi verba Procopij, quæ omnia ferè ex Theodoreto exscripsit: Nec gladius ignitus aderat reuera, nec etiam Cherubim. Solum itaq; Adamum exterrebant terribiles & horrendæ quædam visiones. Alicubi apparebat ignis terrorem inijciens: alibi ignis, coruscans in formam gladij ancipitis, videbatur. Metum incutiebant ex alijs locis species quædam animalium horribiles. Nec enim sub dictione Cherubim intelligendæ sunt spirituales & inuisibiles virtutes: siquidem inuisibiles creaturæ non conducebant Adamo, sed indigebat creaturis visibilibns & sensibilibus, à quibus doceretur & institueretur.] *Theodor. q. 40. in Genes. Procopius Gaz. in 3. Genes.*

Quid verò vtilitatis iste custos, scilicet timor

Dei afferar, patet ex illa Dauidis precatione: *Confige timore tuo carnes meas.* Illustrans eam S. Basilius inquit: Quemadmodum qui corporis membra habet clauis affixa, ad actionem quamlibet, immobilia ea retinet: sic ij, quorum animam occupauit Dei timor, omnem prorsus importunam peccati & obstreperam occasionem vitant. Patet quoque ex his S. Chrysostomi: Vbi timor est, liuor non est, vbi timor est pecuniarum amor non vexat. Vbi timor est, extinctus furor est, cupiditas improba correpta, omnis irrationabilis passio exterminata. Et sicut in domo stante milite semper armato, non latro, non fur, non alius quis talia mala patrantium, apparere propiùs audebit: sic & metu animas nostras detinente, illiberalium nulla perturbationum facilè nobis subrepit, sed omnes fugiunt, & pelluntur timoris imperio vndique exactæ.]

Psal. 118. ℣. 120.
Basil. in Psal. 33.

Chrysost. Hom. 15. ad popul.

Timor Dei quàm vtilis.

Quocirca dubium non est, bonos esse quatuor istos custodes, & ad hoc sufficientes, vt per eos cor à peccatis illæsum conseruetur.

At vitio ipsius hominis sæpè euenit, vt hi custodes ad cor non adhibeantur, & loco illorum, custodia eius imbelli alicui & somniculoso Endymioni, vel potiùs meræ inertiæ & ignauiæ committatur. Comparat talem hominem S. Gregorius cum Isboseth, de quo sacra Scriptura hæc narrat: *Venientes igitur filij Remmon Berothitæ, Rechab & Baana, ingressi sunt feruenti die domum Isboseth, qui dormiebat super stratum suum meridie. Et ostiaria domus, purgans triticum obdormiuit. Ingressi sunt autem latenter, assumentes spicas tritici, & percusserunt eum in inguine.* Inquit ergo S. Doctor: Ostiaria triticum purgat, cùm mentis custodia discernendo, virtutes à vitijs separat. Quæ si obdormierit, in mortem proprij Domini sui insidiatores admittit: quia cùm discretionis solicitudo cessauerit, ad interficiendum animum malignis spiritibus

Greg. lib. 1. Moral. cap. 36.
2. Reg. 4. ℣. 5.

Hominis cor suum negligenter custodientis imago Isboseth.

bus iter pandit. Qui ingressi spicas tollunt: quia mox bonarum cogitationum germina auferunt: atque in inguine feriunt: quia virtutem cordis, delectatione carnis occidunt. In inguine quippe ferire, est vitam mentis, delectatione carnis perforare. Nequaquam verò Isboseth iste, hac morte succumberet, si non ad ingressum domus mulierem, id est, mollem custodiam ad mentis aditum deputasset. Fortis namque virilisque sensus præponi cordis foribus debet, quem nec negligentiæ somnus opprimat, nec ignorantiæ error fallat.]

Sed nondum eò infelicitatis cor deueniat, vt illud sui hostes perimant. Quò tandem amotis illis custodibus non euagabitur? quæ loca non circumcursabit? Si ad veritatem consonè loqueretur, fateretur suas esse illas voces à S. Bernardo expressas: Velocitas animalium & volatilium meis motibus æquiparari non potest. Cogitationes meas, non est qui possit comprehendere. Desideriorum meorum non est modus. Nunc illa, nunc ista cogito & desidero: nec ista, nec illa habere possum. Dum corpore vaco, cogitationibus per diuersa loca vagor. Nullâ horâ, nullo temporis momento quiesco, sed in momento, in ictu oculi, per multa spatia locorum discurrens, nouas creaturas creo, & iterum easdem eadem facilitate deleo, vel alio atque alio modo multipliciter vario.]

Bernard. de inter. domo cap. 16.

Cor humanum, quam sit vagum.

Cum autem cor ad hunc modum vagatur, facilè efficit, vt totus homo tædium quietis concipiat, & in numerum illorum se inserat, de quibus Petrus Damianus scripsit: Morbo vagationis quidam laborantes, inutiliter huc illucque discurrunt, & velut malis Vertumnis obnoxij per impatientiam non quiescunt. Qui sunt Vertumni, explicat alibi dicens: Etiam ipsis sanctissimis Eremitis quidam videntur admixti, quos idem pestiferæ vagationis morbus exagitat, etsi dicere liceat; quasi

Eius incommoda multa.

Damian. Epist. 99.

Idem Opusc. 12. cap. 24.

quasi Vertumnus, quoddam scilicet Dæmoniorum genus, vexat. Vertumni siquidem apud antiquos dicebantur Dæmones, quorum instinctu homines in vertigine positi, reddebantur instabiles.

Quid dicam de omnibus quinque sensibus externis, quàm licenter & ipsi quoquouersum vagentur: vbique morbos animæ contrahentes, vbique in varias occasiones malorum incidentes: & tandem, vt annotauit S. Antoninus, fiunt instar illarum quinque probaticæ piscinæ porticuum, in quibus, teste S. Ioanne Euangelista, *Iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum.* Communiter enim vix inuenitur aliquod peccatum, quod vel ad visum, vel ad auditum, vel ad odoratum, vel ad gustum, vel ad tactum, non pertineat. Fiunt etiam similes illis quinq; regibus, qui contra Iosue pugnârunt. Nam & prædicti sens⁹ liberâ & frequenti euagatione contumaces facti, animæ repugnant, certam illi perniciem allaturi, nisi eos ratio comprimat, & vt S. Antonin⁹ inquit, cruce modestiæ & austeritatis mortificet.

Anton. 1. P. Sum. Theol. tit. 2. cap. 3.

Ioan. 5. ℣. 3.

Prorsus instar Iosue, qui cùm ab eo quinque reges victi & fugati, in quadam spelunca vrbis Macedasese abdidissent, dicebat militibus suis: *Voluite saxa ingentia ad os speluncæ, & ponite viros industrios, qui clausos custodiant.* Deletis autem reliquijs hostilis exercitus, iussit illos reges educi, calcatosque à primarijs viris, super quinque stipites, siue cruces suspendi. Quod & factum, manseruntque vsque ad vesperum suspensi. Possent ijdem externi sensus comparari cum quinque satrapis Philistinorum, quos Deus reliquerat, vt, sicut sacra Scriptura loquitur, *Erudiret in eis Israëlem, & omnes qui non nouerant bella Chanaæorum: vt postea discerent filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi.*

Iosue 10. ℣. 18.

Iudic. 3. ℣. 1. 2. 3.

Quid igitur mirum, si isti homines corde, sensibus, & toto corpore vagi, in retia venatoris animarum,

à S. Ber-

S. Bernardo multis descripti cadant? Eos enim potissimùm, quorum cor, sensus, & totum corpus vagari solet, in eius retia cadere, docet S. Rex Dauid illis verbis: *Cadent in retiaculo eius peccatores: singulariter sum ego, donec transeam.* Vbi per pronomen, Eius, licet S. Chrysostomus & Theodoretus intelligant Deum, cui non desunt retia, quibus peccatores capiat, captosque ad supplicium, quod merentur, pertrahat: Alij tamen cum sancto Hilario intelligunt Diabolum, qui ita de se ipso apud auctorem Operis imperfecti loquitur: Tria hæc retia habeo extensa super omnem mundum, vt quisquis euaserit de retibus gulæ, incurrat in retia vanæ gloriæ: qui euaserit de retibus vanæ gloriæ, incidat in retia auaritiæ. De his tribus retibus nullus hominum ad perfectum euasit: & si euasit, non integer, sed contritus euasit.] Tria tantum retia memorat Diabolus, qui innumera habet, quòd hæc magis generalia sint.

Bernard. serm. 3. sup. Qui habitat.

Psal. 140. ℣. 10.

Chrysost.

Theodoret.

Auctor Oper. imp. in Matth. Hom. 5.

Tria retia Diaboli.

Causam porrò, propter quam communiter homines in retia Diaboli cadant, hanc tradit Rex sanctus, quòd singulariter non sint: sicut quia ipse post suos priores lapsus cautior factus singulariter erat, ideò multa se Diaboli retia euasisse ait, & deinceps euasurum, donec, ex hoc mundo ad feliciorem vitam transeat.

Chrysost ibidem.

Quid verò sit singulariter esse, S. Chrysostomus explicat. Et primò quidem duplicem horum verborum Dauidis, versionem ponit. Nam pro, *Singulariter ego sum*, quidam vertunt, Simul ego sum, vt & Pagninus vertit, insistens vocabulo Hebræo IAHAD. Quidam verò imitando Septuaginta interpretum nomen Græcum καλαμόνας, verterunt, Solitarius, vel, solus habitans ego. Deinde vtramque versionem Dauidi accommodans, dicit eum fuisse simul, hoc est, compactum, coniunctum, non dispersum, siue corpore quietum, & animo collectum: fuisse quoque solitarium, solum, & singularem,

Singulariter esse quid sit, & quàm vtile.

hoc est, ab omni cum improbis commercio separatum. Tum in laudes talium virtutum exurgens S. Doctor exclamat: Hoc est murus, hoc propugnaculum, hoc virtutis incrementum, malos fugere, coactum & constipatum apud se consistere, toto vitæ tempore, & ab ijs, qui corrumpunt, seiunctum habitare. Solitudo enim non facit esse solum, sed mens, quæ tenetur amore & studio sapientiæ. Ita etiam qui habitant in medijs vrbibus, foris, & strepitibus, poterunt esse singulares homines, dum corruptos cœtus fugiant, & se iustorum concilijs adiungant. Hæc S. Chrysostomus.

Cor malum septuplex.

Præterea quid mirum, si dictum cor omnem bonitatem deperdat, & loco eius omnes proprietates cordis mali acquirat? Recenset eas S. Antoninus, & ibidem septuplex cor malum ex sacra Scriptura proponit. Vltimum vocat Induratum, cuius hoc quoque proprium sit, cumulum culpæ & pœnæ adaugere, vel, vt S. Paulus ait, *iram in die iræ thesaurizare.* Ad quem gradum malitiæ facilè solet cor delabi, ad cuius custodiam non aduigilatur. Sensim enim tantoperè induratur, vt quemadmodum S. Bernardus scripsit, nec compunctione scindatur, nec moueatur precibus: inuerecundum fiat ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futura non prouidens, & tandem nec Deum timeat, nec hominem reuereatur. Sensim quoque aptum & habile efficitur, vt, secundùm Christi verba, *exeant de eo cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.*]

Anton 1. p. Sum. tit. 4. cap. 13. §. 3.

Roman. 2. ℣. 5.

Bernard. lib. 1. de Considerat. cap. 2.

Matth. 15. ℣. 19.

Ecce cor, quod S. Paulus docet esse domum Dei, cùm Ephesijs optat, vt Christus habitet per fidem in cordibus eorum, quàm horrenda fit latronum spelunca, cùm ab eo custodes supra positi fuerint amoti: qui quamdiu ad cor excubabant, habebat in illo Deus

Ephes. 3. ℣. 17.
Matth. 2. ℣. 13.

instar

instar Elisæi, lectum quietis & pacis, candelabrum fidei lucentis, mensam charitatis, quâ pasceretur, sellam fiducię vel spei, cui insideret. 4. Reg. 4. ℣. 10. Ecce cor, nullos custodes habens, teterrimos odores exhalat, quod conuenienti custodia septum, vocat S. Gregorius aureum thymiamatis altare, & vt semper bonum odorem afflet, ignemque amoris Dei conseruet, hortatur. Alludens enim ad ea, quæ de altari thymiamatis in sacra Scriptura traduntur, inquit: Altare aureum, in quo thymiama incenditur, ante velum est: quia Sanctorum corda, quæ cum magnis virtutibus in Dei amore succensa sunt, per sanctum desiderium in illo ardent, quem adhuc reuelata facie videre non possunt. Inter arcam quippe & altare velum est: quia hoc, quod nos adhuc à visione Dei separat, corruptionis nostræ obstaculum remotum non est. Sed quousque ante velum sumus, oportet, vt quasi thymiamatis incensum flamma amoris ardeamus.] Greg. Hom. 6. in Ezech. Ecce cor, quod à S. Augustino cœlum appellatur, sublatis ab eo omnibus vigilibus & excubijs, simillimum efficitur inferno, in quo, vt S. Bernardus ait, solum peccatum est & pœna peccati. Approbat id ille locus Apocalypsis, in quo Episcopus Pergami dicitur habitare, vbi est sedes, vel vt Græcè legitur, thronus Satanæ. Cùm enim infernus sit sedes, & thronus Satanæ, satis indicatur infernum esse corda improborum, inter quos dictus Episcopus eo tempore habitabat. Augustin. serm. 44. de temp. Bernard. de Verb. Origen. Apocal. 2. ℣. 13.

CAPVT DECIMVM.

Negligens custodia oris & linguæ, peccatorũ Decimatertia Radix.

Iacob. 3. ¥. 5.

Lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat, inquit S. Iacobus Apostolus. Quorum verborum interpretes communiter dicunt, vitium iactantiæ ab Apostolo illis perstringi. Sæpè enim lingua, res paruas, magno sermonis apparatu, & vt Horatius dixit, sesquipedalibus verbis, in altum attollit. Quale vitium etiam illi antiqui Ethnici detestabantur, apud quos celebre fuit monitum: *Ne magna loquaris.* Et qui secus faceret, hunc grandia & magnifica loqui, vel etiam tragicum spirare, & tragicè loqui dicebant. Detestabantur autem hoc vitium propter Deam Nemesim, quam illi omnis iactantiæ & grandiloquentiæ seueram vltricem esse fingebant. Deinde, quòd scirent rebus dictionem accommodari debere. Dictio enim est tanquam vestis in corpore, inquit Clemens Alexandrinus: vestis verò magnitudini corporis aptanda est, vt longior vel breuior non sit, quàm staturæ ratio postulet. Ideoque prudenter Lacedæmonij, teste Plutarcho, Ctesiphontem, quòd gloriaretur se de re qualibet totum diem posse dicere, ex vrbe eiecerant, boni Oratoris esse dicentes, rebus sermonem parem habere. Prudenter & Agesilaus celebrante quopiam Oratorem, quòd exiguas res mirificè amplificare sciret, dixit: Ego ne sutorem quidem arbitrarer bonum, qui paruo pedi magnos calceos inducat.

Horat. in art. Poëtica.

Antiquum monitum: Ne magna loquaris.

Dictio rei accommodari debet.

Clemens Alexand. lib. 1. Strom.

Plutarch. in Apophteg. Lacen.

Sed maius quiddam S. Apostolus in suis verbis intelligendum proponit, quàm vt eum, solam linguæ iactantiam, & nimiam rerum paruarum exaggerationem voluisse perstringere, credamus. Potiùs verba eius hoc sonant, quòd lingua, licet sit parua, efficiat tamen & operetur magna, præsertim mala, nisi homo ab ea caueat, & custodiâ se muniat. Hinc illud D. Bernardi: Lingua modicum est membrum, sed nisi caueas, magnum malum. & illud S. Nazianzeni: Lingua quidem parua est, at viribus omnia vincit.

Lingua licet sit parua, magna tamen operatur mala.

Bernard. serm. de custodia linguæ, & manus, & cordis.

Nazian. in carm. de silent.

Hanc.

Hanc linguæ efficaciam cùm videret ac timeret Dauid, orabat Deum: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis.* In qua oratione obseruat S. Chrysostomus non pauca, & quæ vt nos etiam obseruemus, dignissima. *Psalm. 140. ℣. 3.* *Chrysost. in eundem Psalm.*

Primùm. Quòd Rex prudens, multis rebus, quæ communiter à mortalibus expetuntur, custodiam oris prætulerit. Vide, ait Chrysostomus, quodnam primum affert Dauid postulatum, & quamnam supplicationem. Non dixit enim, da mihi pecunias; Da mihi honores, qui sunt apud homines; da mihi victoriam aduersus inimicos; da mihi liberos: Nihil horum; sed hæc omnia sinens humi iacere, ea petit, quæ à Deo dari digna sunt. & paulò post: Vidisti prudentiam, vidisti sapientiam, & vndenam postulationem incipiat? Ab eo, quod est eorum, quæ rectè ex virtute fiunt, maximum, & est omnium malorum causa, si negligatur: quemadmodum bonorum, si in eo cura ac studium ponatur. Mala enim innumerabilia parit linguæ facilitas ac leuitas: quemadmodum rursus bona, cautio & securitas.] Oris custodia multis rebus præferenda.

Secundùm. Quòd Dauid, ad os vt custodes ponerentur, iustè orauerit. Nam quemadmodum, verba sunt S. Chrysostomi, nihil iuuat domus, non vrbs, non mœnia, non portæ, non ostia, nisi sint, qui ea custodiant, & sciant, quando oportet ea quidem claudere, quando verò aperire: ita etiam oris & linguæ nulla est vtilitas, nisi sit ratio, cui scienter, accuratè ac circumspectè ea claudere & aperire permissum sit, & sciat, quæ sint efferenda, quæ verò retinenda. Qui autem sunt custodes oris, ibidem S. Doctor narrat. Nam præter rationem, hos quoque custodes memorat. Inprimis sermonem de rebus bonis, quales potissimùm Scriptura sacra suppeditat. Adductis enim ex Ecclesiastico verbis: *Omnis enarratio tua sit in lege*, vel, vt vulgata versio habet, In oratione postulanda. *Eccles. 9. ℣. 23.*

habet. In præceptis Altissimi, ait: Si enim didiceris nihil loqui superuacaneum, sed diuinarum Scripturarum narratione mentem & os tuum perpetuò munias, erit custodia quouis adamante tutior. Deinde cogitationem, quàm grauiter ignis gehennæ cruciaturus sit omnes, qui ore, temerè vsi fuerint. Tum recordationem illorum verborum Christi: *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Postremò, reuocationem animi ad peccatum primorum parentum, quod ab ore malè custodito initium habuit. Nisi enim mulier, inquit Chrysostomus, locuta fuisset cum serpente, vt locuta est; nisi verba dixisset, quæ ei minimè conueniebant, damnum non accepisset, viro non dedisset, ille non comedisset.

Matth. 12. ℣. 36.

Ab ipso Deo petenda.

Tertium. Quòd directè â Deo custodiam oris sui Dauid petierit. Nimirum sciebat homini, absque peculiari auxilio Dei, non esse eas vires, vt linguam suam ab omni peccato custodire possit. *Hominis enim est, animam præparare, & Domini gubernare linguam,* vt filius Regis nominati scripsit. Quod etiam S. Iacobus loco supra citato docuit: *Omnis, inquit, natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cæterorum domantur, & domita sunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest.* Quem locum sic S. Augustinus confirmat: Homo domat feram, non domat linguam. Domat leonem, non refrenat sermonem. Domat ipse, & non domat seipsum. Domat quod timebat, & vt se domet, non timet, quod timere debebat. Et paulò post: Si linguam nullus hominum domare potest, ad Deum confugiendum est, qui domet linguam nostram. Si enim tu eam domare volueris, non potes, quia homo es. Linguam nullus hominum domare potest. Attendite similitudinem ab ipsis bestijs, quas domamus. Equus non se domat: camelus non se domat: elephantus non se domat:

Prouerb. 16. ℣. 1.

August. serm. 4. de Verbis Domini.

aspis-

aſpis non ſe domat; leo non ſe domat: ſic & homo non ſe domat. Sed vt dometur equus, bos, camelus, elephantus, leo, aſpis, quæritur homo. Ergo Deus quæratur, vt dometur homo.]

Multa exempla ad confirmandum eundem locum, ſolent afferre explanatores eius, & inter alia memorant leones, qui, vt refert Plinius, ciuili bello, cùm dimicatum eſſet in Pharſalicis campis, currum M. Antonij traxerunt. Elephantes, qui Africo triumpho Pompeium magnum, loco equorum vexerunt. Pantheram, cuius catulos, cùm Democritus Phyſicus ex fouea exemiſſet, id gratiæ retulit, quòd ab ea læta & geſtiente per totam ſolitudinem deductus fuerit, ne ſi ſolus iret, ab aliqua ferarum læderetur. Rhinocerotes, quos tempore Domitiani aduectos, & ſuis magiſtris morigeros, Roma ſpectauit. Aſpidem immaniſſimam, à quodam in Ægypto domitam, quæ quotidie de cauernâ ſuâ ad menſam eius prodibat, & ordinariam annonam percipere ſolebat. Delphinum, qui per aliquot annos puerum, à quo alebatur, Puteolos per magnum æquor, ad literarium ludum in ſuo dorſo ferebat, vt rurſus de ludo redeuntem referebat. Aquilas & alias volucres grandes, quarum aucupio ad voluntatem & animi voluptatem, vſi ſunt homines, & etiamnum vtuntur. Vnde illud Prophetæ Baruch: *Vbi ſunt principes Gentium, & qui dominantur ſuper beſtias, quæ ſunt ſuper terram, qui in auibus cœli ludunt.* Omnia ergo humana induſtria domantur, linguâ excepta, cuius verum & potentem domitorem eſſe, ſoli Deo competit. Innuiſſe hoc videntur illi Gentiles, qui pecudum ſacrificatarum linguas, Dijs ſuis immolabant.

Plinius lib. 8. cap. 16.

Idem cap. 11. l. 10.

Idem cap. 17.

Sueton.

Plinius lib. 10. cap. 74.

Plinius lib. 9. c. 8.

Baruch. 3. ℣. 16.

Quartum. Quòd Rex Dauid, non murum, vel parietem, ſed oſtium, labijs ſuis dari petierit, quod ſcilicet partim claudi, partim aperiri poſſet. Cauſam apponit

Os debet habere oſtium, quod partim claudatur, partim aperiatur.

Chrysost. supra cit. ponit S. Chrysostomus: Nonnunquam enim silentium est loquelâ vtiliùs, quemadmodum loquela quoque si-

Eccles. 3. ℣. 7. lentio. Et ideò dicebat ille sapientissimus: *Tempus tacendi, & tempus loquendi.* Si enim oporteret ora perpetuò patere, non factæ essent portæ. Si autem perpetuò clausa esse, non esset opus custodia. Quod enim clausum est, cur quis custodierit? Sed propterea sunt portæ & custodia, vt faciamus singula tempore conuenienti.

Obseruationi S. Chrysostomi simillima est hæc

Greg. 3. part. Pastor. cur. admonit. 15. S. Gregorij, circa illa eadem Dauidis verba: Non parietem, inquit, poni ori suo, sed ostium petit, quod videlicet aperitur & clauditur. Vnde & nobis cautè discendum est, quatenus os discretè & congruo tempore vox aperiat, & rursum congruo taciturnitas claudat. Quocirca vtrumque est hominis, etiam iusti, & tacere, & lo-

Matth. 22. ℣. 34. qui, vt scitè annotauit Origenes. Expendens enim silentium quòd Christus Sadducæis imposuerat, inquit: Iustus tacet quidem, sciens tempus tacendi, non autem obmutescit. Paucis interiectis, subdit: Ideò & Dominus

Marci 4. ℣. 39. *Luca 4. ℣. 34.* non homini dixit, sed mari: *Tace, obmutesce,* Benè verò simul dictus Origenes commemorasset, quomodo idem Christus Diabolo quoque silentium imperauerit. Cùm enim is voce magna clamasset: *Sine, quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos? scio te quis sis, Sanctus Dei,* increpauit illum Iesus, dicens: *Obmutesce.* Nimirum rebus sensu & ratione carentibus, Diabolo item pertinacissimè peccato adhærenti, meritò perpetuum silentium indicitur: at non homini, qui & silere, & loqui fructuosè potest.

Fructuosè siletur quando nulla est necessitas loquendi.

Et fructuosè quidem silet, quando nulla necessitas loquendi apparet. Laudat, & potissimùm religiosis hominibus commendat tale silentium B. Petrus Dami-

Damian. serm. 73. de vitio lingua. anus: Auceps, inquit, non emittit accipitrem, nisi anserem videat: & monachus dimittet linguam suam, si

loquendi

loquendi necessitas non assistat? Dedignatur venator catulum soluere, nisi lepus appareat: viliorem habeat monachus linguam suam, quam ad nullius salutem vel commodum inutiliter soluat? Sudat lapis in manu oppugnantium mœnia: & in cassum volet verbum de ore stantis in sanctæ militiæ disciplina? Arcus frustra flexis cornibus non intenditur: & rationabile os ad effundenda passim superflua reseratur? Parcitur pharetræ, vt ea sagitta leuiter non exeat: non parcitur linguæ, vt mordax in quemlibet verbum, velut ictum vulneris non infligat?] Sic Damianus.

Ad euitandum peccatum silere bonum.

Fructuosè etiam silet, quisquis non aliter, quàm silendo, posse se multa peccata euitare cernit. Nam hæc per apertum oris ostium homines adoriuntur, vt idem grauis auctor tradit: Nunquam, inquit, hostis fauces hydrus ingreditur, nisi cùm crocodilus oscitans inuenitur. Nam si clausum os teneat, insidiantis impetum non formidat. Authalop⁹ cùm exclamat, ad suum ignarus interitum gladios venatoris inuitat: qui donec obticuit, persequentis industriam fugacis cursus opinione delusit. Atque vt hoc inferam, quod cancer ostreo, facit plerumque Diabolus Monacho. Solerter explorat, si quando ostreum se contra solis radios aperiat. Tunc ergo calculum clandestinus incursator immittit, sicque hiantia claustra reperiens, viscera ostrei interna decerpit. Ostreum significat Monachum, qui nimirum viuit, dum sub silentij censurâ concluditur: perit autem, cùm ad loquendum immoderatiùs aperitur.]

Idem Damianus opusc. 52. cap. 4. q. 17.

Alij modi fructuosè silendi possunt legi apud Toletum, qui septuplicem taciturnitatem bonam proponit. Quocunque illorum aliquis silet, facilè Deum cum cœlestibus donis ad se attrahit. Viuam huius rei imaginem in Canticis habemus. Cùm enim Sponsa ianuam suam clausisset, tunc Sponsus eius adfuit, & ia-

Tolet. in Psal. 31. serm. 4.

Cant. 5. ℣. 2. nuam pulsans blandis verbis eam compellauit: *Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Equidem nouerat Sponsus, quando ianua patebat aperta, & tamen nonnisi tunc, quando erat clausa, comparuit: eo vtique consilio, vt mysterium detegeret, quod S. Ambrosius attigit: Ianuam tuam, inquit, disce temporibus obserare nocturnis: non facilè quisquam patentem reperiat. Sponsus ipse vult clausam esse, cùm pulsat. Ianua nostra os nostrum est. Christo propemodum soli debet aperiri, nec aperiatur, nisi ante pulsauerit Dei verbum.]

Ambr. lib. 3. de Virgin.

Quis fructuosè loquatur.

Ephes. 4. ℣. 29. Jam verò fructuosè loquitur, ex cuius ore ille bonus sermo procedit, quem S. Paulus Ephesijs præscripsit: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus.* Ad quæ verba S. Chrysostomus: Quod, inquit, proximum ædificat, hoc solùm loquere, superfluum verò nihil. Nam hac ratione Deus os tibi dedit ac linguam, vt & sibi gratiarum actionem persoluas, & proximum ædifices.] Est etiam sermo bonus, sermo, vt ita dicam, iustitiæ, quando is loquitur, cui ex officio incumbit non tacere, sed peccata aliorum arguere. Huiusmodi officium est Prælatorum, Pastorum, & omnium in aliquo Magistratu positorum, ad quos, tanquam ad iudices, crimina hominum solent deuolui. Hos Deus ipse intellexit, & loqui iussit in illis verbis apud Isaiam: *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes: totâ die & totâ nocte in perpetuum non tacebunt.* Quodsi taceant, seuerè iudicantur & puniuntur. Exemplo est ille Iesus filius Iosedec Sacerdos Magnus, de quo Propheta Zacharias hæc refert: *Et ostendit mihi Deminus Iesum Sacerdotem Magnum, stantem coram Angelo Domini: & Satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei.* Depictum est hîc iudicium, ad quod vocatus fuit ille Sacerdos Magnus, & in eo grauiter accusatus

Chryſoſt. Hom. 14. in Epiſt. ad Epheſ.

Isaiæ 62. ℣. 6.

Zachar. 3. ℣. 1.

cusatus à Satan, id est à suo peccato, iuxta paraphrasim Chaldaicam, vel secundùm versionem Septuaginta à Diabolo. Contra quem accusatorem non defuit dicto Sacerdoti patronus & defensor, scilicet Angelus bonus, quem plerique Michaëlem Synagogæ principem intelligunt. Peccatum verò ex sententia quorumdam interpretum, inter quos est Emmanuel Sa, & Cosmas Magalianus, non aliud illius Pontificis fuit, quàm dissimulationis & taciturnitatis, quâ factum, vt populum peccantem non reprehenderet: præsertim cùm eius nepotes etiam alienigenas vxores duxissent.

Sa notat in 3. Zachar. Magal. in 1. ad Timoth. cap. 3. sect. 1. annot. 1.

Confirmatur hoc illis Prophetæ Isaiæ verbis: *Væ mihi quia tacui.* Sentit enim S. Hieronymus, quòd & iste Propheta se ipsum accusat, quia regis Oziæ peccata non redarguebat: cùm tamen hoc ad officium ipsius pertineret, nec non commodè, vtpotè claro genere ortus, id præstare posset: Addit tamen S. Hieronymus, posse etiam ista Isaiæ verba sic intelligi, vt queratur Propheta, se vnà cum Seraphinis laudes diuinas deprædicantibus, non cecinisse. Lege supra nominatum Toletum de multiplici locutione fructuosa.

Isaiæ 6. ℣. 5.

Quapropter ostium oris partim claudi, partim aperiri debet. Priùs tamen quisque assuescere debet, vt illud claudat. Hoc voluit Salomon cùm diceret: *Tempus tacendi, & tempus loquendi.* Nam vt annotauit S. Gregorius, non ait Salomon: Tempus loquendi, & tempus tacendi. Sed priùs tacendi præmittit tempus, & postmodum subdit, loquendi: quia non loquendo tacere, sed tacendo loqui debemus discere.

Eccles. 3. ℣. 7.

Greg. super Ezech. Hom. 11.

Quintum, quod S. Chrysostomus in verbis Dauidis supra positis obseruat, quòd Rex sanctus non qualecunque oris sui ostium, sed circumstantiæ, seu circumstans ostium, vt sibi Deus daret, supplicârit. Circumstans autem ostium vocauit, quod totum os ita claudit & circum-

Ostium oris circumstans quod?

& circumstat, vt nulla eius parte verbum malum prodire queat. Nec immeritò tale os expetijt, Quid enim prodesset, si per os, multa quidem verba mala viam intercluſam, sed alia multa itidem mala, liberam & apertam haberent? S. Bernardo, qui se accommodare vellet, ita hîc diceret: Quid prodesset, si hæc quidem lingua à verbis malis cohiberetur, alia verò ad proferenda quælibet laxaretur? Est enim, inquit S. Bernardus, lingua dissoluta in sermonibus otiosis, est lingua impudica, est & magniloqua: quarum prima lasciuiæ, sequens arrogantiæ famulatur. Est etiam lingua dolosa, & item lingua maledica; quarum altera in falsiloquam & adulatoriam subdiuiditur; altera verò nunc in facie contumelias irrogat, nunc detrahit in occulto.]

Bernard de triplici custodia.

Malæ linguæ recensentur.

S. Bernardum imitatus est Thomas Anglicus, à Cornelio citatus, qui octo differentias, & quasi species malarum linguarum ex sacris literis desumptas recenset: nempe linguam tertiam, quæ est detractorum, falsam adulatorum, magniloquam superborum, vipeream Hæreticorum, blasphemam maledicorum, dolosam hypocritarum, coinquinatam luxuriosorum, iniquam aduocatorum. Quibus linguis, quidni accedat lingua iracundorum ignea, cui potissimùm competit illud S. Iacobi: *Et lingua ignis est.* Imago istorum fuerunt illi seditiosi Oratores, Eunus & Barchochabas, qui, vt refert Fulgosius, cùm magni quidpiam populo persuadere vellent, nucem sulphure & igne repletam in ore gestabant, & ex ea, inter loquendum, ignem, propter terrorem incutiendum emittebant. Verùm magis germana imago est tartareus Behemoth, qui, vt ipse totus igne & flammis ardet, ita linguam iracundorum perniciosè inflammat. Satis illum Iob istis verbis depinxit: *De ore eius lampades procedunt, sicut tædæ ignis accensæ. De naribus eius procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque feruentis. Halitus eius*

Thom. Anglic. Corn in 3. Iac. ℣. 12. Eccles. 28. ℣. 16. & 20. ℣. 18. Psalm. 11. ℣. 4. Iob 20. ℣. 16. & 15. ℣. 5. Psalm. 119. ℣. 2. & 51. ℣. 3. Prouerb. 17. ℣. 4. Iacob. 3. ℣. 6. Fulgos. lib. 7. cap. 3. Iob 41. ℣. 10. 11.

eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egredietur.] Quamobrem omnes has linguas ostium circumstare debet, ne, si vel vni linguæ quoquouersum vagari licuerit, fiat os Charontica ianua, prout olim ex carcerum ianuis appellabatur vna, per quam sententijs iudicum damnati ad supplicium educebantur. Qualis appellatio hinc fuit nata, quòd antiqui Ethnici fingerent Charontis cymbâ mortuorum animas ad inferos deuehi. *Eraſ. Chyliad. 2. cent. 8. Num. 22.*

Sextum. Quòd rex Dauid ostium circumstantiæ nominans, proculdubiò aliquam clauem intellexerit, quâ hoc ostium aperiretur, quotiescunque necessitas aperiendi foret. Quæ verò sit hæc clauis, S. Chrysostomus indicat dicens: Os nostrum perpetuò custodiamus, ei rationem tanquam clauem adhibentes. Proinde clauis est ratio, quam etiam intelligebat B. Petrus Damianus, cùm religiosos homines alloqueretur: Portatis fratres mei vobiscum clauem cellulæ, portate & clauem linguæ.] Tunc porrò ista clauis officio suo rectè fungitur, cùm consultò, cogitatò, & deliberatè os ad loquendum aperit. Non enim nos, inquit S. Gregorius Neocæsariensis, inconsulto loquendi studio teneri oportet, eaque quæ in mentem veniunt, quamuis absurda, proferre atque emittere.] Eundem aperiendi modum requirunt illa verba S. Gregorij Magni: Qui in dictis suis reprobari metuit, ipse priùs debet examinare, quod dicit: quatenus inter cor & linguam æquus quidam & discretus arbiter sedeat, subtiliter pensans, si recta verba cor offerat, quæ vtiliter suscipiens ad auditorum iudicium lingua perducat.] Ad aperiendum oris ostium, quæ sit clauis. *Chryſoſt. loco cit. Damian. ſerm. 73. de vitio linguæ. Neocæſar. in Eccleſ. cap. 5. Greg. Mag. lib. 8. Moral. cap. 2.*

Septimum & postremum, quòd labiorum suorum ostium, peroptans Dauid, simul etiam ianitorem habere voluerit. Quis ille esset, & quo etiamnum omnes indigeant, à S. Chrysostomo discimus: Quænam, inquit, custodia fuerit, nisi cogitatio, quæ vrget terribiliter, Quis item ianitor. *Chryſoſt. ibid.*

liter, habens præ manibus ignem eos vsturum, qui ore temerè vsi fuerint? Eum adhibe ianitorem & custodem intentantem minas conscientiæ: Et hanc portam, scilicet oris, nunquam intempestiuè aperies, sed tempestiuè, & propter lucrum, & bona innumerabilia. Quocirca dixit quispiam: *Memento nouissima, & in æternum non peccabis.* Ita S. Chrysostomus, ex cuius sententia, ianitor oris est attenta consideratio pœnarum, quas daturi sunt omnes, quibus non est curæ, vt faciant satis illi admonitioni diuinæ: *Prohibe linguam tuam à malo.* Vbi verbo, Prohibe, in textu Hebræo respondet verbum NETSOR, quod nonnullis interpretibus significat, Claustris quibusdam ac seris claude.

Eccles. 7. ℣. 40.

Psal. 33. ℣. 13.

Liceat mihi verbis Dauidis huc vsque expensis attexere, & breuissimè explanare illud Ecclesiastici salubre dogma: *Verbis tuis facito stateram, & frenos ori tuo rectos:* Nam & hoc dubitare non sinit, per linguam & os, multis peccatis inquinari omnes, qui non exequuntur, quod in illo dogmate suadetur. Suadetur autem inprimis, vt quisque verba sua, antequam proferantur, & ad aures auditorum perueniant, statera examinet, num ea sint, quæ vndelibet considerata, nihil in se vitiosum contineant. Hoc examen est illa consideratio, quam à sapiente nunquam omitti S. Ambrosius asserit: Sapiens, inquit, vt loquatur, multa priùs considerat; quid dicat, aut cui dicat, quo in loco, quo tempore. Idem examen est illa lima, ab antiquis tantoperè commendata, apud quos solenne fuit, dictum illud: Bis ad limam, semel ad linguam. Idem, est illa ponderatio, quam à citato Ecclesiastico exigi S. Chrysostomus affirmat. Dicit enim id ab eo postulari, vt non solùm verba, quæ oportet proferamus, sed etiam, cum ea, qua par est, cautione & accurata consideratione, ipsa veluti ponderantes, diligenter expendamus.

Statera pro examinandis verbis multiplex.

Ambr. lib. 1. Offic. cap. 10.

Chrysost. in Ps. 140.

Quod

Quod verò istam ponderationem Ecclesiasticus iurè exigat, declarat S. Doctor addens: Si enim hoc facimus in auro & materia, quæ interit, hoc multò magis faciendum est in verbis, vt nihil desit, nec redundet.] Quali additamento docet, verba bene ponderata, & ad laudem Dei vtilitatemque hominum prolata, quolibet auro pretiosiora esse. Æqualis pretij, quòd sit os & lingua, ibidem ait, & ex eo infert, vtrumque magni æstimandum, nec verbis qualibuscunque inquinandum. Sic enim de ore loquitur: Si quis habet vas aureum, eo ad vilem vsum vti, nunquam in animum induxerit, propter pretium materiæ: multò magis, cum auro & margaritis habeamus ora longè pretiosiora, non par est, vt ea polluamus verbis turpibus ac impudicis, maledictisque & contumelijs. De lingua verò: Cogita apud te, hoc esse membrum, per quod cum Deo colloquimur. Hoc est membrum, per quod inprimis reuerendum, & summâ veneratione dignum sacrificium suscipimus. Sciunt fideles quod dicitur: & ideò oportet id esse liberum ab omni accusatione, maledicto, verbo obscœno & calumnia.]

Statera commemorata non sit dolosa.

Cùm autem non quælibet statera sit bona, sed inueniatur etiam dolosa, quam Deus odit, secundùm illud Salomonis: *Statera dolosa abominatio est apud Deum*: *Prouerb. 11. ℣. 1.* ideò memorans eam S. Ambrosius monet: Ponderet *Ambr. lib. 3. Epist. 19.* vnusquisque sermones suos, non cum fraude & dolo. Quæ sit statera dolosa, exponit ibidem S. Ambrosius, nec minùs S. Augustinus, qui ait: Non afferamus stateras dolosas, vbi appendamus, quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio nostro dicentes, hoc graue, hoc leue est: sed afferamus diuinam stateram de Scripturis sanctis, tanquam de thesauris dominicis, & in illa, quid sit grauius appendamus: imò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus. Statera ergo

August. lib. 2. con. Donat. cap. 6.

dolosa

dolosa est, cùm quis loquacitatem suam, nullum pondus habere iudicat, ac si nullum prorsus peccatum includeret, nullamque pœnam propter illam dare opus vnquam esset: longè aliter iudicaturus, si illâ diuinâ staterâ aliquoties iam memoratâ vsus fuerit: *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.*

Matth. 12. ℣. 36.

Freni qui os & linguam contineant.

Post stateram commendat Ecclesiasticus frenos, qui os & linguam contineant, & nimiam vtriusque ad dicendum quidlibet procliuitatem compescant. Neque modum loquendi, quo vtitur Ecclesiasticus miraberis,

Lingua qualis equus.

si linguam nostram veluti quendam equum esse, & hoc nomine non rarò vocari, aduerteris. Ita illam vocat S. Chrysostomus. Et quidem si sit bona, semperque recta loquatur, cœli terræque Regem illi insidere; si mala, verbaque proferat peruersa, Diabolum in ea equitare tradit. Pono S. Doctoris verba: Regius quidam equus est lingua nostra. Si ergo ei frenum immiseris, & doctrinâ tuâ gradarium feceris, ascendet in eum Rex & quiescet in eo: si autem nullo freno domueris, sed huc atque illuc infrenem, iactari permiseris, Diaboli eam vehiculum feciſti. Sic S. Pater.

Chrysost. Hom. 52. in Matth.

Seuerè tractandus.

Qui etiam alibi docet, quàm seuerè is equus sit tractandus, quotiescunque se refractarium & sternacem exhibet. Refrena, inquit, linguam, & si non patitur reticere, dentium morsu quiescat, & tanquam carnifici tradatur dentibus. Nam hoc est eam conducibiliùs sustinere, quàm postea aquæ stillationem nullatenus promereri. Congruit huic doctrinæ ista Plutarchi: Quodsi adducenti habenas intus silentij, rationi non sit audiens lingua sed frenum mordeat, morsibus reprimamus eius intemperantiam sauciando.

Idem Hom. ad baptizandos, Tom. 5.

Plutarch. de garrulitate.

Nazian. de ieiun. silent. sui.

Quomodo hîc S. Gregorium Nazianzenum præterire possem, qui etiam de lingua vt de equo loquitur.

tur. Nulla, inquit, res est, quæ maiorem hominibus perniciem afferat, quàm lingua. Equus est perpetuo cursu mentem anteuertens.] Videtur S. Doctor alludere ad militarem equum, qui propter crebras contentiones præliorum, in omnia pericula cæco impetu procurrit. Scriptura sacra talem equum ita describit: *Gloria narium eius terror. Terram vngula fodit: exultat audacter: in occursum pergit armatis. Contemnit pauorem, nec cedit gladio. Super ipsum sonabit pharetra: vibrabit hasta & clypeus. Feruens & fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem. Vbi audierit buccinam dicit, Vah. Procul odoratur bellum, exhortationem ducum & vlulatum exercitus.* Ad hunc, vt dixi, equum videtur S. Episcopus alludere, quando linguam appellans equum, perpetuum eius cursum memorat, & quòd non minùs in bonos, quàm in malos, non minùs in amicos quàm in hostes, non minùs in exteros longeque dissitos, quàm in propinquos prouolet, ibidem affirmat. *Iob 39. à v. 20.*

Quibus verò vijs ad hæc omnia lingua prouolat? In rupe cuiusdam partis Sueciæ per multa passuum millia viam excisam & literarum notis exaratam fuisse, Saxo Grammaticus & Crantzius apud Maiolum narrant. Næ ego iurè dixerim, omninò talem esse viam, per quam lingua proteruus equus, cursare solet. Solet enim lingua per omnes literas & voces alphabeti excurrere, inquit Salmeron; qui etiam simul iuxta harum vocum ordinem, peccata, quæ linguâ committuntur enumerat, nempe adulationem, blasphemiam, calumniam, detractionem, excusationem in peccatis, famæ ablationem, fraudes, falsum testimonium, gloriationem vanam, hypocrisim, hæresim, iurationem, lamentationem, mendacium, mordacitatem, nugas, otiosa verba, periuria, querelam, rixas, susurrationem, secretorum reuelationem, taciturnitatem importunam, vituperationem, zelum *Saxo in præfat. Danic. Histor. Crant. Danic. l. 2. cap. 23. & Suet. lib. 1. cap. 11. Maiol. Salmer. in 3. Iac. disput. 4.*

lum amarum. Ita Salmeron, cui & nonnullis alijs ad hanc doctrinam proponendam, lumen S. Antoninus prætulit. Faxit Deus, vt ab his vijs lingua resiliat, legisque diuinæ memor, cursum suum inhibeat, & illud de seipsa, quod commemoratus S. Gregorius Nazianzenus scripsit, verè dicat: Ego ferocissimorum equorum in morem, pedibus quidem solum ferio ac frenum exedo, & aures erigo, atq; furorem è naribus spiro, acremque vultum præfero, ac spumâ impellor: nihilominùs tamen intra cancellos maneo, lege nimirum, currendi potestatem mihi minimè faciente.]

Anton. 1. p. Sum. tit. 2. cap. 4. §. 5.

Nazianz. ad Cantianum. Epist. 194.

Conijce iam ex dictis, cur Christus Dominus sanaturus mutum, & vinculum linguæ eius soluturus, ingemuerit, vt S. Marcus Euangelista refert. Rem ad præsens institutum pertinentem attinges, si cum aliquibus auctoribus dixeris, ideò etiam ingemuisse Saluatorem, quòd vsum linguæ tantoperè expeteret mutus, quâ cum homines passim abutantur, & sibi æternam perniciem struant, fortè quòd & isti eadem nocitura esset, præuidebat.

Marci 7. ℣. 34.

Laudabile Religiosorum silentium.

Conijce secundò, quàm laudabiliter religiosi homines in suis domicilijs, tam sedulò silentium obseruent. Per hoc enim silentium oris, gradum sibi faciunt, ad silentium animæ, quod tunc est, cùm anima terrenorum desideriorum nullas voces edit. Meminit huius silentij S. Gregorius explicans illud Iob: *Nonne dissimulaui? nonne silui?* Silere, inquit, est mentem à terrenorum desideriorum voce restringere. Vis enim magni clamoris est tumultus cordis.]

Greg. lib. 5. Moral. cap. 6. Iob 3. ℣. 25.

Idem in alio loco huic silentio animæ, accommodat illa verba Apocalypsis: *Factum est silentium in cœlo, quasi mediâ horâ.* Cœlum, inquit, est anima iusti, sicut per Prophetam Dominus dicit: *Cœlum mihi sedes est.* &: *Cœli enarrant gloriam Dei.* Cùm ergo quies contemplatiuæ vitæ agitur in mente, silentium fit in cœlo: quia terreno-

Greg. lib. 2. sup. Ezech. Hom 14. Apocal. 8. ℣. 1. Isaia 66. ℣. 1. Psalm. 18. ℣. 1.

terrenorum actuum strepitus quiescit à cogitatione, vt ad secretum intimum auris animum apponat. Sed quia hæc quies mentis, esse in hac vitâ perfecta non potest, nequaquam horâ integrâ factum in cœlo silentium dicitur, sed, quasi mediâ horâ: vt neque ipsâ mediâ horâ plenè sentiatur, cùm præmittitur, Quasi, quia mox, vt se animus subleuare cœperit, & quietis intimæ lumine perfundi, redeunte citiùs cogitationum strepitu, de semetipso confunditur, & confusus cæcatur.] Est etiam magnum silentium animæ, cùm hæc peccata deuitat, & clamores eorum nullos excitat. Et idcircò S. Gregorius ait: Sancti viri silent, quia nullis prauæ actionis clamoribus perstrepunt. Omnis namque iniquitas, apud secreta Dei iudicia habet voces suas. Vnde scriptum est: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est.*] *Greg. 5. Moral. cap. 7.* *Genes. 18. ℣. 20.*

Præterea per silentium oris conseruant Religiosi decantatam inter illos Disciplinam Religiosam: illam, inquam, gemmam, quam Salomon vocat gratissimam, scribens: *Gemma gratissima expectatio præstolantis.* Vbi Salazar per gemmam intelligit gemmam pellucidam, quâ interposità, omnes res obiectæ, iucundiùs & cum magna oculorum oblectatione spectantur. Talis fuit ille naturâ suâ viridis smaragdus, per quem Imperator Nero gladiatorum pugnas spectare solitus fuit, vt D. Isidorus tradit. Huiusmodi ergo gemmis dictus Salazar religiosam disciplinam scitè assimilat, sumptâ assimulationis occasione, tum ex versione Septuaginta interpretum, qui adducta Salomonis verba verterunt: Merces gratiarum, disciplina vtentibus: tum ex effectu disciplinæ, quæ religiosos & interiùs & exteriùs tàm pulchros & gratiosos efficit, vt exclamet S. Bernardus: O quàm compositum reddit omnem corporis statum, nedum & mentis habitum disciplina? Ceruicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos *Prouerb. 17. ℣. 8.* *Isidor lib. 16. Etym. cap. 7.* *Bern. Epist. 113. ad Soph. Virg.*

nos cohibet, moderatur linguam, gulam frenat, iram sedat, format incessum.]

Atque huic disciplinæ silentium est amicissimum, imò ex sententia S. Ignatij nostræ Religionis parentis, indicium eius certissimum. Nam, vt refert Cornelius, tria ille dabat signa, ex quibus cognosci possit, quòd in Monasterio vel Collegio aliquo disciplina vigeat. Primum, si ianua eius semper sit obserata, & nonnisi necessitate postulante, aperiatur. Secundum, si in eo omnia sint munda, & in suis locis posita. Tertium, si in eo nulla reperiatur garrulitas, & omnia magno silentio fiant.

Corn. à Lap. in 30. Ierem.

Signa tria religiosæ disciplinæ à S. Ignatio tradita.

Ad hæc per silentium oris, domicilia Religiosorum ritè domus Dei vocantur, & sunt. Magnum eiusdem Societatis nostræ ornamentum P. Hieronymus Natalis, ita illa vocabat. Nam cùm à S. Ignatio missus fuisset in Hispaniam, vt Domos & Collegia nostra, quæ in illo regno erant, visitaret, & quàm religiosè omnia in illis peragerentur, videret, dicere solebat; Religiosam familiam, in qua taciturnitas regnat, loquacitas verò procul ablegata exulat, pulchra pace & tranquillitate frui, nec Visitatoris operâ indigere, atque securè de illa dici posse: *Verè Dominus est in loco isto.* &, *Non est hic aliud, nisi Domus Dei, & porta cœli.*

Andr. Schot. lib. 1. de bono stil. cap. 12.

Genes. 28. ℣. 16. & 17.

Denique per silentium oris, facilè Religiosi obtinent illa, quæ Petrus Damianus proponit, explicans illud Threnorum: *Sedebit solitarius, & tacebit: quia leuauit super se,* vel, vt is auctor legit: Leuauit se super se. Solitarius, inquit, dum tacet, se eleuat super se: quia mens humana, dum intra silentij claustra vndique circumcluditur, in superiora sublimis erigitur: ad Deum per cœleste desiderium rapitur, & in amore eius per ardorem spiritus inflammatur: & tanquam fons viuus, dum per verborum circulos fluere hinc inde non sinitur, vndis excrescentibus in altiora cumulatur.]

Damian. Epist. 130

Thren. 3. ℣. 28.

CA-

Neglectio & defectus Orationis, peccatorum Decimaquarta Radix.

SI es Theologus, verè orabis: & si eris Theologus, & verè orabis, Theologus verè eris. Pronuntiatum hoc est S. Nili, auctoris eruditione, sanctitate, antiquitate clarissimi, & S. Chrysostomi discipuli, cuius scripta in Concilio Nicæno secundo citantur. Neque verò sine fundamento hoc pronuntiatum à tanto viro prodijt. Nouit enim Theologus, modò sit verè Theologus, quòd oratio sit actus religionis, vt docet S. Thomas & probat. Propriè enim ad Religionem pertinet, reuerentiam & honorem Deo exhibere: & ideò omnia illa, per quæ Deo reuerentia exhibetur, ad religionem pertinent. Per orationem autem homo Deo reuerentiam exhibet, in quantùm scilicet & se subijcit, & profitetur orando, se eo indigere, sicut auctore suorum bonorum. Vnde manifestum est, quòd Oratio est propriè religionis actus. Sic S. Thomas.]

Nilus cap. 57. de Orat Biblioth. Patr. Tom. 5. Conc. Nic. 2. act. 4.

Oratio est actus religionis.

S. Thom. 22. q. 83. art. 3.

Nouit item Theologus, Orationem esse quoddam sacrificium, quod omnia sacrificia, quibus olim humanum genus gloriari solebat, suâ præstantiâ superat. Præstantiam eius S. Chrysostomus hinc inprimis declarat, quòd res omnes, quas antiqui Deo sacrificabant, vel ex terra, vel in terra nascerentur: cùm oratio in anima nascatur, & ab ea prodeat. Sicut ergo terræ & omnibus rebus terrenis anima, ita omnibus antiquis sacrificijs oratio antecellit. Deinde, quòd ipse Deus ad placandam suam iram, non Moysis sacrificia, sed orationem hominibus præscripserit, per Prophetam Ho-

Oratio est præstantissimum sacrificium.

Chrys. cùm presbyter designatus esset.

Hosee 14. ℣. 3. seam dicens: *Tollite vobiscum verba, & conuertimini ad Dominum.* Expendens hoc S. Chrysostomus, inquit: Afferte vobiscum non armenta boum, neque similæ mensuras tot aut tot, neque turturem, neque columbam, neque aliud quidquam istiusmodi rerum: sed quid? *Ferte vobiscum verba.* Et quale sacrificium, dixerit aliquis, sunt verba? Maximum quidem, ô chariſſime, ac splendidiſſimum, cæteris omnibus præstantius.] Simillima horum sunt illa Philonis: Non gaudet Deus hecatombis, id est, centenis boum victimis, cùm Dominus sit rerum cunctarum, nec vllius indigeat. Mauult pias mentes victimis opimis, adducentes hymnos in seruatorem suum ac benefactorem. Quantùm enim aurum præstat lapidibus, tantò acceptior est Deo suffitus gratiarum actionis, quàm victima mactata.]

Philo l. de Victim. offeren.

Confirmat S. Chrysostomus id, quod Philo de præstantia orationis dixit, sententiâ Dauidis, qui ad orationem accessurus, cùm dixisset: *Laudabo nomen Dei cum Cantico, & magnificabo eum in laude;* mox subiunxit: *Et placebit Deo super vitulum nouellum, cornua producentem & vngulas.* Vbi communiter interpretes aduertunt periphrasim pulchri & iuuenis vituli, iamque vt sacrificetur apti: nihilominùs à Dauide orationem illi anteponi. Aduertit etiam Cardinalis Bellarminus elegantem nominum collusionem à sancto Rege in textu Hebræo factam, cùm canticum vocauit SSIR, bouem verò siue vitulum SSOR, quasi dixerit, magis placebit Deo SSIR, quàm SSOR, id est, canticum quàm vitulus, siue sacrificium laudis, quàm pecoris.

Psal. 68. ℣. 31. & 32.

Quodsi dicas: Videtur per orationem nihil Deo afferri, vt per sacrificium affertur, sed potiùs aliquid obtinendum ab eo peti: & idcircò magis illi sacrificium quàm orationem placere. Respondebit cum S. Thoma Theologus, quòd orando tradat homo mentem suam

D. Thom. 22. q. 83. art. 3. ad 3m.

Deo,

Deo, quam ei per reuerentiam subijcit, & quodammodò præsentat. Hinc illud S. Dionysij: Ante omnia ab oratione incipere esse vtile, sicut Deo nos ipsos tradentes & vnientes.] *Dion. cap. 3. de Diuin. Nomin.*

Præterea nouit Theologus orationem tam esse necessariam, vt ne ea quidem sine oratione à nobis haberi velit Deus, quæ quòd habituri essemus, ab æterno præuidit. Probatur hoc exemplo iunioris Tobiæ, & vxoris eius Saræ, qui pro impetranda sanitate, quam eis Deus impertiri ab æterno decreuerat, iussi sunt ab Angelo, orare: quod & fecerunt, iuxta illud Sacræ scripturæ testimonium: *Surgentes autem pariter, instanter orabant ambo simul, vt sanitas daretur eis.* Ex quo testimonio talem doctrinam S. Prosper eruit: Quamuis ergo, quod statuit Deus, nullâ possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum liberi arbitrij deuotio relaxatur: cùm implendæ voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, vt per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum, fiant incrementa meritorum: & qui bona gesserint, non solùm secundùm propositum Dei, sed etiam secundùm sua merita coronentur.] Oratio omninò necessaria. *Tob. 6. ℣. 18. & 8. ℣. 6.* *D. Prosper.*

Sed abducamus sermonem à Theologo, quem orationi operam daturum, certò sibi pollicetur S. Nilus, modò sit verè & practicè Theologus, qui scilicet non tantùm quæ dicta sunt, multaque alia ad orationem pertinentia intellectu comprehendat, sed etiam erga illa voluntatem benè affectam habeat. Res nostri instituti latiùs pateat, vt sigillatim cuilibet Christiano prudenti, à peccato abhorrenti, retento S. Nili Stylo, dictum intelligatur: Si es prudens, & à peccato abhorres, verè orabis: etsi eris prudens, & à peccato abhorrebis, verèque orabis, prudens verè eris. Quomodo enim orationi non vacet verè, qui sit prudens & à peccato abhorreat?

Oratio

Oratio dispellit tenebras & orantem illuminat.

Oratio enim ad abigendas peccatorum tenebras plurimùm efficacitatis habet. In persona Moysis quandam huius veritatis imaginem videre licet, cuius vultus in monte Sinai, tam splendidus fuit factus, vt, ne oculos intuentium perstringeret, velare eum opus esset. Et illius quidem splendoris tanti, origo erat colloquium Moysis cum Deo, vel, vt sacra Scriptura ait: *Consortium sermonis Domini.* Atqui etiam oratio est conuersatio & sermocinatio cum Deo, vt eam S. Gregorius Nyssenus definit; à quo nihil discrepat S. Chrysostomus & S. Nilus dicentes, orationem esse colloquium cum Deo. Non differt etiam S. Augustinus, qui inter lectionem verborum Dei, & inter orationem, discrimen statuens, inquit: Quando legis, Deus tibi loquitur: quando oras, cum Deo loqueris.] Quidni igitur etiamnum tale per orationem cum Deo colloquium, omnes peccatorum tenebras ab homine arceat, & animam splẽdidam reddat?

Exodi 34. ℣. 28.

Nyssen. Orat. 1. de Orat. Domin.

Chrysost. in Genes. Hom 30.

Nilus sup. cit. c. 2.

Aug. in Psal. 85.

Similem imaginem in seipso exhibuit Christus, transfigurans se in monte Thabor. Ita enim de illo S. Lucas scripsit: *Ascendit in montem vt oraret. Et facta est, dum oraret, species vultus eius altera.* Quod mysterium explanans Euthymius, inprimis annotat, quo sensu species vultus Christi facta fuerit altera. Transformatus, inquit, est, corpore quidem in propria figura manente; diuino autem splendore modicum quiddam in eo detegente, ac faciem eius illustrante, speciemque illius ad maiorem Dei similitudinem immutante. Deinde quòd hæc transformatio seu transfiguratio facta sit, cùm Christus oraret, dicitque: Orans transformatus est Christus, vt discamus quòd oratio transformat, atque illustrat hominem, si fiat, quemadmodum oportet. Proinde oratio facit hominem alterum, & inserit in numerum illorum, quibus S. Paulus dicebat: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

Luca 9. ℣. 28.

Euthymius.

Ephes. 5. ℣. 8.

Quod

Quod autem tunc tacitè per imaginem, hoc priùs clarè per viuam vocem docuit Christus, quando formam orandi præscribens, inter alia, quæ à Deo petere debeamus, hanc petitionem sextam adiunxit: *Et ne nos inducas in tentationem.* Exponens eam Sebastianus Barradius ait, non ita intelligendam esse, quasi Christus voluerit, vt in oratione id à Deo obtinere curemus, ne vnquam tentemur. Quomodo enim tentari nolimus positi in palæstra, vt hanc vitam appellare cuidam versioni placuit. Nam vbi vulgatus interpres legit: *Ecce mensurabiles posuisti dies meos,* ibi alius habet: Palæstras posuisti dies meos. Obseruauit hanc versionem S. Ambrosius, & adiecit: Si palæstras accipimus dies, ex nomine intelligimus plenos certaminis & laboris: quoniam palæstræ luctatores in agone dicuntur, qui luctantur ad coronam. Ergo quia & nobis lucta non solùm aduersùs carnem & sanguinem est, sed & aduersùs spiritualia nequitiæ in cœlestibus: dies nostri, hoc est, vitæ istius in labore sunt & dolore.]

Matth. 6. ℣. 13.

Barrad. Tom. 2. lib. 7. cap. 24.

Psalm 38. ℣. 6.

Ambr. in Psal. 38.

1. Cor. 9. ℣. 25.

Ephes. 6. ℣. 12.

Quomodo item tentari nolimus in præsenti vita, quæ tota tentationibus constat, Iob teste, cuius est illud iuxta versionem Septuaginta: Nunquid non tentatio est vita hominis super terram? Absolutè hominem nominat, & neminem excipit, quòd tentationi quilibet subiaceat: vt ne Christus quidem immunis ab ea fuerit. Et ideò S. Hieronymus scripsit: Vincì vel vincere tentationem, nonnunquam est in nostra potestate: cæterùm tentari in potestate tentantis est. Si enim Saluator tentatus est, quis potest esse securus, intentatum se vitæ huius maria transire?]

Iob 7. ℣. 1.

Hieron. lib. 3. in Epist. ad Gal. cap. 6.

Postremò, quomodo tentari nolimus, qui coronâ vitæ donari volumus? Hanc enim ille solus obtinet, qui ad vocem S. Pauli bonam militiam militans, & bonum certamen certans, strenuè cum qualibet tentatione con-

1. ad Timoth. 1. ℣. 18. & 6. ℣. 12.

ne congreditur, & nobilem victoriam ex ea reportat. Audiatur S. Iacobus Apostolus: *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Laudat hîc Apostolus virum, qui suffert tentationem, hoc est, qui nulli tentationi, siue ea sit externa, siue interna, succumbit: sed quæcunque ingruerit, patienter eam & fortiter sustinet.

Ephram. Hom. de fide. Comparans talem virum cum incude, sanctus Ephræm ait: Quemadmodum incus aliqua, licet quidem semper verberetur, non tamen dat tergum, neque concauitatis formam in se recipit, sed eadem semper manet, sibique similis: sic & qui verum se vult gerere Christianum, inter diuersas tribulationes atque tentationes, siue extrinsecus ab hominibus illatas contumelias, persecutiones, damna, aut aliqua eiusmodi; siue intrinsecus à spiritibus malignis inductas angustias diuersissimas, vnus & idem maneat oportet, fortiter quæcunque obuenientia perferens.] Tam generosè omnes tentationes, dum fert vir fortis, id emolumentum habet, quòd satis probetur, ne quispiam de soliditate virtutum eius dubitare possit. Benè enim S. Basili dixit: Vt gubernatorem nauis tempestas, athletam stadium, militem acies, magnanimum calamitas: sic Christianum hominem tentatio probat.] Postquam autem probatus fuerit, accepturum eum coronam vitæ S. Iacobus asserit, id est beatitudinem æternam, quæ non finitur, sicut nec corona, inquit commentarius S. Thomæ, alludens ad rotundam coronæ figuram, quæ fine caret, moxque adijciens cœlestem gloriam dictam esse ab Apostolo coronam vitæ, ad differentiam coronæ mortis, quâ coronantur mali, iuxta illud Isaiæ: *Coronans coronabit te tribulatione.*

Basil. orat. 11. de Patientia.

Iacob. lib. cit.

S. Thom. ibid.

Isaia 22. ℣. 18.

Quocirca non sine fundamento paulò ante commemoratus Barradius asserit, in illis verbis, *Et ne nos inducas*

ducas in tentationem, non hoc voluisse Christum, vt hac oratione impetrare conemur, ne vllâ vnquam tentatione vexemur. Assertionem eius iuuat S. Ambrosius, qui sentit, quòd tam vtiles tentationes, non solùm non recusare, sed potiùs Deum, vt eas in nos immittat, quas sustinere possumus, rogare atque etiam orare debeamus. Verba eius sunt: Non debemus tentationes seculi pro malis timere, quibus bona præmia comparantur: sed magis rogare, contemplatione conditionis humanæ, vt eas tentationes subeamus, quas ferre possim⁹. *Ambr. lib. 4. in Lucam.*

Mens ergo Christi, cùm orationem propositam præscriberet, hæc fuit, tradere nobis modum, quo efficere possimus, vt in tentatione positi, peccatum non committamus, quale committunt, qui à tentatione vinci se sinunt, & in casses eius non inuiti cadunt. Ita hanc mentem Christi interpretatur S. Hieronymus explicans illud: *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.* Impossibile, inquit, est humanam animam non tentari. Vnde & in oratione Dominica dicimus: Ne nos inducas in tentationem, quam ferre non possumus. Non tentationem penitus refutantes, sed vires sustinendi in tentationibus deprecantes. Ergo & in præsentiarum, non ait Christus; Vigilate & orate ne tentemini, sed *Ne intretis in tentationem*, hoc est, ne tentatio vos superet & vincat, & vos intra casses teneat.] *Hieron. lib. 4. in Matt. cap. 26. ℣. 41.* *Matth. c. 6. ℣. 13.*

Nihil ab hac interpretatione discrepat illa S. Augustini: Aliud est induci in tentationem, aliud est tentari. Et paulò post: Non hîc oratur (scilicet in sexta petitione orationis Dominicæ, quam ibi S. Doctor explanat) vt non tentemur, sed vt non inferamur in tentationem: tanquam si quispiam, cui necesse sit igne examinari, non oret, vt igne non contingatur, sed vt non exuratur.] Tentatorum & in tentationem non inductorum, exemplar ponit Iosephum, Susannam, Iobum. *Augustin. lib. 2. de serm. D. in monte cap. 9. Tom. 4.* *Genes. 39. ℣. 7.* *Daniel. 13. ℣. 20.* *Iob 1. ℣. 13.*

Tentatorum & in tentationem inductorum, Petrum & Iudam; cum hoc tamen discrimine, quòd prior, vt se in peccatum inductum vidit, statim vt ex eo educeretur, per veram pœnitentiam effecerit; posterior per suam desperationem in eo remanserit & perierit.

Cùm igitur Christus omnibus, qui in tentationibus nolint peccare, pro singulari remedio orationem præscripserit: quis dubitet, orationi, ad propulsanda quælibet peccata, magnas vires inesse? Contemplabantur SS. Patres has orationis vires, & in laudem earum, multa literis consignârunt. In promptu est illud S. Chrysostomi: Impossibile enim, hominem congruo precantem studio, Deoque continuè supplicantem, vnquam peccare. Vbi S. Doctor, vt ego quidem reor, Impossibile vsurpauit pro difficile, imitatus scilicet Scripturam sacram, quæ hac voce, cum eadem significatione, interdum vtitur. Ad manum est & illud S. Gregorij Nysseni: Si oratio negotium præcesserit, peccatum ad animam aditum non inueniet. Explicatiùs id proponens ait: Oratio pudicitiæ præsidium atque tutamen est, iræ moderatio, superbiæ sedatio atque repressio, iniuriarum tenacis memoriæ expurgatio, inuidiæ profligatio, iniustitiæ sublatio, impietatis correctio. Offert se quoque illud S. Isidori: Hoc est remedium eius, qui vitiorum tentamentis æstuat, vt quoties quolibet vitio tangitur, toties orationem subdat.

Chrysost. Hom. 79. ad popul.

2. Machab. 4. ℣. 6 & cap. 14. ℣. 10.

Luca 17. ℣. 1. ad Hebr. 6. ℣. 4.

Nyssen. orat. 1a de Orat.

Isid. lib. 3. de sum. bono cap. 80.

Ita porrò hæc isti sancti Patres literis mandârunt, vt simul rationes indicârint, cur orationis studiosus magnam facilitatem in repellendis peccatis habeat. Sanctus enim Chrysostomus tres assignat. Primam, quòd oratio a rebus terrenis, per quas communiter peccatur, animam ad cœlum attollat. Postquam enim asseruisset, impossibile esse, vt debito modo orans peccet, statim adiecit: Qui namque mentem suam accendit, &

Chrysost. loco cit.

erexit

erexit animam, & in cœlum seipsum transtulit, & ita suum inuocauit Dominum, & suorum memoriam peccatorum accepit: ad eum de ipsorum locutus est dimissione, & propitium & mitem Deum orauit fieri: ab ipsa in his verbis mora, omnem deponit secularem curam, & eleuatur, & humanis æstibus superior efficitur.]

Secundam, quòd oratio generosos quosdam spiritus, vilissimum peccatum detestantes, ingeneret, reuerentiamque erga Deum excitet; vt reuereatur eum offendere, quisquis misericordiam eius supplex implorare didicit. Qui precantur, inquit, seriò non sustinent quidquam admittere indignum precatione, sed reuerentes Deum, quicum modò collocuti fuerant, citò repellunt omnem mali spiritus molitionem, apud se reputantes, quantum scelus sit eum, qui paulò ante sermonem cum Deo miscuerit, quique ab eo pudicitiam ac sanctimoniam petierit, extemplò ad Diabolum deficere, fœdasque voluptates in animum admittere, ac Diabolo præbere aditum in illud pectus, quod paulò ante Deus inuiserit.] Et paulò post: Quemadmodum qui cum rege collocuti sunt, & ob hoc sermones placidos honoremque sunt consecuti, non dignantur in contubernium venire mendicorum & abiectorum hominum: ita qui cum Deo confabulatus est, eique sua vota protulit, nequaquam dignabitur, mali & impij spiritus familiaritatem admittere.] *Idem lib. 2. de orando Deum.*

Tertiam, quòd oratio in animam hominis orare assuefacti, multas virtutes introducat. Quemadmodum, inquit, S. Chrysostomus, vbi regina quæpiam ingreditur ciuitatem, necesse est, vt omnis opulentia pariter consequatur: sic videlicet posteaquam deprecatio venit in animam, omnes virtutes simul ingrediuntur. Quàm firmo autem præsidio contra peccata defenditur, in cuius anima virtutes suum domicilium collocârunt? *Ibidem.*

Cant. 7. ℣. 1. Videns eam sponsus nonne exclamauit: *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?*

Quartam rationem S. Gregorius hanc proponit, quòd per orationem cum Deo esse contingat. Homo quippe cum Deo coniunctus, & singulari eius protectione munitus, omnibus peccatis facilè resistit. Alloquens talem rex sanctus ait: *Scuto circumdabit te veritas eius: Non timebis à timore nocturno: à sagitta volante in die: à negotio perambulante in tenebris: ab incursu & dæmonio meridiano.* Immunitatem hîc à multis peccatis dicto homini rex Dauid promittit, quæ S. Bernardus indagans, per timorem nocturnum intelligit pusillanimitatem; per sagittam volantem in die, vanam gloriam; per negotium in tenebris perambulans, ambitionem vel auaritiam; per dœmonium meridianum, opera mala specie boni velata. Ab his ergo liberatus, quidni laudans Deum canat: *Non timebo mala, quoniam tu mecum es?*

Psalm. 90. ℣. 5. & 6.

Bernar. serm. 6. in Psalm. cit.

Psalm. 22. ℣. 4.

Placuit eidem S. Gregorio hæc quoque ratio quinta, quam & S. Isidorus innuit, quòd per orationem Diabolus, præcipuus peccatorum auctor reprimatur, & impetus eius refringatur. Hoc enim sonant illa sancti viri verba: Dei memoria in corde fixa atque fundata, vt in oratione figitur & fundatur; irrita consilia aduersarij manent. Fauet huic rationi illud S. Chrysostomi: Ad animam precibus communitam non audet Diabolus propiùs accedere, metuens robur ac fortitudinem, quam illi deprecatio submini strauit, magis vegetans animum, quàm cibus vegetat corpora.] Non minùs illud: Sceleratissimi spiritus, si nos conspexerint deprecatione communitos, illicò resiliunt, non aliter quàm prædones ac facinorosi, vbi conspiciunt militis gladium in caput suum vibrari.]

Chrysost. lib. 2. de orando Deum.

Ibid. lib. 1.

Sit iam aliquis, qui procul à se excludat istam æquè fortiter ac feliciter peccatis obsistentem orationem:

nem: quantis malis ad huiusmodi hominem omnes aditus patebunt? Sensum de hac re suum S. Chrysostomus aperit: Quemadmodum, inquit, ciuitas, quæ muris cincta non est, facilè venit in potestatem hostium, propterea quòd prorsus absit id, quo fuerat hostium incursus arcendus: sic & animam non munitam precibus Diabolus facilè in suam redigit ditionem, nec multo negotio omni genere scelerum implet.] Ibidem: Quisquis non orat Deum, nec diuino colloquio cupit assiduè frui, is mortuus est, & vitâ carens, experséque sanæ mentis.] Vbi mortis nomine intelligit mortem animæ, qualem graue quoduis peccatum generat. Nam præmisit: Mors animæ est impietas, ac vita pugnans cum lege diuina. Ibidem contemnentem orandi studium, confert cum pisce, qui ex aquis extractus emoritur. Si te ipsum, inquit, destitueris precatione, perinde feceris, ac si piscem extraxeris. Vt enim pisci vita est aqua, ita tibi deprecatio.] *Idid. lib. 2.* *Ibidem.*

Ex dictis manifestum est, quare orationi minimè addictus, & citò & grauiter peccatis succumbat. Ideò enim hoc fit, quia talis ex illis rationibus, propter quas ex sententia Patrum paulò ante citatorum peccata euitantur, nullam pro se habet. Non primam, quia talis per orationis neglectionem, magna cum procliuitate rebus terrenis, quæ sunt peccatorum instrumenta, immergitur. Testis est sanctus Gregorius scribens de his, qui longo tempore orationem intermittunt: Sæpè, inquit, curis mundi libenter occupamur. Cumque post hæc studio orationis intendimus, nequaquam se mens ad cælestia erigit: quia pondus hanc terrenæ solicitudinis in profundum mersit. *Greg lib 3. Moral. cap. 17.*

Non secundam: Quomodo enim generosus animus peccatis inimicus insit ei, de quo S. Chrysostomus affirmat: Cùm videro quempiam non amantem orandi studium, *Chrysost. lib. 2. de orando Deum.*

dium, nec huius rei feruidâ vehementique curâ teneri: continuò mihi palàm est, eum nihil egregiæ dotis in animo possidere. Non tertiam. Necesse est enim, vt ab oratione destitutus, destituatur etiam à virtutibus, secundùm illud eiusdem S. Chrysostomi: *Idem lib. 10.* Arbitror cunctis esse manifestum, quòd simpliciter impossibile sit absque precationis præsidio cum virtute degere, cumque hac huius vitæ cursum peragere. Etenim quî fiat, vt quis virtutem exerceat, nisi continenter adeat, & supplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem suppeditat ac largitur hominibus?]

Non quartam. Dei enim præsentiâ gaudere non potest, qui ab eo longè recedit. Recedit autem à Deo, qui se illi per orationem non coniungit, vt sanctus *Greg. Nyssen. lib. de orat. Orat. 1.* Gregorius Nyssenus ait. Non quintam. Fieri enim non potest, vt Diabolum reprimat, & impetus eius sustineat carens illâ armaturâ, quam sic com- *Chrysost. lib. 1. cit.* mendat S. Chrysostomus: Cœlestis est armatura deprecatio, quæ Deo funditur, solaque firmam custodiam præbet his, qui sese Deo tradiderunt: Siquidem cataphractorum & robur & peritiam, tum sagittariorum experientiam, atque in prodendo hoste calliditatem, sæpenumerò ludit ac frustratur vel ipsa belli facies, vel ho- *Idem ibidem.* stium fiducia, cumque his permulta: cæterum deprecatio armatura est inexpugnabilis, ac tutissimum nec vnquam fallens munimentum.]

Ibidem. Beati qui, vt S. Chrysostomus loquitur, insatiabiliter adhærent cultui diuino, idque in summis damnis numerant, si non continenter orent. Pro exemplo po- Daniel propheta orationis studiosissimus. nit Danielem prophetam, qui maluit mori, quàm triduò duntaxat ab orando arceri. Neque enim, inquit, hoc ab eo exigebat rex Persarum, vt impietatem admitteret: tantùm illud obseruabat, si quis intra triduum quidquam petere deprehenderetur ab vllo Deorum aut homi-

hominum, præterquàm ab ipso. Sed Propheta, ne tantulùm quidem temporis, sustinuit ab orando cessare: Propterea quòd nisi Deus propensus sit in nos, nihil omninò bonorum in animas nostras venire possit: Dei verò propensio simul adiuuat labores nostros, hosque pulchrè subleuat, si conspexerit nos amare precandi studium, si continenter orare Deum, si viderit expectantes omnia bona nobis illinc defluxura. Hæc sanctus Doctor.

CAPVT DVODECIMVM.

Qualis orationis neglectio & defectus, sit peccatorum Radix?

MVltæ sunt orationes, quæ si negligantur, tantùm abest, vt ex hac neglectione peccata aliqua oriantur, vt potiùs multa bona ex illa enascantur. Ad talium orationum genus pertinet illa, de qua Psalmographus scripsit: *Et oratio eius fiat in peccatum.* Vbi pronomen Eius, iuxta multorum sanctorum Patrum, & ipsius S. Petri Apostoli expositionem, notat Christi proditorem Iudam, quem oculo prophetico præuidens rex sanctus aduertit, quòd oratio eius, vtpotè mala, perniciem illi allatura esset. Malam autem ideò fuisse S. Hieronymus sentit, quòd Iudas sine spe obtinendæ veniæ orauerit, prorsusque de salute animæ desperans, laqueo se suffocarit. Sanctus Augustinus ideò, quòd Iudas non orauerit per Christum, seu in nomine Christi, quem noluit sequi sed persequi. Oratio autem, inquit, quæ non fit per Christum, non solùm non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum. Euthymius ideò, quia Iudas cum alijs persecutoribus Christi orabat, vt nomen Christianorum deleretur.

Psalm. 108. ℣. 7.

Act. 1. ℣. 20.

Hieron. in Psalm.

August. citat.

Euthymius.

Memorat hos auctores, & eorum interpretationes, Cardinalis Bellarminus, additque, posse etiam dici Iudæ orationem propterea fuisse malam, & in peccatum factam, quia Iudas, non à Deo sed à Diabolo, in illis maximis animæ suæ angustijs, auxilium petijt, & ab eo consilium, vt laqueo vitam finiret, accepit. Deinde subiungit is grauis auctor, orationem tunc fieri in peccatum, & verè esse peccatum, cùm is qui orat, vel non orat, quem debet orare, id est, Deum verum, sed idola vel Diabolum: vel non orat pro re bona, quam æquum est à Deo peti, sed pro re mala, quæ Deo displicet, vt pro ruina inimicorum: vel non orat per vnicum mediatorem, qui est Christus, sed per merita sua, quæ superbè habere se præsumit: vel denique non orat cum spe, aut fide, aut alijs necessarijs bonæ orationis comitibus.

Bellarm. in Psal. eundem.

Quando oratio fiat in peccatum.

Nobis de tam malis orandi modis, in præcedenti capite non fuit sermo, neque illorum neglectionem incusauimus. Laudabilis est hæc neglectio, per quam multa peccata euitantur. Egimus ergo de neglectione orationis bonæ, cuiusmodi orationem, & diuinæ literæ, & sancti Patres, ob multiplices & immensos fructus, quos producit, negligi nolunt, & si negligatur, dolenter ferunt. Sanctus Nilus initiò præcedentis capitis adductus, videtur talem orationem appellare veram: siquidem, vt ibi vidimꝰ, ad Theologum pertinere dixit, vt verè oret. Cùm autem non appareat, quid intersit inter orare verè, & inuocare Deum in veritate, non hallucinabitur, qui senserit S. Nilum alluisse ad illa Dauidis verba: *Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum: omnibus inuocantibus eum in veritate.* Quæ commemoratus Cardinalis sic explanat: Particula hæc, In veritate; includit omnes conditiones bonæ orationis. Nam qui sine vera fide orat, non inuocat Deum in veritate: quia non inuocat Deum, sed idolum capitis sui. Et qui sine

Psal. 144. ℣. 18.

Quid sit orare in veritate.

spe &

spe & fiducia orat, non inuocat Deum in veritate: quia non potest seriò & ex animo inuocare eum, à quo non sperat se audiri. Et qui sine charitate vel sine dilectione saltem inchoata orat, non inuocat Deum in veritate: quia nemo inuocat seriò eum, quem odit, & à quo se odio haberi credit. Et qui sine affectu ac desiderio orant, vt qui recitant Psalmos & Orationem Dominicam absque desiderio consequendi, quæ petunt, non inuocant Deum in veritate, sed inuocare videntur. Denique, qui sine attentione orant, nec sciunt, quid dicant, hi voce tantum non mente orant, & ideò non inuocant Deum in veritate: quia non ipsi verè inuocant, sed signum inane inuocationis ostendunt. Hæc Bellarminus, quinque conditiones orationis bonæ & veræ à Dauide hac particulâ, *In veritate*, inclusas agnoscens, nimirum fidem, tum spem & fiduciam obtinendi quod petitur: deinde charitatem, vt qui orat, Deum diligat: deinde desiderium acquirendi, quod per orationem quæritur: postremò ad institutam orationem seriam & constantem animi attentionem. Quas conditiones, & aliquot alias, quæ passim à varijs auctoribus traduntur, non infructuosum esset illustrare: sed vitandæ prolixitatis causa, tres duntaxat priores illustrandas sumo.

Quinquè conditiones orationis bonæ & veræ.

Prima igitur ponitur à Bellarmino Fides, virtus scilicet Theologica, quæ iurè sibi primum locum vendicat, quia orationis & omnium, quæ ad eam pertinent, est fundamentum. S. Paulus id attigit, cùm dixit: Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? & & alibi: Credere enim oportet accedentem ad Deum. Ipse Christus idem innuit, quando cum doctrina de oratione, sermonem de fide coniunxit. Obseruauit hanc coniunctionem S. Augustinus: Cùm nobis, inquit, Dominus suaderet, quia oportet semper orare & non deficere, adiecit & ait: Verùmtamen filius hominis veniens

Prima conditio orationis est Fides.

Roman. 10. ℣. 14.

Hebr. 11. ℣. 6.

Augustſerm. 36. de Verbis Domini.

niens, putas, inueniet fidem in terra? Tum iterum S. Augustinus: Si fides deficit, oratio perit. Quis enim orat quod non credit? Ergo vt oremus credamus: & vt ipsa non deficiat fides, quâ oramus, oremus. S. Augustinum secutus est Theophylactus: Meritò, inquit, sermoni de oratione, sermonem de fide connexuit Dominus: quoniàm omnis orationis fundamentum & basis est fides.

Luc. 18. ℣. 1. & 8.

Theophylactus.

Fides, quam debet habere oratio, primus actus.

Huius porrò fidei, cui oratio innititur, plures sunt actus. Inter præcipuos est credere, quòd omnia, quæ bona & vera oratio postulat, Deus præstare possit. Exercitatissimi in hoc actu debent esse Christiani homines, quibus notum est illud Salomonis Deum alloquentis: *Subest tibi, cùm volueris, posse.* Clarè enim Rex sapiens docet, posse Deum omnia, quæcunque velit: multumque differre à mundi huius principibus & regibus, qui multa quidem volunt, sed pauca & parua efficere possunt. Proinde cuilibet eorum quadrat, quod de seipso protulit rex Persarum Sisannes, qui interrogatus, cur non omnia fierent, quæ tantus Monarcha fieri vellet, & etiam iuberet, prudenter respondit: Ego Dominus verborum tantùm, & non rerum. Notum etiam Christianis illud S. Pauli de Deo effatum: *Beatus, & solus potens Rex regum, & Dominus dominantium.* Vbi Græcus textus habet: μόνος δυνάστης, solus dynasta. Quod nomen Græcum cùm ἀπὸ τῆς δυνάμεως id est, à potestate deriuetur, benè Latinus interpres vertit, Solus potens. Est autem Deus solus potens, iuxta commentarium S. Ambrosij, quia solus est ipse, qui propriam & à nullo acceptam potentiam habet: vel certè quia solus est perfectissimè potens, cui, quod ad potentiam attinet, nihil prorsus deest. Relictis alijs, notum quoque est illud Angeli Gabrielis dictum: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* In quo loco verbum pro re, phrasi Hebræâ positum:

Sap. 12. ℣. 18.

1. ad Timoth. 6. ℣. 15.

Ambr. ibid.

Luc. 1. ℣. 37.

situm: Vt sit sensus, nulla res est impossibilis Deo. Simili phrasi vsus est Dauid adolescentem interrogans, quid in castris Israël ageretur, & dicens: *Quod est verbum, quod factum est, indica mihi.* Isaias quoque de Ezechia rege narrans: *Non fuit verbum, quod non ostenderet eis Ezechias in domo sua*, id est, non fuit res vlla, quam legatis Babylonicis non ostenderit. *2. Reg. 1. ℣. 37.* *Isaiæ 39. ℣. 2.*

Secundus Fidei actus.

Sed cùm parum prosit oranti, si hoc solùm credat, quòd Deus sit omnipotens, qui omnia dare possit, necesse est alterum dictæ fidei actum accedere, scilicet vt idem orans credat, quòd Deus voluntatem dandi habeat. Quæstori suo (vt Plutarchus refert) mandauerat Alexander Magnus, vt Anaxarcho Philosopho tantum auri daret, quantum ipse postularet. Cùmque Philosophus centum talenta postulasset, & hoc Alexander intellexisset: Rectè, inquit, fecit, sciens se amicum habere, qui tantum dare & possit & velit. O longè humano generi, amiciorem Deum, qui quantumcunque ab eo petatur, dare & potest & vult. Si enim dare nollet, diuitias suas in locis abditis reconderet; non in manu ad dandum expedita portaret. Atqui ita illas ab eo portari, vox hæc Solomonis testatur: *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloria*: item illa. *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* Præterea si dare nollet, ad orationem non inuitaret, & orantibus daturum se omnia, quæ poposcerint, non promitteret. Atqui Christus ipse ait: *Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.* *Prouerb. 3. ℣. 16.* *Cant. 5. ℣. 14.* *Matth. 7. ℣. 7. 8.*

Tertius Fidei actus.

Ne autem hæc Dei voluntas dandi, quod ab eo petitur, in dubium vocari possit, firmandus est animus hoc tertio commemoratæ fidei actu, vt orans Deum esse veracem, & in omnibus promissis suis fidelem credat, in menteque sua imprimat, quæ sacra Scriptura de hac

Deuter. 7. ℣. 9. & 32. ℣. 4. Psal. 144. ℣. 13. eius fidelitate tradit, vt sunt hæc: *Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis & fidelis. Deus fidelis & absq; vlla iniquitate: Fidelis Dominus in omnibus verbis suis,* & alia idgenus plurima. Obscurum est, quod aliqui ex Hebræo textu huc

Ezech. 7. ℣. 7. afferunt, cùm illa verba apud Ezechielem: *Et non gloriæ montium,* sic cum Pagnino legunt: Et non echo montium, vt iste sit sensus: Cùm Deus aliquid vel promittit, vel minatur, vox eius contemni non debet, sicut contemni solet vox, quæ in loco resonanti, qualis solet esse inter valles & concauas rupes, per reflexionem redditur, diciturque à Græcis ἠχὼ, vel echo, & à nonnullis Latinis imago vocis. Verùmtamen hæc quoque cum tali interpretatione lectio, pro veracitate Dei & fidelitate in dictis, non parùm facit. Cùm enim verba eius non sint echo, sed sint vera, seria, & ab omni fuco fallacijsque libera, quidquid dicit, id verissimum esse, credendum est.

Quia verò per istos actus mirificè excitatur quilibet, vt se orationi dedat, propterea odit illos Diabolus, & vnà cum fundamento, quod diximus esse fidem, in nihilum redigere conatur, suosque satellites inclamat:

Psalm. 136. ℣. 7. *Exinanite, exinanite, vsq; ad fundamentum in ea.* Si sensus historicus spectetur, voces hæ erant Idumæorum, qui Babylonios hortabantur, vt vrbem Ierusalem à fundamentis euerterent: pulchrè tamen S. Gregorius accommodat eas Diabolo eiusque satellitibus, qui tunc, ait,

Greg. lib. 15. Moral. cap. 15. Ierusalem exinaniunt, quando peruersi spiritus à corde fidelium, destructo prius ædificio boni operis, soliditatem quoque exhauriunt religionis. Sicut enim supra fundamentum fabrica, sic super fidem opera construuntur. Vsque ad fundamentum ergo exinanisse, est euerso benè viuendi opere, etiam robur fidei dissipasse.]

Secunda orationis bonæ & veræ conditio est Spes seu Fiducia. Secunda orationis veræ & bonæ conditio, in ordine earum, quas Bellarminus recensuit, est spes seu fiducia, vt orans speret se obtenturum, quod in oratione

postulat

postulat. Ipsa liberalitas Deo innata hanc spem excitat & fouet. Quanta sit hæc liberalitas, quis sufficienter dicat? Argumentum est eius euidens, quòd molestè ferat Deus, si ab eo nihil petatur. Propheta Isaias hoc declarauit. Cùm enim impio regi Achaz persuadere non posset, vt aliquod signum seu miraculum à Deo peteret, siue in profundum inferni, siue in excelsum supra, id est, vt aliquis mortuorum ex sepulchro prodiret sicut Samuel prodierat: vel vt terra ad suum vsque centrum, vbi torquentur impij aperiretur sicut fuit aperta, quando Dathan & Abiron deglutiuit: vel vt sol & luna cursum suum inhibendo consisterent, sicut, tempore Iosue constiterant: vel vt ignis ex alto aëre descenderet, sicut ad imperium Eliæ descenderat: cùm, inquam, ad petendum aliquid horum inducere regem non posset Propheta, dixit: *Nunquid parùm vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?* En molestiam Achaz exhibebat Deo, cùm religionem simulando, nihil ab eo petere vellet. Septuaginta interpretes cum maiori quadam energia hanc molestiam expressérunt, qui pro his verbis, Molesti estis & Deo meo, habent: Domino exhibetis agonem: quasi nihil à Deo petere, idem sit, quod graui labore Deum fatigare, & quodammodo enecare. Quocirca non malè de Deo dixeris, quod de Alexandro Seuero narrat Lampridius, solitum illum fuisse indignari, quoties ab eo nihil peteret is, quem rei familiaris angustiâ premi sciret: sæpeque contingebat, vt vocatum ad se talem obiurgaret ac diceret: Quid est, quòd nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem?

Isaia 7. ℣. 11.

1. Reg. 28. ℣. 14.

Num. 16. ℣. 32.

Iosue 10. ℣. 13.

4. Reg. 1. ℣. 10.

Isaia 7. ℣. 13.

At non sufficit, quod de Deo assertum est, nisi simul addatur, etiam tunc magnam Deo afferri molestiam, cùm ab eo parùm petitur. Adstipulatorem hoc additamentum habebit S. Basilium, qui ait: Munificentissimus est, idem & augustissimus rex noster, & indignè fert,

Basil. in constit. monast. cap. 2.

Molestè fert Deus, si ab eo parùm petatur.

fert, quandocunque quis exiguum à se aliquid petit: quandocunque quis nostrûm, de rebus ipsum, minimè ipsi conuenientibus, rogat. Noli igitur illum tibi oratione tuâ iratum facere, sed ea petito tibi, quæ digna sunt & Rege & Deo.] Regem nominat S. Basilius, quòd Regum sit, magna largiri. Nouerat hoc Alexander Magnus, qui Plutarcho teste, cùm Perillus quidam filiabus suis dotem ab eo petijsset, quinquaginta illum talenta capere iussit. Cùmque is decem satis esse respondisset: Tibi quidem, inquit Alexander, satis est tantum accipere, mihi verò non satis est tantum dare. Ad Deum quoque pertinere, homines magnis donis ornare, & talia præcipuè ab eo peti debere, docuit Christus illis verbis: *Quærite ergo primùm regnum Dei, & iustitiam eius*, scilicet Dei, vt textus Græcus indicat. Nempe cœleste regnum, cœlestis beatitudo, cœlestis vita, magna sunt. Item iustitia Dei, id est iustificatio, gratia, charitas, sanctimonia, magna sunt: quibus si terrena comparentur, parua imò nulla quòd sint, apparebit.

Plutarch. in Apophth.

Matth. 6. ℣. 33.

Deus plùs solet dare quàm homines petant.

Jam ad dandum, cùm petitur, accedat Deus, quantùm daturum eum censes? Rex Poloniæ Vladislaus Iagello, teste Cromero, aliquid à se petentibus, ferè dimidium eius, quod petijssent, largiebatur: aliàs tantâ liberalitate Rex, vt quodam tempore Martinus V. Pontifex Maximus, prodigalitatem eius inhibendam sibi esse duceret, dato ad Archiepiscopum Leopolienscm mandato, vt donationes eius rescinderet. Atqui Deo vsitatum est plùs dare, quàm petatur. Tria exempla huc pertinentia Cassianus adducit. Primum illius Reguli, qui cùm Christum rogasset, vt filium eius animam agentem sanaret, plùs ab eo, quàm volebat, imò quàm sperabat, impetrauit. Sperabat enim filio sanitatem restituendam, postquam Christum in domum suam introduxisset: sed iam tunc restitutam fuisse intellexit, cùm sibi

Cromer. lib. 20.

Cassian. collat. 13. cap. 16.

sibi ab eo dictum audiuit: *Vade, filius tuus viuit.* Secundum exemplum Paralytici, à S. Matthæo descripti, cui idem Christus sanitatem animæ & corporis contulit, cùm ille hanc solam posteriorem postulâsset. Tertium alterius Paralytici, qui ad probaticam piscinam octo & triginta annos, vt S. Ioannes refert, cùm frustra, motum aquæ expectans, iacuisset; tandem à Christo & in anima, & in corpore sanatus fuit, quamuis sanitatis animæ, ne mentionem quidem ille feciſſet. Nectitur cum his exemplis & illud de seruo, qui à suo Domino omnium debitorum condonationem obtinuit, cùm hoc tantùm, vt sibi ad soluendum prorogaretur tempus, orasset. Plenum est talium exemplorum, tam nouum quàm vetus testamentum. Ex nouo aliquot iam attulimus; ex veteri vnum delibo.

Ioan. 4. ℣. 5.

Matth. 9. à ℣. 2.

Ioan. 5. à ℣. 27.

Matth. 18. ℣. 27.

Desiderium habebat S. Patriarcha Iacob, vt filium suum Ioſephum in Ægypto regnantem videret. Ostendunt hoc illa eius verba: *Sufficit mihi, si adhuc Ioseph filius meus viuit: Vadam, & videbo illum, antequam moriar.* Proinde vt sui desiderij compos esset, Deum supplex orabat. Quot verò & quanta beneficia sic orans accepit? Iter in Ægyptum cùm iam faceret, apparuit ei Deus, & his promissis illum animauit: *Noli timere, descende in Ægyptum: quia in gentem magnam faciam te ibi: Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem. Ioseph quoq; ponet manus suas super oculos tuos.*

Genes. 45. ℣. 28.

Genes. 46. ℣. 3. 4.

Ibidem. ℣. 27.

Quæ promissa quòd cumulatè exoluerit Deus, constat. Nam quod ad primum attinet, cùm septuaginta tantùm ex familia Iacob in Ægyptum intrassent, iuxta illud Scripturæ: *Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuêre septuaginta*: ita ibi multiplicati erant, vt cùm inde egressi essent, eorum tantùm, qui ad bellandum idonei erant, sexcenta ferè millia numerarentur, præter mulieres, paruulos & senes eiusdem ge-

Exodi 12. ℣. 37.

generis & stirpis, quorum omnium infinita multitudo fuit. Quod ad secundum: Descenderat Deus cum Iacob in Ægyptum, quia totum ipsius iter fortunauit, & vt res eius omnes prosperè euenirent, singulari suâ gratiâ præstitit. Cùm enim Deus sit vbiq; præsens, descendere eum velire & ambulare cum homine aliquo, nihil aliud est, quàm vbiq; eum protegere, &, vt omnia ex sententia succedant, efficere. Quod ad tertium: ex Ægypto reuertentem Iacob adduxit Deus, quia posteros eius post ducentos & quindecim annos eduxit ex Ægypto, & ad terram Chanaam reduxit: ipsum quoque Iacob in Ægypto mortuum, in eandem terram reportari curauit. Quod ad quartum, hanc consolationem moriens Iacob habuit, quòd Ioseph oculos eius clauserit. Magni enim solatij loco semper fuit habitum, si ab aliqua persona vnicè chara, oculi morientis clauderentur. Comprobatur id exemplo feminæ dignitatis summæ, sed senectutis vltimæ (inquit Valerius Maximus) & de ea narrat, quòd moriens filiarum manus ad supremum opprimendorum oculorum officium aduocârit. Idem officium à Iosepho patri persolutum esse, dubitari non potest.

Ire & ambulare Deum cum aliquo hominum, quid sit.

Valer. Max. lib. 2. cap. 1.

Hanc tantam Dei munificentiam vidit & commendauit S. Iacobus Apostolus, dicens: *Dat omnibus affluenter, & non improperat.* Pauca verba, sed quodlibet eorum singulare aliquid continet. Nam verbo, *Dat*, indicatur, Deum tàm continenter & sine intermissione dona sua largiri, vt curiosiùs quærenti, Quid Deus in cœlo operetur? rectè responderetur; *Dat*. Esset que hæc responsio non minùs scita, quàm fuerit illius, qui planè idem scisciranti respondera: Humiles erigit, superbos deprimit. Eodem verbo *Dat*, indicatur discrimen inter Deum & huius mundi Principes, qui non dare, sed auferre & rapere consueuerunt. Videntur esse posteri

Iacob. in Epist. cap. 1. ℣. 5

regis

regis illius Israëlitici Achab, incredibili auaritiâ notatissimi, qui cùm exarsisset desiderio habendi vineam probi militis Naboth, eamque sibi ab eo constanter negari cognouisset, præ indignatione magna *proïciens se*, vt ait sacra Scriptura, *in lectulum suum, auertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem.* Ponderans hæc S. Ambrosius scripsit: Lugent diuites, si non potuerint aliena diripere: si suis pauper non cesserit facultatibus, vim mœroris tegere non possunt. Dormire desiderant, velant faciem suam, ne quidquam in orbe terrarum alienum videant: ne quidquam in hoc mundo non esse suum nouerint: ne videant vicinum iuxta se aliquid possidere: ne audiant pauperem sibi contradicentem. Desinde illud postremum sic legens: *Et non comedit panem suum*, addit; hoc ideò ita esse dictum: quia diuites magis alienum panem, quàm suum manducant, qui rapto viuunt, & rapinis sumptum exercent suum.

3. Reg cap. 21. ℣. 4.

Ambr. lib. de Nabothe cap. 3.

Ijdem Principes auari, videntur esse cultores, & imitatores illius Melchom, de quo apud Ieremiam Prophetam scriptum: *Melchom in transmigrationem ducetur, sacerdotes eius & principes eius simul.* Fuit is primarium apud Ammonitas idolum, quod septem sinus, seu septem receptacula donorum habebat. Horum primo, oblata farina excipiebatur, in secundo ponebantur placentæ, in tertio apparebat ouis, in quarto aries, in quinto vitulus, in sexto bos, in septimo puer, quem inter sacrificandum, symphoniâ circumsonante, flammæ torrebant. Sic illud idolum multis donis oneratum & suffarcinatum, quasi parûm haberet, brachia extensa, & ambas manus exporrectas tenebat, & à prætereuntibus plura petere videbatur.

Ierem. 49. ℣. 3.

Cosm. Magal. l. 3. in Cant. Mosis. sect. 2. annot. 7. Num. 122.

Dat ergo Deus, & quidem *Omnibus*, ideoq; laudes eius etiam Dauid sic canit: *Imples omne animal benedictione.* Per benedictionem autem intelligit refectionem,

Psal. 144. ℣. 16.

quæ fit per escam, cuilibet animali competentem. Congruè tamen nomine benedictionis omne beneficium intelligeret auctor, qui ad illa verba S. Lucæ: *Et benedixit illis Simeon*, ita scripsit: Benedictio in sacra Scriptura, si sit hominis ad hominem, est bona precari: si verò est hominis ad Deum, est laudare: Dei verò ad hominem, est benefacere. Declarat primum illis verbis: *Melchisedech benedixit Abrahæ*, id est, bona illi precatus est. Secundum illis: *Benedic anima mea Domino.* Tertium illis: *Dominus benedixit domino meo valdè*, id est, valde bene fecit Abrahæ Deus, seu multa beneficia contulit.

Luc. 2. ℣. 34. Didac. stella. *Genes. 14. ℣. 19.* *Psalm. 102. ℣. 1.* *Genes. 24. ℣. 35.*

Præterea dat Deus omnibus *Affluenter.* Affluentiam hanc perbellè vocaueris pluuiam liberalitatum vel munificentiarum Dei, imitando versionem Pagnini, qui textum Hebræum interpretando ita vertit, vbi vulgata legit: *Pluuiam voluntariam.* Et hanc liberalitatum pluuiam, quotidie & copiosè effundit Deus super iustos & iniustos, quemadmodum de aquarum pluuia dixit Christus, quæ & ipsa, inter dona Dei numerari debet. Perbellè quoque propter hanc affluentiam, de manu Dei, quòd sit perforata, affirmaueris. Hoc aliquando de manu Francisci primi Galliæ regis, affirmatum esse inuenio. Nam cùm eximius quidam Doctor, & Decanus Parisiensis Thomas Bricotus, hunc regem solenni eius inauguratione dilaudaret, de liberalitate eius agens dicebat, eum instar Diui Francisci, cuius nomen sortitus erat, stigmata in manibus gerere: cùm manibus velut terebratis continere nihil posset. Quid auctor iste de manu Dei dixisset, si, quàm verè hæc nihil continere possit, quod hominibus non largiatur, sermonem aliquem instituere voluisset?

Matth. 5. ℣. 45. *Aluarez instit. 46. Tom. 2. fol. 138.*

Et quamuis hanc affluentiam diuinæ manus, nullus etiam ditissimorum regum assequi potest, laudabiliter tamen & salubriter facit, qui eam, quantùm per facultates

cultates licet, imitatur. Quemlibet talem ad imitationem excitans S. Gregorius Nazianzenus inquit: Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando. Nihil enim tam diuinum homo habet, quàm de alijs benè mereri. Nunquam Dei munificentiam vinces, etiamsi omnia tua bona proijcias, etiamsi te etiam ipsum, bonis tuis adiungas. Nam hoc quoque ipsum accipere est, nempe Deo donari. Quantumcunque contuleris, plura tamen tibi reliqua erunt: nec quidquam tuum dabis, quandoquidem omnia à Deo manant. Et quemadmodum nemo vmbram suam prægredi potest, vt quæ, quantùm progredimur, tantùm etiam se subducat, pariqué semper interuallo nos antecedat: nec corporis magnitudo supra caput sese efferre potest; vtpotè quod supra corpus semper emineat: eodem modo nec Deus muneribus nostris vinci potest. Neque enim quidquam, quod extra illius bona sit, damus, nec quod illius liberalitatem superet. Hæc Nazianzenus. *Greg. Nazian. Orat. 16. de pauperum amore.*

Habet quoque suum pondus, illud postremum S. Iacobi de Deo dictum; *Et non improperat.* Per hoc enim amouetur à Deo grande in liberalitate vitium, quale est, cùm quis sua beneficia arroganter & acerbè exprobrat ei, in quem illa contulit. Perstringens hoc vitium Latinus Orator ait: Odiosum sanè genus hominum officia exprobrantium; quæ meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare qui contulit. Oratori subscripsit Philosophus Seneca, cuius est sententia: Beneficij inter duos lex est. Alter statim debet obliuisci dati, alter accepti nunquam. *Cic. lib. de amicit.* *Seneca lib. 2. de Benef. cap. 10.*

Fateor quidem, quòd etiam Deus sua beneficia sæpè commemoret: sed hoc ille facit sine vllo vitio, cum magno autem bono eorum, quibus ea dedit. Nam hoc modo virtutem gratitudinis in illis excitat, quam qui habet, facilè peccatum euitat, quod carens illa committit.

Rupert. lib. 2. in Genes. cap. 39. mittit. Demonstrat id Rupertus exemplo primi hominis Adam, quem ideò solùm in peccatum prolapsum fuisse ait, quòd multis & magnis beneficijs à Deo ornatus, pertinaciter, vt is auctor loquitur, à creatoris laude mutus perstiterit, & obstinatis labijs ab omni gratiarum actione abstinuerit. Eadem virtute homo præditus, Deum, vt sibi in dies maiora beneficia largiatur prouocat. Hinc illud S. Chrysostomi: Pro omnibus gratias Deo agimus, qui tanta in nos beneficia collocauit. Neq; enim graue aliquid & onerosum à nobis requirit: sed solùm, vt testemur & fateamur beneficia sua, & pro his gratias referamus. Non quòd ipse his egeat, qui sufficientissimus est, nullaque re indiget: sed vt nos discamus auctorem bonorum diligere, & non ingrati simus, sed dignam tantis beneficijs & prouidentiâ virtutem afferamus. Nam sic ipsum ad maiorem nostri solicitudinem prouocabimus.]

Chrysost. in 1m. Genes. Hom. 9.

Antequam à verbis S. Iacobi calamus progrediatur vlteriùs, notat obiter laudabilem consuetudinem Ecclesiæ Christi, quæ publicæ alicuius supplicationis tempore, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum orantium oculis proponit. Propterea enim id facit, vt in illis spem obtinendi quod petunt, erigat. Imitatur Moysen, qui populo suo pugnante cum Amalec, in collis vertice stabat, & virgam versus cœlum eleuatam tenebat. Rationem sui facti hanc habuit, vt populus videns virgam, quæ, vt Abulensis ait, ad multa miracula fuerat organum Dei, animaretur ad fortiter dimicandum, & victoriam se reportaturum non dubitaret, vtpotè virgâ præsente, cuius adminiculo Moyses maxima quæque operatus fuit. Hunc vt dixi Moysen Ecclesia imitatur, cùm publicam orationem indicens, Christum in Ecclesia præsentem exhibet. Hoc enim intendit, vt totus orantium cœtus munificum omnium bonorum

Exodi 17. ¶. 9.

Abulen. q. 4. in cap. cit.

largito-

largitorem intuens, dubitare non audeat, quòd & ipse ab eo cuncta sit habiturus, quæ orando quærit.

Tertia bonæ & veræ orationis conditio est, vt charitatem sibi annexam habeat. Charitas enim animam orantis ad Deum eleuat, concilians illi vitam bonam, de qua S. Ambrosius ita loquitur: Volare facit orationem bona vita, & dat alas precibus spirituales, quibus Sanctorum ad Deum euehatur oratio. Huiusmodi volatum quia optabat Rex Dauid, magno cum affectu dicebat: *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine.* Ad quæ verba S. Ambrosius: Orationem, inquit, suam Dauid dirigit in cœlestia. Mittit eam in conspectum Domini Saluatoris, dans illi flabra iustitiæ, sapientiæ flamina, remigia deuotionis & fidei, innocentiæ, puritatisque subsidia. Peccato enim graueſcit oratio, & longè fit à Deo. Tantò autem plùs grauatur, quantò improbior est vita deprecantis. Innocentium autem ascendit oratio.] Hanc ergò bonam vitam conciliat charitas: quia hæc hominibus ingenerat virtutes, quæ bonam & laudabilem vitam constituunt. Idcircò S. Hieronymus charitatem cunctarum virtutum matrem appellat, sumptâ occasione ex illis verbis S. Pauli: *Charitas patiens est, benigna est. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

Tertia bonæ & veræ orationis conditio. Charitas animam orantis eleuat.

Ambr. in Psal. 118. octon. 22.

Ibidem.

Hieron. Epist. 62. ad Theophilum.

1. Cor. 13. ℣. 4 & seq.

Conciliat & hoc altero modo vitam bonam charitas, quia hæc facit vt mandata Dei seruentur, attestante S. Ioanne Apostolo & Euangelista: *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus.* ipso quoque Christo: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* In conseruatione autem mandatorum Dei sitam esse bonam vitam, docet S. Augustinus: Præcepta inquit, multa sunt in lege, quibus

1. Ioan. 5. ℣. 3.

Ioan. 14. ℣. 23.

August. l. de disciplina Christi c. 2.

quibus ipsa bona vita continetur, imperatur, & discitur.

Idem in Psal. 121. Idem S. Augustin[9] commemoratam eleuationem ideò etiam charitati adscribit, quòd hæc ab omnibus illecebris mundi & appetitionibus prauis abstrahat animam, quib[9] implicata deorsum semper vergere cogitur. Huius enim Doctoris sunt hæc: Sicut amor immundus inflammat animam, & ad terrena concupiscenda, & peritura sectanda vocat, & in ima præcipitat atque in profunda demergit: sic amor sanctus ad superna eleuat, & ad æterna inflammat, & ad ea, quæ non transeunt, neque moriuntur, excitat animam & de profundo inferni leuat ad cœlum. Tum paucis interiectis: Obligata anima amore terreno, quasi viscum habet in pennis, volare non potest. Mundata verò ab affectibus sordidissimis seculi, tanquam extensis pennis, & duabus alis resolutis, ab omni impedimento, id est, duobus præceptis dilectionis Dei & proximi, volat. Quo? nisi ad Deum ascendens volando, quia ascendit amando?]

Sic eleuata cum sua oratione anima, vt oculis Dei placeat, eadem Charitas præstat. Confert enim illi pulchritudinem miram, quam cùm intuetur Deus, plurimùm oratione eius oblectatur, & ipse eam ad orandum excitans ait: *Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Vocem orationis suauem sibi esse dicit, & illa vt in auribus suis sonet, postulat, sed pariter decorem animæ memorat: quia oratio sine decore & pulchritudine animæ, vt coram Deo compareat, eiq; sit accepta, non meretur. Quòd autem charitas pulchritudinem hanc producat nemo ambigere potest, qui illud S. Augustini legerit: Quomodo erimus pulchri? Amando eum, qui semper est pulcher. Quantùm in te crescit amor, tantùm crescit pulchritudo: quia ipsa charitas est animæ pulchritudo. Ibidem S. Doctor attingit modum, quo charitas pulchritudinem animæ producat.

Cant. 2. ℣. 14.

August in Epist. 1. Ioan. Tract. 9.

Dicens

Dicens enim: Anima nostra fratres mei, fœda est per iniquitatem: amando Deum, pulchra efficitur: hoc inquam dicens, indicat, per charitatem deleri peccata, quæ cùm sola animam deformem reddant, deletis illis, necessariò in locum deformitatis pulchritudo succedit. Hoc modo facta fuit pulchra mulier peccatrix, de qua Christus dixit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Luc. 7. ℣. 47.

Vnde patet, quàm diligenter charitatem ad orationem accessurus procurare debeat: ne si ea careat, & peccato inquinatus oret, non tantùm nihil imploret, sed etiam contra se iram Dei concitet. Aptam similitudinem ad hoc declarandum, adducit S. Basilius: Veluti, inquit, si quispiam filium alicuius vnicè dilectum neci tradiderit, isque manus filij sanguine eatenus cruentatas, supplex exporrigat ad patrem vehementer illi infensum, dexteram amicitiæ indicem efflagitans, vtque apud ipsum veniæ locum inueniat: An non respondemus, filij sanguinem in manu filijcidæ, ad iram tantò acriùs exacerbare patrem tali iniuriâ affectum? Hæc S. Basilius, explicans illa verba per Isaiam peccatoribus à Deo dicta: Cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Basil. in c. Isaiæ

Alterâ similitudine ad idem declarandum vtitur S. Chrysostomus: Si quis, inquit, pedes tuos, stercore sordidatis manibus supplicando tangeret, non modò non exaudires, verùmetiam calcibus expelleres. Quomodo igitur audes tu hoc modo Deum orare? Nam qui orat, quasi manu linguâ vtitur, quâ genua Dei supplicando attingit. Nolite igitur ipsam maculare, ne Deus ad vos dicat: *Si multiplicaueritis deprecationem, non exaudiam vos.*] Chrysost. Hom. 32. in Ioan. Isaiæ. 1. citat.

Cæterùm ne peccatores ex his, quæ de oratione

cum charitate coniungenda dicuntur, ansam negligendi orationem arripiant, & cum illo à natiuitate cæco,

Ioan. 9. ℣. 31. à sancto Ioanne descripto sentiant, & dicant: Peccatores Deus non audit: annotandum est, quòd etiam peccatorum charitatis habitu carentium orationes Deus exaudiat, non vt peccatores sunt, sed quatenus cum bono desiderio & proposito placendi Deo &

August. Tract 44. in Ioan. mandata eius seruandi, orant. Quocirca S. Augustinus improbans illius cæci sententiam dicit, eam tunc ab illo fuisse prolatam, cùm tantùm inunctus, id est catechumenus & neophytus, nec satis in rebus fidei institutus esset. Aliàs sensisset, quod iam passim sentitur & docetur, videlicet peccatoribus etiam, ad obtinendam gratiam, & remissionem peccatorum, orationem necessariam esse, eamque à Deo exaudiri, si modo explicato fi-

Ibidem. at. Confirmat hoc S. Augustinus dicens: Si enim peccatores Deus non exaudiret, frustra ille publicanus oculos in terram demittens, & pectus suum percutiens di-

Luca. 18. ℣. 13. ceret: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Ipse quoque S. Au-

August. in lib. 50 Hom. 43. cap. 6 gustinus frustra peccatores ad orandum excitaret: Incumbite orationibus peccatores, confitemini peccata

Ibidem. vestra: orate vt depellantur, orate vt minuantur, orate vt vobis proficientibus, ipsa deficiant. Quin immò frustra Christus Dominus in oratione omnibus præscripta, verba illa posuisset: *Et dimitte nobis debita nostra.*

Ad confirmandum & illustrandum id totum, quod de oratione peccatorum dictum est, multùm con-

D. Thom. 22. q. 83. art. 16. ducit illa S. Thomæ assertio: Si peccator orando aliquid petit, in quantum peccator, id est, secundùm desiderium peccati, in hoc à Deo non auditur ex misericordia, sed quandoque auditur ad vindictam: dum Deus per-

August. Tract. 73. in Ioan. & de Verbis D. Serm. 13. cap. 7. mittit peccatorem adhuc ampliùs ruere in peccata. Deus enim quædam negat propitius, quæ concedit iratus, vt Augustinus dicit. Orationem verò peccatoris ex

bono

bono naturæ desiderio procedentem Deus audit, non quasi ex iustitia, quia peccator hoc non meretur, sed ex pura misericordia: obseruatis tamen quatuor præmissis conditionibus, vt scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, piè & perseueranter. Ita D. Thomas.

Proposui tres primarias orationis conditiones, quæ cum alijs, & hîc à S. Thoma, & superiùs à Bellarmino traditis coniunctæ, bonam & veram Orationem constituunt: qualem intelleximus, cûm in præcedenti capite neglectionem & defectum orationis, radicem esse peccatorum asseruimus. Mala enim oratio si negligatur, potiùs peccata minuuntur, vt initio huius Capitis vidimus.

Pars Operis Quinta.

Pro putatione peccatorum idonea tempora indicans.

Sintné aliqua tempora, quibus obligentur homines, vt in illis peccata sua per pœnitentiam tollant, inquirunt Theologi. Affirmant autem esse, & hæc potißimùm aßignant: Si mors certa, vel manifestum eius periculum instet: si grauis aliqua tentatio fortiter ad peccandum impellens ingruat: si aliquod grande malum Reipublicæ seu Regno impendeat, ad quod auertendum opus sit, vt omnes ad feruentem orationem recurrant, Deumq; placent: si sanctißimum Eucharistiæ Sacramentum sit sumendum, vel ad aliquod aliud accedendum, quod nonnisi præmissâ pœnitentiâ dignè suscipi possit. Aßignant & aliquot alia tempora, & quid singula

Putandis peccatis idonea tempora, quæ Theologi aßignent.

gula probabilitatis habeant, diligenter examinant. Quod cùm faciunt, etiam ipsi tempus putationis inquirunt. Quærere enim, quandonam peccata per pœnitentiam sint tollenda, perinde est, ac si quæreretur, quod sit maximè idoneum tempus, quo peccata fructuosè putentur. Ego ex his temporibus, vno duntaxat, quod postremo loco est positum, retento, aliquot alia proponam, quæ omnes inuitant, vt in illis, sua vitia & peccata putent.

CAPVT PRIMVM.

Peccata idoneè putantur, cùm primùm nascuntur.

Accedentem me ad præsens Caput, fortè aliquis interpellauerit, non rectè inquiri tempus, quo id fiat, quod semper & sine intermissione fieri debet. Atqui putationem peccatorum, semper & sine intermissione debere fieri, S. Bernardus his verbis docet: *Bernard. serm. 58. in Cant.* Quis ita ad vnguem omnia à se superflua resecauit, vt nil se habere putet putatione dignum? Credite mihi, & putata

Putata repullulant.

tata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & sopita denuò excitantur. Parum est ergo semel putasse: sæpè putandum est, imò si fieri possit, sem-

Semper inuenitur, quod putetur.

per: quia semper, quod putari oporteat (si non dissimulas) inuenis. Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras, si vitia putas emortua, & non magis suppressa. Velis, nolis, intra fines tuos habitat Iebusæus: subiugari potest, sed non exterminari. *Scio, inquit, quia non habitat in me bonum.* Parùm est, nisi & malum inesse fateatur.

Rom. 7. ℣. 17.

Ait: *Non quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio. Si autem quod odi, illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Aut te ergo, si audes, præfer Apostolo, nempe ipsius ista vox est, aut fatere cum illo, te quoque vitijs non carere. Medium denique vitiorum virtus tenet: ac proinde sedula eget, non solùm putatione, sed & circumcisione. Alioquin verendum, ne circumquaque à lambentibus, vel potiùs à rodentibus vitijs illa, dum nescis, paulatim elangueat, aut si supercreuerint, suffocetur. Vnum in tanto discrimine consilium est, obseruare diligenter, & mox vt renascentium capita apparebunt, promptâ seueritate succidere. Non

Virtus cum vitijs non potest simul crescere.

potest virtus cum vitijs pariter crescere. Ergo vt illa vigeat, ista crescere non sinantur. Hæc S. Bernardus, quæ qui non approbet, nullus est.

Negari tamen non potest, etiam ea, quæ semper fieri debent, feliciorem successum habere, si hoc potiùs

Idem Bern. ibidem.

quàm illo tempore fiant. Nam vt ibidem S. Bernardus dixit: Omni operi & omni rei sub cœlo, non omne tempus suppetit & aptum est. Quod ipsius dictum, ex illis verbis Salomonis prodijt, quæ, cùm in vulgata

Eccles. 3. ℣. 1.

versione sint talia: *Omnia tempus habent, & suis spatijs transeunt vniuersa sub cœlo:* iuxta Septuaginta interpretes sic sonant: Omnibus tempus est, & opportunitas omni rei sub cœlo. Aliqui etiam ex Hebræo vertunt: Omnibus

bus tempus determinatum, & tempus omni voluntati sub cœlis.

Non ergo sine ratione & fundamento, etiam pro putatione peccatorum tempus idoneum quæritur: quod etiam nos hîc agimus, vbi inprimis docemus, peccata idoneè putari, cùm primùm nascuntur.

Pro qua doctrina communiter adduci solent illa verba Psalmi: *Beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram.* Equidem sensus literalis si spectetur, dixit illa Dauid prædicens victoriam, quam Medi & Persæ ex Babylonijs reportaturi erant, & simul sæuitiam, quâ ijdem in infantes Babyloniorum ita sæuiebant, vt eos arreptos muris petrisque alliderent, & sine vlla miseratione crudeliter occiderent. Atque propter hanc victoriam, duos reges, scilicet Darium Medum & Cyrum Persam beatos, id est, fortunatos Psalmista vocat: quia de Babylonijs, qui regnante Nabuchodonosore vrbem Ierusalem euerterant, item de Idumæis, quibus incitantibus facta fuit illa euersio, tam prosperè Deo fortunante vindictam sumpturos præuidebat. Scio tamen sensu mystico commemorata verba de primis peccatorum initijs, etiam à sanctis Patribus, præsertim ab Augustino, Hieronymo, & Hilario intelligi. Nec illis obstat particula *tuos*, quam etiam ipsi in suis libris retinent, sicut nonnullis obstabat, qui recedentes à Græco & Hebraico textu, non Tuos, sed Suos legerunt.

Psalm. 136. ℣. 9.

August. Hieron. Hilar. in Psal. cit.

Aliquem ex nominatis Patribus loquentem audiamus: Vitia corporis, inquit S. Hilarius, non sunt sinenda coalescere, sed in exordijs statim enecanda sunt. Periculosæ enim sunt iam robustæ cupiditates, & difficulter adulta quæque perimuntur. Leuiùs autem est, prorumpentes auellere, teneras excidere, flexibiles retorquere. Beatus itaque est, quisquis in exordio inhonestas quasque omnium cupiditatum appetitiones, quæ ex voluntate

Difficulter adulta quæque perimuntur.

tate carnis oriuntur, primùm intra ius patientiæ suæ virtutisque cohibebit: deinde eas ad fidem atq; ad metum Dei elisas enecabit.] Similia sunt hæc S. Augustini verba: Qui sunt paruuli Babyloniæ? Nascentes malæ cupiditates. Sunt enim qui cum veteri cupiditate rixantur. Quando nascitur cupiditas, antequam robur faciat aduersùm te mala consuetudo, cùm paruula est cupiditas, nequaquam prauæ consuetudinis robur recipiat, cùm paruula est, elide illam. Sed times ne elisa non moriatur? Ad petram elide. *Petra autem erat Christus.*

Nascentes malæ cupiditates sunt paruuli Babyloniæ.

1. Cor. 10. ℣. 4.

Pro eadem doctrina affert S. Gregorius Nyssenus illud, quod de occisis totius Ægypti primogenitis à sacra Scriptura narratur. Quid hac, inquit, historiæ figurâ docemur? Quòd oporteat primas cogitationes & prima peccandi initia, & vias primas radicitus tollere. Nam qui principia destruxit, is totum nequaquam admisit. Sic & Dominus ipse magnâ voce per Euangelium clamat, primogenita iubens Ægyptiorum interimere: cùm apertè imperet nos expauescere adulterij maculam & cœdis scelus, cupiditate ac irâ penitùs extinctis. Nunquam enim aliquid horum oriri potest, nisi alterum ex ira, alterum ex cupiditate nascatur. Qui primogenitum interimit, is partum quoque, qui ex primogenito nascitur, simul interimit.] In quibus sancti Episcopi verbis diligenter notandum est, quod de Christo Domino asseruit. Nam & is verè peccatorum primordijs seriò occurrendum esse docuit, quando homines ab adulterio & homicidio deterrens, prauam concupiscentiam & iram prohibuit. Ex illa enim adulterium, ex hac homicidium prodit. Et ideò S. Chrysostumus scripsit: Radix homicidij iracundia est. Qui igitur radicem abscindit ipsam, multò faciliùs ramos eius poterit amputare: immò ne germinare illos omninò patietur.]

Greg. Nyssen. lib. de vita Moysis.

Matth. 5. ℣. 28. ℣. 22.

Chrysost. Hom. 16. in Matth.

Eandem doctrinam promouens S. Augustinus, comme-

August. in Psalm. 103. conc. 4.

commemorat caput serpentis, cui dixerat Deus: *Ipsa conteret caput tuum.* Vbi pro, Conteret, legit S. Augustinus, Obseruabit; & Ecclesiæ Dei id accommodans exclamat: O Ecclesia; caput serpentis obserua. Quod est caput serpentis? Prima peccati suggestio. Venit tibi in mentem nescio quid illicitum, noli ibi tenere mentem tuam, noli consentire. Hoc quod venit in mentem, caput serpentis est. Caput calca, & euades cæteros motus. Quid est, Caput calca? Ipsam suggestionem contemne.] *Genes. 3. V. 15.*

Non omittendus Origenes, qui in suo commentario super ilud Canticorum: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas*, aptè ad eandem doctrinam per vulpes paruulas intelligit primas cogitationes prauas, quæ nisi statim opprimantur, tristem depopulationem vineis Christi, id est animabus humanis per peccata ex illis generata inferunt. Verba Origenis sunt. Competenter sanè, inquit, cùm adhuc pusillæ sunt vulpes, capi eas mandat sponsus & comprehendi. Dum enim cogitatio mala in initijs est, facilè potest abijci à corde. Nam si frequenter iteretur & diu permaneat, adducit animam sine dubio ad consensum: & post consensum intra cor suum confirmatum, certum est, quia ad peccati tendat effectum. Dum ergo in initijs est, & pusilla est, capi debet & abijci, ne si adulta fuerit & inueterata, iam non possit expelli. Denique & Iudas initium mali habuit, in amore pecuniæ, & hæc fuit illi vulpes pusilla. Sed & ab hac cùm videret Dominus Iudæ animam, quasi florentem vineam lædi, capere eam volens, & abijcere ex eo, commisit ei pecuniæ loculos, vt possidens quod amabat, à cupiditate cessaret. Sed ille, vtpotè habens sui arbitrij libertatem, non est amplexus medici sapientiam, sed indulsit semetipsum illi, magis consilio, quo exterminabatur anima sua, quàm quo sanabatur.] *Cant. 2. V. 15.*

Vulpes paruulæ sunt primæ cogitationes prauæ.

Cùm autem ad hunc modum, quasi quædam hieroglyphica symbola, ex sacris literis desumpta, ad illustrandam præsentis Capitis doctrinam, isti Patres attulerunt, expendendum est, quàm bonis & ad assensum omnium accommodatis rationibus eandem roborent. Quis enim non assentiatur asserentibus, mala, cùm primùm crescere incipiunt, facilè extirpari posse: at non item, postquam creuerint & induruerint? Oculis suorum discipulorum quidam Senex vitæ religiosæ magister, rem hanc repræsentauerat. Nam vt refert S. Dorotheus Abbas, ingressus hortum, multas cupressos habentem, vni ex discipulis paruam & teneram cupressum ostendit, & vt eam euelleret, mandauit. Quàm ille cùm facilè vnâ manu euulsisset, ostendit illi tres alias itidem euellendas, quarum vnaquæque, vt minor vel maior fuit, ita illi minorem vel maiorem difficultatem, antequàm euelleretur exhibuit. Tandem quintam, quæ multùm excreuerat, & priores magnitudine superabat, cùm idem discipulus, prout iubebatur, euellere conaretur, omnes quidem vires ad hoc præstandum contendebat, sed frustra & irrito conatu: donec alter cum recentibus viribus accederet, & opem illi auxiliumque ferret. His ita peractis, talem sermonem subiunxit senex: Huiusmodi sunt passiones nostræ, Fratres. Cùm teneræ sunt & paruæ, si volumus, facilè illas possumus ex nobis extirpare: quodsi eas neglexerimus, obdurescent illicò; quoque magis obduruerint, eò maiore vi & labore opus erit: quin imò irriti erunt conatus nostri omnes in illos; nisi alicuius sancti viri orationes & auxilium nobis accesserint.]

Doroth. doctrina 11. Tom. 2. Biblioth. PP.

Pulchra similitudine illustrantur præmissa.

Deinde quis non assentiatur, ex paruis malis, quorum initia negliguntur, frequenter ingentem malorum molem crescere? Multùm confirmationis huic affirmationi accedit ex illis verbis S. Chrysostomi: Medici

Chrysost. in Psal. 6.

dici, serpentis alicuius venenum, sæpè serpens & emanans, maximâ celeritate, ne vlteriùs progrediatur, sistunt, eius vitium incidentes: Hoc autem nos quoque faciamus, & quod in nobis est vitium, maximâ celeritate reprimamus, ne vlteriùs progrediens morbum augeat. Neglecta enim peccatorum vulnera sæpè maiora euadunt: & nec vsque ad vulnera solùm sistit morbus & infirmitas, sed sæpè etiam mortem parit. Tum paucis interiectis: Ne priora negligamus, ne mala in maius crescant. Iudas si pecuniæ amorem cõercuisset, non veniisset ad sacrilegium. Si illud compressisset, non ad colophonem, vt aiunt, malorum prosiluisset. Et ideò Christus quoque non solùm fornicationem & adulterium, sed impudicum etiam obtutum reprimit, radicem ab imo euellens, vt faciliùs possit superari vitium. Rursum ibidem: Quando paruam animi perturbationem susceperis, ne eam neglexeris, quòd parua sit, sed considera, quòd id, quod ex ea alitur, maxima mala parit. Etenim postquam in domo aliqua parum stupæ accensum viderimus, conturbamur & tumultum mouemus: non enim attendimus initium, sed ex initio finem considerantes, mouemur & concurrimus, vt totum caminum extinguamus. Hoc igne vehementiùs animam exedit vitium. Oportet itaque præuenire. Nam si fuerimus negligentes, id correctu euadet difficiliùs.]

Neglecta peccatorum vulnera sæpè maiora euadunt.

Parua mala sæpè generant maxima.

Pulchra similitudo.

Præterea quis non assentiatur docentibus, ideò etiam peccata, statim vt oriuntur, putanda esse, ne quis eorum illecebris captus sensim in consuetudinem audacter peccandi veniat. Quæ consuetudo quàm sit lethifera, declarat S. Basilius, explanans illa verba Psalmographi: *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* In his enim verbis notat S. Doctor tres peccandi modos: quorum primus est, abire in consilio impiorum, id est,

Consuetudo peccandi diligenter cauenda.

Basil. in Psalm. 1. ℣. 1.

Tres peccandi modi à Dauide indicati.

à virtute & à cœtu constanter eam colentium, desciscere, per communicationem verò alicuius peccati, turbæ impiorum sese immiscere. Secundus in via peccatorum stare, id est, longo tempore in peccato commisso permanere. Tertius in cathedra pestilentiæ sedere, id est, in consuetudinem peccandi totum se dare.

Atque de hoc tertio modo sic S. Basilius scripsit: Diuturna exercitatio peccatorum, præsertim studio si fit, & certâ destinatione, animabus solet habitum ingignere, vix vnquam desiturum & ægerrimè mobilem. Animæ enim morbus, vbi vetustuit iam, mali item exercitatio simul atque occaluit diuturnitate, vix vllam admittit medelam, aut certè immedicabilis fit prorsus: cùm in his, vt in plerisque alijs consuetudo mutetur & abeat in naturam. Subdit deinde, meritò consuetudinem prauam hoc sibi vendicare nomen, vt pestilentia vocetur. Dicunt, inquit, rerum huiusmodi periti, pestem eâ esse naturâ, vt si vnius hominis vel iumenti corpus attingat, ad quosque proximos quasi partitò serpit: vt vno contaminato, mox ad alium vis morbi perueniat. Tales sunt operarij iniquitatis, alius in alium suum transmittit morbum: proinde coægrotant, simul etiam pereunt.]

Consuetudo praua bene pestilentia vocatur.

Sed nemini alteri, præterquam illi soli, qui frequenter peccat, praua consuetudo noceat; quantùm hoc est malum, quòd iste habitib⁹ ex frequentatione peccatorum contractis, veluti ferreis catenis constrictus, ad virtutis statum se erigere vix possit? Olim Manasses Rex Iuda, ab exercitu Regis Assyriorum captus, & catenis compedibusque vinctus, insuper in captiuitatem Babylonicam abductus, sortem suam miseram deplorans aiebat: *Incuruatus sum multo vinculo ferreo, vt non possim attollere caput meum, & non est respiratio mihi.* O quam Regi huic similes sunt omnes, quotquot peccata peccatis

In fine Bibl. Orat. Man.

catis cumulandi pernicioſa conſuetudo, in ſuam ditionem redegit.

Sit exemplo S. Auguſtinus, qui ſeipſum depingens, qualis fuerit, cùm peccatorum crudeli dominatu premeretur, inquit: Suſpirabam ligatus non ferro alieno, ſed meâ ferreâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate peruerſa facta eſt libido, & dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis, vnde catenam appellaui, tenebat me obſtrictum dura ſeruitus. Voluntas autem noua, quæ mihi eſſe cœperat, vt te gratis colerem, fruique te vellem Deus, ſola certa iucunditas, nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam.] Quocirca veriſſimum eſt illud S. Gregorij: Cùm culpa in vſum venerit, iam animus etiamſi appetat, debiliùs reſiſtit: quia quot vicibus prauæ frequentationis aſtringitur, quaſi tot vinculis ad mentem ligatur.]

Auguſt. lib. 8. Confeſ. cap. 5.

Greg. lib. 4. Moral. cap. 28.

Quantum & hoc frequenter peccantis malum, quòd talis maxima & grauiſſima peccata pro paruis & leuibus, tandem etiam pro nullis reputare diſcat? Propterea S. Auguſtinus ſcripſit: Peccata quamuis magna & horrenda, cùm in conſuetudinem venerint, aut parua, aut nulla eſſe creduntur: vſque adeò, vt non ſolùm non occultanda, verùm etiam iam prædicanda ac diffamanda videantur. Idem habet S. Chryſoſtomus, & hominis veſtem nouam & mundam habentis ſimilitudine illuſtrat. Nam is, primùm quidem ne ſua veſtis paruas etiam maculas contrahat, diligenter curat: poſtquam verò eam multùm iam maculatam viderit, maximas etiam maculas pro nullis habet. Si purum, inquit, habes veſtimenum, caues, ne peſſundes omninò, ne quo modo ſordidetur. Si primam, ſecundam, & tertiam contem-

Frequenter peccans grauia peccata pro nullis habet.

Auguſt. lib. 1. Enchir. cap. 80.

Chryſoſt. Hom. 22. ad pop. Ant.

pseris maculam, iam velut sordidum habens vestimentum, non graue videtur licet totum fiat lutum.]

Ethnici consuetudinem peccandi damnant.

Postremò quis non assentiatur illis Patribus eam rem proponentibus, quam ipsi Ethnici & laudabilem videbant, & omnibus qui à summa improbitate procul abesse vellent, commendabant? Ethnicorum enim hæc sunt: Præstat initijs mederi, quàm fini. Pharmaca nascenti sunt adhibenda malo. Principijs obsta, serò medicina paratur; cùm mala per longas inualuêre moras. Elleborum frustra, cùm iam cutis ægra tumebit, poscentes videas: venienti occurrite morbo. Sunt & alia plurima, quibus rectè adiunxeris antiquos Cretenses, de quibus Valerius Maximus hoc refert: Cretenses, cùm acerbissimâ execratione, aduersus eos, quos vehementer oderunt, vti volunt, vt malâ consuetudine delectentur, optant, modestoque voti genere, efficacissimum vltionis euentum reperiunt. Inutiliter enim aliquid concupiscere, & in eo perseueranter morari, exitio ea dulcedo vicina est.]

Suid.
Theogn.
Ouid.
Persius.
Valer. lib. 7. c. 2.

Consuetudo peccandi vincì & corrigi potest.

Quid ergo? Omnes, qui neglectis peccatorum initijs, improbitati vitæ multùm indulserunt, posse se mores suos corruptelâ consuetudinis deprauatos corrigere, desperent? & illos imitentur, qui desperantes, vt ait S. Paulus, *semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam?* Illos item, qui à Deo per Prophetam Ieremiam moniti, vt reuerteretur vnusquisque à via mala, & dirigeret vias suas, & studia sua, id est, vt aliquando tandem malitiæ suæ finem imponerent, & melioris vitæ rationem inirent, virtutisque exercendæ studio operam darent, pleni diffidentiâ, quòd hoc præstare possent, dicebant: *Desperauimus: post cogitationes enim nostras ibimus, & vnusquisq; prauitatem cordis sui malifaciemus?* Verùm non hoc agimus, vt alicui perniciosæ desperationis laqueus struatur, de quo S. Augu-

Ephes. 4. ℣. 19.
Ierem. 18. ℣. 11.
℣. 12.

stinus

stinus scripsit: Quomodo qui sibi collum ligant, inde se occidunt; quia non ad eos intrat spiritus aëris huius: sic illi, qui desperant de indulgentia Dei, ipsâ desperatione intus se suffocant, vt eos Spiritus sanctus visitare non possit.] *Augustin. lib. 50. Hom. 27.*

Quocirca hoc solùm hîc agitur, citò peccatis occurrendum esse, nec permittendum, vt in nostro corde altas radices agant: quòd his longo tempore neglectis, plurimùm negotij sit habiturus, qui postea illa stirpitùs euellere voluerit. Non ideò tamen erunt remittendæ manus, imò omnis erit in euellendis illis suscipiendus labor, & tantò quidem constantiùs, quantò certiùs constat, verissimè à S. Augustino dictum esse: Consuetudinem vincere difficillimum est: & tamen etiam ipsam, si se quisque non deserat, Deo duce atque adiutore superabit.] En auxilio Dei tantæ vires insunt, vt cum eo quælibet consuetudo peruinci queat. Ideò rex sanctus Dauid laudans propter eas Deum, ait: *Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulchris.* *Idem lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 12.* *Psalm. 63. ℣. 7.*

Vbi S. Augustinus per vinctos, intelligit homines peccatorum compedibus constrictos, ne per viam mandatorum Dei ambulare possint: per exasperantes autem, & in sepulchris habitantes, intelligit vniuersos, quos ipse vocat omninò mortuos, & in operibus mortuis occupatos, quales potissimùm sunt, quos diuturna peccandi consuetudo, in sepulchris profundæ iniquitatis sepeliuit. Vtrique, vt ex suo infelici statu liberentur, diuino auxilio indigent: posteriores præsertim, quia, vt S. Augustinus loquitur, immane mortis genus est, mala consuetudo. Et vt sciatur, non tàm facilè esse, sic mortuis & sepultis vitam dare, subiungit: Aliud est enim peccare, aliud peccandi consuetudinem facere. Qui peccat, & continuò corrigitur, citò reuiuiscit: quia nondum *Augustin. ibid.* *Idem tract. 49. in Ioan.*

nondum est implicatus consuetudine, non est sepultus. Qui autem peccare consueuit, sepultus est, & benè de illo dicitur, fœtet. Incipit enim habere pessimam famam, tanquam odorem teterrimum. Ita S. Augustinus, qui ibidem & alibi docet, id, quod dixit, adumbratum esse per tres defunctos, quos Christus ad vitam reuocauit. Nam difficiliùs quodammodo & operosiùs vitam restituit Lazaro sepulto, quàm puellæ defunctæ, cùm adhuc in domo suorum parentum mortua iaceret, vel adolescenti, cùm iam extra portam ciuitatis funere elatus esset.

Fœtet, qui peccare assueuit.

Idem cit. l. 1. de serm. D. in monte cap. 22.

Suis verbis referat hoc vir sanctus: Peccati tres sunt differentiæ, in corde, in facto, in consuetudine, tanquam tres mortes. Vna quasi in domo, id est, cùm in corde consentitur libidini: altera iam prolata, quasi extra portam; cùm in factum procedit assensio: tertia, cùm vi consuetudinis malæ, tanquam mole terrenâ premitur animus, quasi in sepulchro iam putens. Quæ tria genera mortuorum Dominum resuscitasse, quisquis Euangelium legit, agnoscit. Et fortasse considerat, quas differentias habeat etiam ipsa vox resuscitantis. Cùm alibi dicit, puella surge, & alibi, Iuuenis tibi dico, surge. Alibi infremuit in spiritu, & fleuit, & rursus fremuit, & post deinde voce magnâ exclamauit, Lazare veni foras.] Cæterùm quo sensu maior vel minor, in his vel illis mortuis ad vitam suscitandis, difficultas memoretur, docet S. Thomas, vbi disputat: Vtrum vnum miraculum sit maius alio. Hîc obiter attigisse sit satis, quòd omnia Christi miracula, si cum omnipotentia eius diuina comparentur, æqualia fuerint; quia ab eadem omnipotentia prodierant, cui omnia sunt æquè facilia: si verò modus, quo facta sunt, spectetur, vel ipse res factæ inter se conferantur, alijs alia miracula sublimiora, maiora, ac difficiliora, erant.

Tres peccatorum differentiæ. per tres mortuos à Christo resuscitatos significatæ.

S. Thom. 3. Part. q. 105. art. 8.

Vnum miraculum quomodo sit altero maius vel minus.

Magnum

Magnum ergo & singulare auxilium Dei necessarium est omnibus, qui prauæ consuetudinis iugum excutere, peccatisque relictis, cum virtutibus commercium habere volunt. Et quidem certò sibi hoc auxilium polliceri possunt omnes, dummodò seipsos non deserant, vt paulò ante S. Augustinus dixit. Qui sint, qui seipsos deserant, non est difficile assequi. Nam inprimis omnes sunt tales, qui Dei auxilium non implorant, immemores Dauidis Regis, cui solenne fuit ad Deum confugere, & vt sibi in omnibus tam regni quàm animæ negotijs, cum auxilio præstò esset, orationibus ardentibus instare. Excellit inter eas illa: *Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina.* Facit eam magni tota Ecclesia Catholica, & ab illa omnium horarum officia diuina inchoat. In eandem plurimas laudes congerit Cassianus, & ad frequentem eius vsum, quemlibet excitans ait: Versiculus iste vnicuique nostrûm, in qualibet qualitate degenti, necessarius & vtilis inuenitur. Nam qui semper, & in omnibus desiderat adiuuari, manifestat, quòd non tantùm in rebus duris ac tristibus, sed etiam in secundis ac lætis pari modo, Deo egeat adiutore: vt quemadmodum ex illis erui, ita in istis faciat immorari: in neutro sciens humanam fragilitatem sine illius opitulatione subsistere.]

Quinam sint, qui seipsos deserant.

Psalm. 69. ℣. 2.

Cassian. collat. 10. cap. 10.

Deserunt etiam semetipsos, qui à solo Dei auxilio, omnia quibus opus habent, confici volunt, cùm interim ipsi manum suam mouere nolint. Quasi nunquam monentem S. Paulum audiuerint: *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei.* Deest enim gratiæ Dei, qui ad eius auxilium nullam suam cooperationem adiungit. Non aliud, licet aliâ phrasi voluit idem Apostolus: *Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Vbi Græc⁹ text⁹ pro Adiuuantes habet συνεργοῦντες, quod propriè significat, cooperantes. Quomodo S.

Hebr. 12. ℣. 15.

2. Cor. 6. ℣. 1.

1. Cor. 15. ℣. 10. Paulus cooperabatur, apparet ex istis eius verbis: *Abundantiùs illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum.* In quibus notat S. Bernardus particulam, Mecum, & ait: Potuit S. Paulus dicere, Per me, sed quia minus erat, maluit dicere, Mecum: præsumens se non solùm operis esse ministrum, per effectum, sed & operantis quodammodo socium, per consensum. Cur autem tantopere istam cooperationem à nobis exigat Deꝰ, duas rationes assignat S. Chrysostomus his verbis. Nam quando, quod à nobis est, offerimus, largiter diuinam operationem consequimur. Nam vt ne desides & supini simus, vult etiam nos aliquid conferre: quo sic sua declaret, & nō totum sit superni auxilij, sed oporteat etiam nos aliquid simul afferre. Neq; à nobis iterum exigit totum, sciens infirmitatis nostræ excellentiam, sed suam seruans misericordiam, & volens occasionem aliquam accipere, vt suam declaret liberalitatem, expectat vt afferamus, quæ à nobis sunt.]

Bern. Tract. de gratia, & libero arbit.

Chrysost. Hom. 53. in Genes.

CAPVT SECVNDVM.

Ieiuniorum dies pro putatione peccatorum, idonei dies.

SVmmæ venerationis apud Iudæos fuit Expiationis dies, quem illi decimâ Septembris, celebrabant. Merebatur vel propter hanc solam diem ille mensis vocari Rex Mensium: quomodo antiqui Iudæi solebant vocare quēlibet mensem, in quo plures maioris celebritatis feriæ includebantur: vt etiam includebantur in Septembri, cuius prima dies continebat Festum tubarum, decima, Expiationis seu Propitiationis, decimaquinta, Scenopegiæ seu Tabernaculorum. Et verò si expendantur

Rex mensium quis apud Iudæos.

pendantur singula, quibus Expiationis die, omnes Iudæi vacabant, congruè ad nostrum institutum diceretur, illos tunc putationem peccatorũ peragere solitos fuisse. Toti enim in eo erant, vt peccata, quæ integri anni spatio commiserant, die Expiationis delerent, & Deum sibi propitium redderent. Ipse Deus hoc illis præscripserat dicens: *In hac die Expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris: coram Domino mundabimini.* *Leuit. 16. ℣. 30.*

Vt autem tanti momenti negotium feliciter procederet, multa & magnorum mysteriorum plena, idem Deus statuerat, quæ illo eodem die fierent. Missis alijs, solum ieiunium commemoro, quod omnibus Iudæis tunc indictum erat. Hoc passim intelligunt verborum illorum interpretes: *Mense septimo, decimâ die mensis, affligetis animas vestras.* & illorum: *Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis.* *Ibid. ℣. 29. c. 23. ℣. 29.* Non leuis enim afflictio erat, omnis cibi & potus præsertim delicatioris, corpori subtractio, qualem apud Iudæos ieiuniorum diebus in more fuisse, constat ex illo sermone Danielis Prophetæ: *Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus. Panem desiderabilem*, id est, delicatum, *non comedi, & caro & vinum, non introierunt in os meum: sed neque vnguento vnctus sum.* *Daniel. 10. ℣. 2. 3.* Vbi S. Hieronymus: Hoc, inquit, docemur exemplo, tempore ieiunij à cibis delicatioribus abstinere, quod ego puto nunc dici panem desiderabilem, nec carnem comedere, nec vinum bibere, insuper & vnguenta non quærere.] Augebatur illa austeritas afflictionis dictæ, quòd ieiunia Iudæorum per viginti & quatuor horas, seu per totam diem naturalem durarent. Et ideò S. Hieronymus citatus, Iudæos nonnisi post solis occasum, ieiunia sua soluere consueuisse, ait. *Hieron. ibid.* *Idem lib. 1. cont. Iouiniam.*

Præter ieiunium corporis, etiam dolor internus cordis, propter peccata commissa, quæ commemorato die expiabantur, per afflictionem illam à Deo imperatam,

tam, optimè intelligitur. Quæ enim afflictio peccata sua tollere cupienti, & vtilior, & magis necessaria, quàm afflictio cordis? Hæc afflictio est illa tristitia, quam commendans S. Paulus inquit: *Quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: seculi autem tristitia, mortem operatur.*

2. Cor. 7. ℣. 10.

Hîc iam videndum, cur Deus peccatorum expiationem cum ieiunio coniunxerit, & vt simul vtrumque perageretur, statuerit. Equidem genus humanum docere voluit, tempus ieiunij ad euitanda peccata, maximè idoneum esse, & quemlibet illis resistere volentem, fortiter à ieiunio iuuari. Proinde statim, vt primum hominem creauit, ieiunium illi præscripsit, quod in illis verbis Adamo dictis: *De ligno autem scientiæ boni & mali, ne comedas,* S. Hieronymus & S. Basilius agnoscunt. Docebo (inquit prior) Adam in paradiso accepisse præceptum, vt cætera poma comedens ab vna arbore ieiunaret. Beatitudo Paradisi, absque abstinentia cibi non potuit dedicari. Quandiu ieiunauit in Paradiso fuit: comedit & eiectus est.] Quidquid vetustate præcellit (ait posterior) idem venerabile est. Reuerere igitur ieiunij caniciem. Tam vetus est, vt simul cum homine condito cœperit. In Paradiso præscriptum est. Primum illud præceptum accipit Adam, ne de ligno scientiæ boni & mali ederet. Hoc autem verbum, Non edetis, ieiunij & abstinentiæ lex est.] Eandem ieiunij ad disperdenda peccata virtutem expressit Deus, cùm Prophetam Ioël, & omnes veteris legis Sacerdotes alloqueretur: Sanctificate ieiunium, vocate cœtum. In quo loco Septuaginta habent: Sanctificate ieiunium: prædicate curationem. Hoc enim sonat hæc illorum versio: κηρύξατε θεραπείαν. Retentâ nunc horum interpretum versione, duo in illa expendi debent.

Genes. 2. ℣. 17.

Hieron. lib. 2. cont. Iouinian, cap. 10. Basil. Hom. 2. de laud. ieiun.

Ioël 1. ℣. 14.

Primum, quid sit *Sanctificare ieiunium.* Et ab aliquibus

liquibus auctoribus respondetur idem esse, quod aptum aliquod ad ieiunandum tempus indicere. Semper enim publica ieiunia, publicè & publicâ auctoritate indicebantur, certumq; tempus pro illis assignabatur. Exemplo est, vt alia taceam, ieiunium, quòd Rex Saul, toti suo exercitui, bellum cum Philisthinis gesturo indixerat, & quod Regina Esther sibi omnibusque filijs Israël imperauerat: item quod rex Niniue promulgauerat. Iuuat hanc responsionem phrasis Hebræa, quâ interdum sacra Scriptura vtitur, ponens verbum, Sanctificare, pro segregare, seu separare, vt cùm Deus loquitur: *Sanctifica mihi omne primogenitum.* item: *Sanctificaui mihi, quidquid primùm nascitur in Israël ab homine vsq; ad pecus.* 1. Reg. 14. ℣. 24. Esther 4. ℣. 16. Iona 3. ℣. 7. Exodi 13. ℣. 2. Numer. 3. ℣. 13.

Respondent alij: Sanctificare ieiunium, est, sanctum illud esse & iustum, demonstrare. Confirmant responsum suum illo de falsis & improbis prophetis dicto: *Si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium.* Quod perinde est, ac si dictum fuisset, tam impios & lucri cupidos extitisse quosdam pseudoprophetas, vt quemlibet, à quo nullum munus accepissent, iudicarent dignissimum, contra quem omnes arma sumerent, eumque in nihilum redigerent. Atque hoc bellum illi sanctificabant, id est, iustum, sanctum, & æquum futurum fuisse aiebant. Mich. 3. ℣. 5.

Et sanè posterioris responsionis auctores, verum & magnum ieiunij encomium attingunt. Quis enim neget, ieiunium esse sanctum, quod vt inquit S. Ambrosius, est vita Angelorum, culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum castitatis? Quis neget ieiunium esse iustum, per quod pro peccatis nostris Deo satisfit? Ideoque S. Bernardus ait: Ego interdum abstineo, sed abstinentia mea est satisfactio pro peccatis, non superstitio pro impietate. Amb. lib. de Elia, & ieiun. cap. 3. Bernard. in Cant. serm. 66.

Relictis alijs responsionibus, vnam illam sancti

Greg. Hom. 16. in Euang. Gregorij appono: Sanctificare ieiunium est, adiunctis bonis alijs, dignam Deo abstinentiam carnis ostendere. Cesset ira, sopiantur iurgia, &c.] Ex sententia ergo S. Gregorij, tunc sanctificatur ieiunium, cùm illi opera bona, & multiplices virtutes adiunguntur. Longam talium operum & virtutum seriem texit S. Chrysostomus. Chrysost. Hom. 3. ad popul.

Ieiunas? inquit. Demonstra mihi per ipsa opera. Qualia, inquis, opera? Si pauperem videris, miserere: si inimicum videris, conciliare: si amicum laudabiliter agentem videris, ne inuideas: si mulierem videris speciosam, prætereas. Non enim os tantùm ieiunet, & oculus, & auditus, & pedes, & manus, & omnia corporis nostri membra. Ieiunent manus à rapina, & auaritia mundæ: ieiunent pedes ad illicita spectacula cursum reprimentes: ieiunent oculi discentes, nunquam formosis obtutibus insilire, nec alienas curiosè pulchritudines spectare. Ieiunet & auris. Aurium autem ieiunium, detractiones & calumnias non suscipere. Ieiunet quoque os à verbis turpibus & conuicio, &c.]

Alterum est, quod in verbis adductis ex Prophetia Ioëlis, expendi debet, quid sit *Prædicare curationem.* Non dubitò Prophetis illis proximè commemoratis, qui iubebantur sanctificare ieiunium, simul imperatum fuisse, vt, postquam sanctificatum esset, omnes ad illud inuitarent, & docerent, durante illo ieiunio, tempus esse aptum, quo vnusquisque peccata expiaret, & animam suam sanaret. Sequor ea in re B. Theodoretum, Theodor. in 1. Ioël. cuius commentarius in Ioëlem hæc habet: Docemur, & ieiunium animæ malè habenti sit medicina salutaris: quare ieiunio subiunxit curationem.] Non etiam dubitò, sanctos Patres Græcos, cùm in versione Septuaginta peritissimi essent, occasione eius de ieiunio, tanquam de medicina, ad curandos omnes animæ morbos præsenti & multùm efficaci, solitos fuisse loqui. Non-

ne à

ne à S. Athanasio ieiunium vocatur pharmacum, à sancto autem Chrysostomo medicina, qui etiam aliquot eius regulas tradit, quas medici, cùm ægrotum curant, obseruare solent? Quid memorem S. Basilium, cuius hæc sunt: Quemadmodum inquit, vermes, qui in puerorum intestinis germinant, pharmacis quibusdam vehementer acribus & amaris excutiuntur: ita peccatum in intimis secessibus habitans, extinguit enecatque, simul atque in animam superuenerit ieiunium? Græcos Patres imitantur Latini, præsertim S. Ambrosius, qui dies ieiunij quadragesimalis commendans ait: Testificor vobis, hos esse dies redemptionis, hoc esse tempus cœlestis quodammodo medicinæ, in quo omnium vitiorum nostrorum labem, & vniuersa vulnera peccatorum sanare poterimus.] Sanctus etiam Leo, qui scripsit: Tunc demùm ad animæ curationem proficit medicina ieiunij, cùm abstinentia ieiunantis, esuriem reficit indigentis.]

Athan. de Virgin. & mart. t.
Chrysost. Hom. ad pop. 3.
Basil. Hom. 1. de laude ieiun.
Ambr. Domin. 1. quadrag. serm. 2.
Leo serm. 3. de ieiunio Pentec.

Et ne dicas, sanari quidem ieiunio animas post peccata iam admissa ægras, sed ne rursus vel eadem vel similia admittant, & iterum non ægrotent, minimè illas à ieiunio muniri. Audi quid S. Bernardus asserat: Ieiunium non solùm abolitio est peccatorum, sed extirpatio vitiorum: non solùm obtinet veniam, sed & promeretur gratiam: non solùm delet peccata præterita, quæ commisimus, sed & repellit futura, quæ committere potuimus.] Audi & S. Chrysostomum idem asserentem: Ieiuna, quia peccasti: ieiuna, vt non pecces. Peccauit alius, ieiunauit seipsum castigans, vt effugiat pœnam. Ieiunemus, ne insurgant in nos concupiscentiæ. Vides, vt ieiunium peccata sequatur, hoc est, quia peccata admissa sunt, sit ipsum propter conuersionem & pœnam. Aliud ieiunium peccata præcedit, non vt auferat peccatum, quod commissum sit, sed vt tollat, quod futurum, ieiunaretur.]

Bernard. serm. 4. de Quadra.
Chrysost. serm. 1. de iesun.

Quapro-

Quapropter post sanctificationem ieiunij explicatam, *Prædicare curationem,* nihil aliud est, quàm docere seu declarare, dies quibus ieiunatur, esse valde idoneos dies, quibus animæ ita curentur, vt omnibus morbis, qui per peccata contrahuntur, procul ablegatis, perfectè consanescant.

Quæres. Quomodo fiat, vt ieiunium ad dissipanda peccata tàm multùm conducat? Facilè hæc quæstio expeditur, si non dubitetur, duos esse potissimùm hostes, sub quorum vexillis multorum generum peccata contra nos militant. Primus est Caro, mirè molestus & pertinax hostis, cuius impetus cùm sustineret magnus ille bellator, & tot tantarumque gentium celeberrimus victor S. Paulus, continere se non potuit, quin de sua infelicitate quereretur & diceret: *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Idem hostis est crudelis, qui nemini parcit. Crudelior certè quàm fuerit Esau, qui germanum suum fratrem Iacob, violato iure naturæ persequebatur. Quæ enim maior fraternitas & germanitas inueniri potest, quàm sit inter spiritum seu animam, & inter carnem? Atqui, vt Apostolus ait: *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Idem hostis est multum sanguinarius, quem S. Gregorius comparat cum Agag Rege Amalec, cuius gladius, cùm plurimos vitâ & luce communi priuasset, dicebat ei Samuel: *Sicut fecit absq; liberis mulieres gladius tuus, sic absq; liberis erit inter mulieres mater tua.* Quæ verba carni & eius gladio, scilicet luxuriæ, accommodans S. Doctor, inter alia inquit: Mulieres fidelium mentes intelliguntur, filij verò sanctarum mentium bonæ cogitationes, virtutes & bona opera sunt. Agag verò gladius, matres absque liberis facit, quia delectatio luxuriæ, si euaginari sicut gladius sinitur,

Roman 7. ℣. 23. & 24.

Galat. 5. ℣. 17.

1. Reg. 15. ℣. 33.

Greg. lib. 6. expos cap. 2. in 1. Reg. cap. ult.

nitur, ab eis omnes bonæ cogitationes, omnes virtutes, & bona opera necantur. Idem hostis fraudulentus est. Scitè Origenes docet, similem illum esse Ismáéli, qui ad speciem quidem cùm Isaac ludebat, reuerâ autem, teste S. Paulo, inimicè eum persequebatnr. Quod cùm Sara Isaaci mater aduertisset, animo offensiore in Ismáélem cœpit esse, & vt illum, simulque matrem eius Agar, domo suâ expelleret Abraham, effecit. Considerans id totum, Origenes citatus, & sensu morali, per Ismáélem carnem, per Isaac spiritum siue animam, per Saram virtutem intelligens, ita scripsit: Si caro, cuius personam gerit Ismáél, qui secundùm carnem nascitur, spiritui blandiatur, qui est Isaac, & illecebrosis cum eo deceptionibus agat, si delectationibus illiciat, voluptatibus molliat, huiusceмodi ludus carnis cum spiritu, Saram maximè, quæ est virtus, offendit.] *Origen. Hom. 7. in Genes.* *Genes. 21. ℣. 9.* *Galat. 4. ℣. 29.*

Huius porrò hostis milites, in hoc vnum, vt nos opprimant, intentos, quis numeret? Quot enim sunt carnalia desideria, quorum mentionem faciens sanctus Petrus, diligenter ab illis homines auocat: *Obsecro vos, inquit, tanquam aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam.* Quot sunt concupiscentiæ, si à desiderijs differunt, quas in crucem debere agi, docet illud S. Pauli: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs?* Quot sunt Syrenes, quas memorat versio Aquilæ, qui illa verba *Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis,* vertit: Quoniam humiliasti nos in loco Syrenum. Non displicuit ista versio sancto Ambrosio, qui Syrenum nomine intelligit varia mundi oblectamenta, quibus cùm caro oblectatur, virtutes sopiuntur, & simul cum anima, naufragium patiuntur. Tum de ipsis Syrenibus hæc affert: Syrenes quarum secundò & tertiò mentionem fecit Scriptura diuina, quasdam fuisse puellas, gentilis tradit historia, *1. Petr. 2. ℣. 11.* *Galat. 5. ℣. 19.* *Psalm. 43. ℣. 20.* *Ambr. ibid.* *Isaia 13. ℣. 22.*

ria, quæ vocis propriæ suauitate, canendi illecebris, audiendique studio illectos, nauigantes ad littus admouere nauigia prouocabant: eosque, cùm grariam vocis sequerentur, scopuloso in loco naufragium facere solitos, vetustas posteris tradidit. Adhæc quot sunt sensus tam interni, quàm externi, qui ad intimos animæ recessus peccata intromittunt; cùm tamen ad propulsanda illa satis eos corroborârit Deus, quando vt sacra Scriptura narrat, *in faciem hominis* primò conditi *inspirauit spiraculum vitæ.* Vbi S. Ambrosius pro Inspirauit, legens, Insufflauit: Nunc, inquit, intelligo quâ causâ Dominus Deus insufflauit in faciem homnis. Ibi enim sensus omnis, ibi sedes atque illecebra delectationis, in oculis, auribus, naribus, atque in ore, vt sensus nostros aduersus delectationem fortiores faceret. Insuper quot sunt opera carnis, quarum nonnulla attigit S. Paulus dicens: *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia.* Quibus omnibus caro animam oppugnat, & sæpè etiam minùs cautam expugnat.

Genes. 2. V. 7.

Ambr. ad Sabinum.

Galat. 5. V. 19. & 20.

Diabolus auxilium fert carni.

Alter hostis, qui similiter suo exercitu ex varijs peccatis collecto, nos respirare non sinit, est Diabolus. Multa quæ ad hunc hostem pertinent, cùm in tertia parte huius tractatus sint tradita, hoc solùm hîc addo, ingenium huius hostis esse; vt libenter vires suas cum viribus carnis coniungat; & simul cum illa, paribus mutuisque auxilijs, perniciem animæ struat. Videns enim, quòd contra animam multis & aptis armis sit instructa caro, huic accedit, vt loquitur S. Bernardus, hanc adiuuat, hac vtitur ad impugnandos nos calidissimus serpens, cui nullum alium desiderium est, nullum studium, nullum negotium, nisi effundere sanguinem animarum.

Bernard. serm. 5. in Quadrag.

Hic

Hic est, qui iugiter machinatur malum, qui desideria carnis instigat, qui concupiscentiæ ignem naturalem, quodammodo venenatis suggestionibus sufflat, illicitos motus inflammat, peccati occasiones parat, & mille nocendi artibus, corda hominum tentare non cessat. Hic est, qui manus nostras proprio cingulo alligat, &, vt dicitur, baculo nostro nos cædit: vt caro, quæ data est in adiutorium, in ruinam nobis & in laqueum fiat. Hæc S. Bernardus.

Atque hunc vtrumque hostem cum suis peccatorum exercitibus Ieiunium profligat. Nam quod ad carnem attinet, vbique inter laudes ieiunij hæc quoque ponitur, quòd per illud caro spiritui subigatur. Ponit eam S. Augustinus: Ieiunium, inquit, purgat mentem, subleuat sensum, carnem spiritui subijcit. Ieiunium cor facit contritum & humiliatum, quod Deus non spernit. Ieiunium concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verum lumen accendit. Ponit etiam S. Chrysostomus: Abstinentia, inquit, à cibis, propter hoc recepta est, vt vigorem carnis refrenet, & equum moderanti, facilè parere faciat. Ponit & S. Cyprianus, cuius verba sunt: Ieiunium si discretione regatur, omnis carnis rebellionem edomat, & tyrannidem gulæ spoliat & exarmat. Ieiunnium extraordinarios motus in cippo claudit & arctat, & appetitus vagos distringit & ligat. Cippum Sanctus vir appellat instrumentum ligneum, quo seruorum & captiuorum pedes colligabantur, ne quoquouersum vagari, vel etiam fugere possent: simulque declarat, omnes appetitiones carnis ita in officio contineri à ieiunio, ac si vinctæ, & compeditæ essent.

August. serm. 25. de temp.

Chrysost. Hom. 1. in Genes.

Cyprian. serm. de ieiun. & tentat.

Sanctum Thomam tacitus non præteribo, qui eo modo probat ieiunium esse actum virtutis, quòd per rationem ad bonum honestum ordinetur. Assumitur enim,

S. Thom. 2a. 2æ. q. 147. art. 1.

enim, inquit, ieiunium principaliter ad tria. Primò quidem ad concupiscentias carnis reprimendas. Vnde Apostolus dicit: In ieiunijs, in castitate: quia per ieiunia castitas conseruatur. Vt enim Hieronymus dicit: Sine Cerere & Baccho friget Venus, id est, per abstinentiam cibi & potus tepescit luxuria. Secundò assumitur ad hoc, quòd mens liberiùs eleuetur ad sublimia contemplanda. Vnde dicitur, quòd Daniel, post ieiunium trium hebdomadarum, reuelationem accepit à Deo. Tertiò ad satisfaciendum pro peccatis. Vnde dicitur: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu.* Ita S. Thomas.

2. Cor. 6. ℣. 5.

Hieron. lib. 2. con. Iouin.

Daniel. 10. ℣. 3.

Ioël 2. ℣. 12.

Ne quis autem, ab aliquo ieiunij, & aliarum virtutum inimico illusus, existimet se corpori suo iniurium esse, si illud interdum inediâ affligat, præsertim quo tempore ab eo ad peccatum se vrgeri sentit: discat à S. Augustino, quomodo talem inimicum abigere debeat. Ait enim S. Doctor: Tali dissuasori, malo seruo ventris, respondе per hanc similitudinem, & dic: Si iumento fortè insideres, si equo vtereris, qui te gestiendo posset præcipitare, nonne vt securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, & fame domares, quem freno non posses? Caro mea iumentum meum est: iter ago in Ierusalem: plerumq; me rapit, & de via conatur excludere. Via autem mea Christus est. Ita exultantem non cohibebo ieiunio?]

August. Tract. de Gestis, ieiun. c. 3.

Christus, pugnæ suæ cum Diabolo, ieiunium præmisit.

Ad alterum hostem, scilicet Diabolum, quod attinet, hunc etiam & omnes conatus eius ieiunio frangi, ipso facto Christus Dominus ostendit, quando pugnæ, quam in deserto cum Diabolo commissurus erat, ieiunium præmisit. Obseruauit hoc factum S. Basilius & scripsit: Dominus noster non priùs carne, quam pro nobis assumpserat, Diaboli insultus excepit, quàm eam ieiunio communisset: simul & nos erudiens, vt nos-

Basil. Hom. 1. de ieiunio.

met

met adversus tentatoris conflictus, exemplo palæstritarum, vngamus & exerceamus. Similia habet S. Ambrosius, vbi inquit: Castra nobis sunt nostra ieiunia, quæ nos à Diabolica oppugnatione defendunt. & paulò post: Murus quidam est Christiano ieiunium, inexpugnabilis Diabolo, intransgressibilis inimico. Quis enim vnquam Christianorum ieiunauit, & captus est? Quis sobrius mansit, & victus est? Temulentum aggreditur Diabolus, luxuriosum oppugnat inimicus. Vbi autem ieiunum viderit, fugit, metuit, pertimescit, terretur pallore eius, debilitatur inedià, infirmitate prosternitur: prosternitur autem infirmitate, quia Christiana infirmitas, fortitudo est. Vnde ait Apostolus: *Cùm infirmor, tunc fortior sum.* Sed quærit aliquis, quemadmodum fortis infirmitas? Tunc est fortis infirmitas, quando caro tabescit ieiunijs, anima puritate pinguescit. Quantùm enim illi ciborum succus subtrahitur, tantùm huic iustitiæ virtus augetur. Tunc igitur homo imbecillis quidem est ad secularia, sed fortis est ad diuina opera. Tunc enim magis de Deo cogitat, tunc iudicium metuit, tunc vincit inimicum.] Potuitne S. Ambrosius vires ieiunij contra Diabolum meliùs exprimere, quàm dicendo quòd ad solum hominis ieiunantis aspectum, debilitatus Diabolus fugiat?

Ambr. serm. 36. fer. 5 post 1. Quadrag. al. serm. 25. de Quadrag.

Ad aspectum hominis ieiunantis Diabolus fugit.

2. Cor. 12. ℣. 10.

Cùm igitur ieiunium, & carnem, & Diabolum superet & frangat, necesse est, vt dicatur ieiuniorum dies ad putanda & disperdenda peccata esse maximè idoneos dies, quibus tanti peccatorum auctores domiti, nihil moliri possunt, quòd homo ieiunio deditus superare nequeat.

Ex dictis apparet, quàm meritò nobis Christianis vsitatæ Quadragesimæ dies, cùm illo Expiationis die in antiqua lege celebrari solito, non solùm conferri, sed etiam longè illi præferri debeant. Illo enim die solagens

Dies Quadragesimæ diei Expiationis antiquæ antecellunt.

gens Iudæa ieinnabat; istis omnium nationum Christiani in vniuerso terrarum orbe ieiunant: & eò quidem alacriùs, quò meliùs Quadragesimæ ieiunium à Sancto Sanctorum esse consecratum, nôrunt. Nam, vt ait S. Ambrosius: Quadragesimam nobis Dominus suo ieiunio consecrauit. Quod dixi ieiunio non ieiunijs. Vnum enim ieiunium Domini fuit: quia continuatis quadraginta diebus & noctibus, cibum omninò non sumpsit.] Ibidem tam nobilis personæ ieiunantis exemplo confundit Christianum, qui hoc ieiunium respuit. Rescindis, inquit, legem, qui exemplum ieiunij Dominici non custodis. Qualis Christianus es, cum Domino ieiunante tu prandes? Qualis Christianus es, cum Christo esuriente, tu reficeris? Ille pro salute tua famem sustinet, tu pro peccatis tuis ieiunare formidas?]

Ambr. serm. 31. de ratione Quadrag.

Quadragesimam suo ieiunio consecrauit Christus.

Deinde, illo Expiationis die, omnis splendor cum squalore commutabatur, vt ne summo quidem Pontifici liceret tunc pretioso & splendido vestitu vti. Qnantus verò & quàm salutaris, tempore Quadragesimæ in templis & altaribus Christianorum squalor? Contemplanti quàm omnia tunc sint pulla, quàm atrata, quàm lugubris in ipsis sacrorum Antistibus conspicitur amictus; facilè vnicuique præter Expiationis diem, venire potest in mentem regina Esther, de qua scriptum: *Esther quoque Regina confugit ad Dominum, pauens periculum, quod imminebat. Cùmq; deposuisset vestes regias, fletibus & luctui apta indumenta suscepit, & pro vnguentis varijs, cinere & stercore impleuit caput, & corpus suum humiliauit ieiunijs.*

Esther 14. ℣. 1. & seq.

Præterea Expiationis die, debebat qnilibet animam suam affligere, id est, ad ieiunium corporis etiam dolorem cordis propter commissa peccata adiungere. Multùm enim tali afflictione oblectatur Deus, vt Rex Dauid illis verbis indicauit. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.*

Dolore cordis propter peccata concepto, oblectatur Deus.

Psalm. 50. ℣. 19.

Quæ

Quæ sic interpretatur Bellarminus: Spiritus contribulatus idem est, quod cor contritum. Nam in codice Hebraico & Græco eadem vox repetitur, spiritus contritus, & cor contritum: sed interpres Latinus maluit variare vocabula, & sensus idem est. Dicitur enim spiritus contribulatus anima dolore affecta, ac per hoc in tribulatione posita ob peccatum in Deum commissum. Sic etiam spiritus contritus dicitur anima, ex dolore concepto ob admissum peccatum, quasi scissa & in pulueremredacta, non ampliùs retinens lapideam duritiem & resistentiam.] Satis quoque ipse Deus oblectari se dicta afflictione ostendit, quando de homine offerente pro peccato suo, similæ partem ephi decimam, dixit: *Non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet: quia pro peccato est.* In quibus verbis hoc mysterium latet, quod peccator, si Deum sibi reconciliare velit, nec oleum lætitiæ, nec thus suauitatis in anima sua habere debeat, sed afflictionem, dolorem, mœrorem. Detexit hoc mysterium Hieronymus Oleaster: Quid faciunt, inquit, qui lætantur cùm malè egerint, & exultant in rebus pessimis? Non vult Dominus peccatorem lætari, aut lætum videre, sed gaudet aspicere sacco indutum, cinere capite conspersum, qualem legimus post peccatum apparuisse Achab, coram eo flentem & eiulantem, totiusque lætitiæ expertem. Iusti, ait Dauid, lætabuntur & exultabunt coram Deo: & gaudebunt in lætitia. Non est autem gaudere impijs, dicit Dominus. Prohibet etiam thus, ne putaret peccator aliquid boni odoris in se esse, quod Dominus libenter olfaceret. Si etiam per thus orationes intelligas, deprehendes, quàm ægrè ferat Dominus bona malis inuoluta. Tam horribile & fætidum peccatum est, vt quibuscunque illud odoribus misceas aut respergas, fœtorem non perdat. Sic Oleaster. Cui de proposito mysterio ad hunc modum

Bellarm. ibidem.

Leuit. 5. ℣. 11.

Oleaster ibid.

3. Reg. cap. 21.

Psalm. 67. ℣. 4.

Isaiæ 48. ℣. 22. & 57. ℣. 21. iuxta 70.

dum discurrendi, puto datam esse occasionem ab Origene, qui expendens commemoratum Dei edictum de offerente sacrificium pro peccato, scripsit: Quod sacrificium pro peccato est, nec oleum lætitiæ ei, nec thus suauitatis imponitur. De peccantibus enim dicit Apostolus: *Et lugeam eos, qui ante peccauerunt & non egerunt pœnitentiam.* Nec odor in eo suauitatis est, quia ex persona peccatoris dicitur: *Computruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ.*]

Origen. 7. Leuit. Hom. 5.

2. Cor. 12. ℣. 21.

Psalm. 37. ℣. 6.

Quis verò diebus Quadragesimæ, eiusdem generis afflictionem inter cultores Christi desideret, quam illis tam crebrò Ecclesia inculcat verbis ex Ioële prophetia desumptis, ipsum Deum loquentem inducens: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu. Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Corda nominantur, ne fortè aliquis censeat præcipi à Deo scissionem vestium, qualis ad manifestandum animi dolorem, & Iudæis & varijs Gentibus valde familiaris fuit, vt apud auctores tàm sacros quàm profanos legere licet. Corda ergo Deus imperat scindi, id est, vehementi dolore propter varias noxas affici. Ideò S. Hieronymus verborum Dei talem paraphrasim facit. Quia consuetudinis est, vt in tristibus atq; aduersis scindatis vestes (quod & Pontifex, ad Domini Saluatoris crimen augendum, in Euangelio fecisse memoratur, & Paulum & Barnabam audientes verba blasphemiæ legimus perpetrasse) idcircò ergo præcipio vobis, vt nequaquam scindatis vestimenta, sed corda, quæ plena sunt peccatis.]

Ioël 2. ℣. 13.

Cor, non vestis, scindi debet.

Hieron. ibid.

Matth. 26. ℣. 61.

Actor. 14. ℣. 13.

Ad extremùm Expiationis die aliquot primariæ actiones cùm sanguine cæsæ victimæ fiebant. Tunc enim summus Pontifex hircum & vitulum immolabat, & sanguinem eorum in Sancta Sanctorum inferebat, eoq; illa aspergebat, & quasi populi peccatis inquinata mundabat.

Leuit. 16.

dabat. Diebus porrò Quadrageſimæ proponitur ſanguis, quo ſe animæ Chriſtianæ ſummo cum fructu ſanctas & mundas reddant: ſanguis, inquam, Chriſti, qui, vt S. Paulus ait: *Aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, id eſt, non huius creationis, neque per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem, introiuit ſemel in ſancta, æternâ redemptione inuentâ. &c.* Hebr. 9. ℣. 11. 12.

Ex dictis ſimiliter apparet, quàm omni laude cumulandi ſint antiqui noſtri Poloni, qui ieiuniorum dies magno in honore habebant, & totis nouem hebdomadis ante Paſcha non grauatè ieiunabant: quoad in Poloniam, gubernante eam Principe Boleſlao Pudico veniret Iacobus Leodienſis Archidiaconus, ab Innocentio Pontifice Maximo legatus miſſus, qui confectis negotijs ſibi datis, memoratum quoque ieiunium contraxit, & vt deinceps hebdomadarum ſex & dimidiæ eſſet, indulſit. Quòd verò non ſoli, vulgaris conditionis homines, ſed etiam ipſi Reges & Principes ieiuniorum ſeruantiſſimi fuerint, exemplo eſt Vladiſlaus Iagello Rex, quem diebus ieiuniorum ferè pane tantum & aquâ vti ſolitum fuiſſe Cromerus tradit. Longè vetuſtius exemplum, præter Boleſlaum tertium Principem, cuius ſupra meminimus, fuit etiam Premiſlus Dux Maioris Poloniæ, cuius cibus per Quadrageſimale tempus qualis eſſet, ex potu eius, & alijs rebus, quibus per idem tempus corpus ſuum afflictabat, conijcere licet. De illo enim, inter alia multa, idem Hiſtoricus inquit: Vſque adeò addictus fuit religioni, & cultui diuino, vt per tempus Quadragenarij ieiunij, cilicio ſuper nudum corpus, & vino diluto admodùm, aut inſipidiore ceruiſiâ vteretur. Quid ſentiendum de Eccleſiaſticis & Sacerdotio præditis perſonis, ſi ſacris non initiatos, & negotijs grauibus Reipublicæ intentos, tantopere ieiunia oblectabant? Cromer. lib. 8.

Antiqui Poloni in obſeruandis ieiunij diebus religioſiſſimi.

Cromer. lib. 20.

Cromer. lib. 9.

Dubitare nefas, passim illas singulari ieiunio præluxisse: quas posterioribus seculis imitabatur Sbigneus Olesnicius, Cardinalis & Episcopus Cracouiensis, quem idem historicus è vita excessisse ait, cùm Quadragesimam ferè omnem arctiore abstinentiâ peregisset. Imitabatur & alter Cardinalis & Episcopus Varmiensis Stanislaus Hosius, qui, teste vitæ eius scriptore Stanislao Rescio, etiam decursâ ætate, nullis, tam medicorum consilijs, quàm amicorum precibus, expugnari potuit, vt tempore Quadragesimæ de austero sibique vsitato ieiunandi modo, aliquid remitteret. Maioris autem in suo proposito constantiæ gratiâ, illud diuinum præceptum: *Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram*, frequenter in ore habebat, & sibi ieiunium ita condicebat: Pater meus est Deus in cœlis, mater mea est Ecclesia in terris. Ille præcipit vt ieiunem, ista præcipit, vt his vel illis diebus, & isto vel illo tempore, ieiunem. Vtrumque libentissimè audio, certamque spem concipio, vt obedientiæ meæ fructum hunc referam, vt sim longæuus, sicut mihi Scriptura promittit, super terram.

Rescius cap. 13.

Exodi 20. ¶. 12.

CAPVT TERTIVM.

Festi dies proputatione peccatorum idonei dies.

SVmmè omnibus hominibus necessaria res est, animæ quies. De hac quiete S. Chrysostomus intelligit locum illum Geneseos, in quo secundùm versionem Septuaginta interpretum, sic Deus loquitur ad Cain: Nonne si rectè offeras, non rectè autem diuidas, peccasti? Quiesce. Nempe peccauerat Cain, grauiter inuidendo & irascendo fratri suo Abel, quòd eius sacrificium Deo placuisset, suum verò displicuisset. Idcircò autem displicuerat, quia Cain rectè quidem obtulerat, sed

Chrysost. Hom. 18. in Genes.

Genes. 4. ¶. 7.

sed non rectè diuiserat, id est, vt explicat Rupertus, quia Cain, cùm Deo offerret sua, seipsum sibi retinuerat, repositum habens in cupiditate terrena. Huiusmodi portionem Deus non accipit: sed, Præbe, inquit, fili cor tuum mihi: at ille cor suum retinuit sibi, & fructus terræ Deo obtulit. Porrò Abel primò suum, deinde rem suam offerendo, plurimam hostiam per fidem obtulit. Ita Rupertus, doctrinæ S. Augustini inhærens; qui S. Doctor alteram quoque verborum Dei explicationem tradit. Rectè, inquit, offertur sacrificium, cùm offertur vero Deo, cui vni tantummodo sacrificandum est. Non autem rectè diuiditur, dum non discernuntur rectè, vel loca, vel tempora, vel res ipsæ, quæ offeruntur, vel qui offert, vel cui offertur, vel hi, quibus ad vescendum distribuitur, quod oblatum est: vt diuisionem intelligamus hîc discretionem: siue cùm offertur, vbi non oportet, aut quod oportet, aut quod non ibi, sed alibi oportet: siue cùm offertur, quando non oportet, aut quod non tunc, sed aliàs oportet: siue cùm id offertur, quod nusquam & nunquam penitùs debuit: siue cùm electiora sibi, eiusdem generis rerum, tenet homo, quàm sunt ea, quæ offert Deo: siue cùm eius rei, quæ oblata est, fit particeps profanus, aut quilibet, quem fas non est fieri. In quo autem horum Deo displicuerit Cain, facilè non potest inueniri. Hæc S. Augustinus.

Rupert. lib. 4. in Genes. cap. 2.

August lib. 15. de Ciuit. cap. 7.

Sic ex peccatis in peccata ruenti Cain, volens subuenire Deus, mandauerat illi, vt quiesceret, id est, vt turbidis concitatisq; perturbationibus raptari se non permitteret: sed potiùs consilio sedato, & iudicio tranquillo expenderet, quid iam damni ex peccatis commissis accepisset: quid item ex alijs, quæ animo designauerat, accepturus esset. Ita vt dixi, sancto Chrysostomo sonat illud verbum Dei, *Quiesce*: quod ex hoc eius commentario apparet: Quia peccasti, quiesce: tran-

quillitatem facito tuarum cogitationum, & libera mentem à procellis fluctuum inundantium: cohibe tumultus illos tuos, ne addas priori peccato grauius aliud, neque consilium aliquod immedicabile arripias: ne te ipsum maligno Dæmoni captiuum tradas.]

Eiusdem quietis necessitatem exemplo suo ostendit Deus, cùm vniuersam mundi molem conderet. Neque enim sine causa, cùm creationi eius sex dies dedisset, septimum quieti dedit, secundùm illud Genesis: *Et requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrârat.* Causam verò assignans S. Bernardus ait: Deus ipse te ad captandam quietem spiritus, quasi suo inuitauit exemplo. Deinde subdit: Si ergo sex diebus, vel non paucis mensibus operatus es, & salutem aliorum quæsiuisti, iam Sabbathum, id est, tempus aliquod quieti destinatum, libenter excipe.] Propter maiorem autem huius quietis commendationem, dictum diem septimum singularis benedictionis & sanctificationis priuilegio ornauit Deus. Dicit enim Scriptura: *Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum: quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit Deus vt faceret.* Ad quem locum S. Augustinus inquit: Nec cùm creauit defessus, nec cùm cessauit, refectus est: sed nos voluit per scripturam suam ad quietis exhortari desiderium, intimando nobis, eum diem se sanctificasse, in quo quieuit ab omnibus operibus suis. Nam nusquam omnium sex dierum, quibus creta sunt omnia, legitur aliquid sanctificasse, nec ante ipsos sex dies, vbi scriptum est, *In principio fecit Deus cœlum & terram*, additum est, Et sanctificauit: sed diem istum, in quo requieuit ab omnibus operibus suis, quæ fecit, sanctificare voluit: tanquam & apud ipsum, qui nihil in opere suo laborat, plùs quies quàm operatio valeat.] Confirmat S. Doctor quod dixit: Hoc quidem, inquit, in hominibus Euangelium nobis intimat, vbi Sal-

Genes. 2. ℣. 2.

Bernar. ad fratres de monte Dei.

Genes. 2. ℣. 3.

August. lib. 4. de Genes. ad liter. cap. 14.

Genes. 2. ℣. 3.

Apud Deum plùs quies animi, quàm operatio valet.

uator

uator noſter, meliorem partem dicit Mariæ, quòd ſedens ad pedes eius requieſcebat in verbo eius, quàm Marthæ, quamuis propter obſequium, quo ei miniſtrabat, circa multa occupatæ, & licet bonum opus operantis.] *Luca 10. ℣. 42.*

Magni momenti eſt etiam exemplum Regis Dauid, qui animæ ſuæ quietis diligentiſſimus & ſtudioſiſſimus cùm eſſet, identidem negotijs regni ſeſe ſubducebat, frequentiamque hominum vitabat. Ideò tribus auibus, quæ ſolitudinem & loca deſerta amant, ſeipſum comparat, ſcilicet pelicano ſolitudinis, ſeu in ſolitudine degenti; item nycticoraci in domicilio, vel vt S. Auguſtinus vertit, in parietinis, ſeu inter ruinas murorum, qui nec tectum, nec vllos ex hominibus habitatores habent: deniq; paſſeri ſolitario in tecto, id eſt, in parte alicuius ædificij ſuprema, ad quam aditus facilis non pateat. Quodſi interdum propter maximas curas & moleſtas actiones, quales regnorum adminiſtratio generat, non tantùm ex quiete rex ſanctus habere potuit, quantùm volebat, angebatur grauiter, & volucris inſtar, ab hominibus procul auolare optabat. Hinc illæ voces eius: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?*] *Pſalm. 101. ℣. 7. & 8.* Tribus auibus ſe comparat Dauid. *Pſalm. 54. ℣. 7.*

Potiſſimùm autem omnibus putationem ſuorum peccatorum aggredi volentibus, dicta quies animi eſt neceſſaria. Inprimis verò ad hoc, vt ſi fortè omnia negotia, ex quibus occaſionem peccandi ſumunt, à ſe ablegare nequeant, ſaltem illam ſapientiam acquirant, quæ nonniſi in quiete diſcitur, & de qua S. Gregorius ita ſcripſit: Pleni ſupernâ ſapientiâ diſcernunt, qualiter debeant, & ad aliud vacare intrinſecùs, & ad aliud extrinſecùs occupari: vt ſi fortè occultâ Dei ordinatione, aliquid eis non appetentibus, de huius ſeculi curis imponitur, cedant Deo, quem diligunt: & præ amore eius intrinſecùs ſolam illius deſiderent viſionem; præ timore verò eius, impoſitam ſibi extrinſecùs humiliter expleant Quies animi, peccata ſua putantibus neceſſaria. *Gregor. lib. 18. Moral. cap. 29.*

pleant actionem: vt & vacare Deo appetant ex gratia dilectionis, & rursum curas superimpositas ex conditione expleant seruitutis. Cùmque occupationes extrinsecùs perstrepunt; intrinsecùs in amore pacatissima quies tenetur.] Tali sapientiâ plenum fuisse S. Malachiam Episcopum annotauit S. Bernardus: Si videres, inquit, hominem medijs immersum turbis, & implicatum curis; diceres, Patriæ natum, non sibi. Si videres hominem solum & secum habitantem, putares soli viuere Deo, & sibi.] Fuit & ipse S. Bernardus eâdem sapientiâ plenus, quem vitæ eius scriptor dilaudans ait: Totus quodammodò exteriùs laborabat, & totus interiùs Deo vacabat: in altero pascens conscientiam, in altero deuotionem. Laboris ergo tempore, & intus orabat seu meditabatur absque intermissione exterioris laboris: & exteriùs laborabat, absque iactura interioris suauitatis.]

Bernard. ad finem vitæ S. Malach.

Guilel. de vita S. Bern. lib. 1 c. 4.

In quiete animi facilè peccata videntur.

Secundò necessaria est illis dicta quies, vt peccata, quæ putari debent, clarè videant. Quomodo enim turbato mentis oculo viderentur, quæ suâpte naturâ instar sepiæ tenebras offundere, & in eis se occultare nôrunt? Acri in omnem partem mentis acie fuit Rex Dauid, dicebat tamen: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo.* Ne igitur non omnia peccata deprehendantur, & curam putare ea volentis eludant, singularis attentio & quies mentis requiritur. Lumen huic rei eximium affert illa similitudo à S. Basilio tradita: Vt oculus corporis continuo circumactu versatus, & nunc horsum illorsumque deflexus, nunc sursum deorsumque erectus vicissim ac depressus, exactè cernere nequit, sed obtutu incumbere in rem visam eum oportet, siquidem conspectum rei perspicuum facturus est: hunc in modum, mentem humanam sexcentis mundi curis distractam, euidenter cernere veritatem, vix est, vt euenire possit.] Ter-

Psalm. 18. ℣. 13.

Basil. Epist. 1. ad S. Gregorium Theologum.

Tertiò. Vt Deum per internas inſpirationes loquentem, & ad peccata ritè putanda vtiles doctrinas tradentem audiant. Vox enim inſpirationum diuinarum ſolet eſſe tàm tenuis & ſubtilis, vt ad percipiendam eam, ſummâ quiete animi ſit opus. De hac voce, dictum eſſe ab Eliphaz, volunt nonnulli interpretes verborum illorum: *Porrò ad me dictum eſt verbum abſconditum, & quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius.* Inter hos interpretes eſt quoque S. Gregorius. Venas, inquit, ſuperni ſuſurri, auris cordis furtiuè ſuſcipit: quia ſubtilitatem locutionis intimæ afflata mens, & raptim & occultè cognoſcit. Niſi enim ſe ab exterioribus deſiderijs abſcondat, interna non penetrat.] In eadem quiete vox Dei auditur. *Iob 4. ℣. 12.*

Ad eiuſdem vocis diuinæ ſubtilitatem refertur ab aliquibus, illud Dei dictum: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Quid enim eſt ad cor loqui? Scio S. Hieronymum in hoc loquendi modo agnoſcere idioma, ſeu phraſim linguæ Hebrææ, in qua ad cor loqui, ſignificat blandè illud alloqui, & ſuauiter ſolari, vt apparet in illo loco Iſaiæ: *Conſolamini, conſolamini populе meus, dicit Deus veſter. Loquimini ad cor Ieruſalem.* Similiter in illo, vbi Ruth dicit ad Booz: *Inueni gratiam apud oculos tuos Domine mi, qui conſolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ.* Nihil tamen obeſt, quò minùs dicatur, loqui Deum ad cor, eſſe etiam loqui tacitè, ſecretò, ſubmiſsè. Vox enim inſpirationis diuinæ, non ſonat in foro, ſed nec auditur in publico, vt ait S. Bernardus. Ideò ad ſolitudinem ſeu quietem mentis educit Deus, à quibus vult dictam vocem audiri. Et quidem educenti parendum eſſe, monet idem & ibidem Bernardus: Huic, inquit, voci Dei tui, dulciori ſuper mel & fauum, ſi præparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem, vt expedito & vacante interno ſenſu, dicas & tu cum Samuele: *Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus.*] *Oſee 2. ℣. 14.* *Iſaiæ 40. ℣. 1. 2.* *Ruth 2. ℣. 13.* *Bern. Epiſt. 107.* *1. Reg. 3. ℣. 10.*

Quartò.

Quartò. Vt illum ſpiritum pariant, de quo apud Iſaiam ſermo fuit hominibus, qui diuinis flagellis attriti, meliorem vitam inchoabant: *Concepimus & quaſi parturiuimus & peperimus ſpiritum.* Ad quæ verba annotauit S. Auguſtinus, vel alius eius nomine auctor: Omnis homo concipit, nec vllus poteſt eſſe ſine conceptu. Sed alij concipiunt de Chriſto, alij de Diabolo. Sicut enim de illis, qui à Diabolo concipiunt, dicitur: *Concepit dolorem & peperit iniquitatem:* ita & de illis, qui à Spiritu ſancto concipiunt, ſcriptum eſt: *A timore tuo in vtero concepimus, & peperimus ſpiritum ſalutis tuæ.* Sic auctor ille, à vulgata verſione, circa hunc poſteriorem Scripturæ locum, aliquantùm recedens, & partim ex Hebræo textu, partim ex Græco Septuaginta, nonnihil apponens, quod tamen rem noſtram præſentem illuſtrat. Quidni enim ſanctioris vitæ & bonorum operum ſpiritus, in voluntate tanquam in vtero conceptus, & per effectum veluti per partum, in lucem editus, ſit ſpiritus ſalutis, cùm is ad æternam animæ ſalutem ſummoperè conducat?

Iſaiæ 26. ℣. 18.

Auguſt. in append. ſerm. 4.

Pſalm. 7. ℣. 15.

In quiete animi ſpiritus ſalutis concipitur.

Atqui huiuſmodi conceptus & partus quietem animi habere debet. Decantati ſunt Halcyonides dies, & celebres mirâ tranquillitate maris, in cuius littore auis perexigua Halcyon dicta, ouis incubat, & pullos excludit. De illa S. Ambroſium iucundè narrantem audiamus: Eſt, inquit, auis maritima Halcyon, quæ in littoribus fœtus ſuos edere ſolet, ita vt in arenis oua deponat, medio ferè hyemis. Nam id temporis fouendis habet deputatum partubus, quando maximè inſurgit mare, littoribuſque vehementer fluctus illiditur, quò magis repentinæ placiditatis ſolennitate, auis huius eluceret gratia. Namque vbi vndoſum fuerit mare, poſitis ouis ſubitò miteſcit, & omnes cadunt ventorum procellæ, flatuſque aurarum quieſcunt, ac placidum ventis

Ambr. lib. 5. Hexamer. cap. 13.

Halcyon & dies eius.

ſtat

stat mare, donec oua foueat Halcyon sua. Septem autem dies fœtus sunt, quibus decursis educit pullos, fœtusque absoluit: illico alios quoq; septem dies adiungit, quibus enutriat partus suos, donec incipiant adolescere. Nec mireris, tam exiguum nutrimenti tempus, cùm absolutio fœtuum tam paucorum dierum sit. Tantam verò gratiam minuscula auis diuinitus indultam habet, vt hos quatuordecim dies nautici præsumptæ serenitatis obseruent, quos & halcyonidas vocant, quibus nullos motus procellosæ tempestatis horrescant.]

Quid verò est vita hominum, qui se totos negotijs in diuersa cor distrahentibus dediderunt, nisi procellis & turbidis tempestatibus horridum mare? Ita eam S. Gregorius descripsit. Rectè, mare vita secularium dicitur: quia dum procellosis actionum motibus concitatur, ab internæ sapientiæ quiete atque stabilitate disiungitur.] Nec vnquam sperandum, vt talem vitam viuentes nominatum spiritum salutis pariant, nisi priùs dictum mare subsidat, & omnia tranquilla pacataque in anima illorum fiant.

Greg. l. 18. Moral. cap. 27.

Vita hominum, negotijs huius mũdi deditorum, est mare.

Quintò. Vt si fortè animas propter lethifera crimina mortuas habeant, faciliùs modum vitam eis restituendi reperire possint. Is enim facilè occurrit, cùm animus quiete fruitur: at non item, cùm tumultus exurgit, & mille curarum turba perstrepit. Quod benè nobis (verba S. Gregorij pono) sacra Euangelij Historia innuit, in qua dum ad resuscitandam filiam Principis inuitatus Dominus duceretur, protinus additur: *Et cùm ejecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius, & surrexit puella.* Foras ergo turba ejicitur, vt puella suscitetur: quia si non priùs à secretioribus cordis expellitur importuna secularium multitudo curarum, anima quæ intrinsecùs iacet mortua, non resurgit. Nam dum se per innumeras terrenorum desideriorum cogitationes spargit,

In eadem quiete vita animæ facilè restituitur.

Lib. cit. cap. 28.

Matth. 9. ℣. 25.

git, ad considerationem sui sese nullatenus colligit.]

Festi dies, quietem animi afferunt.

Hanc porrò tam necessariam animi quietem, Festi potissimùm dies afferunt. Per hos profectò, omnibus ritè & legitimè illos celebrantibus fauet illud Isaiæ: *Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Festis enim diebus populus Dei, verè sedet *in pulchritudine pacis:* qualis est, remotis omnibus operibus, & occupationibus terrenis, soli Deo, & animæ propriæ vacare. Vacationem talem commendat S. Bernardus, & ait: quòd ipsum fontem suum, id est mentem, de qua oritur, purificet, regat affectus, dirigat actus, corrigat excessus, componat mores, vitam honestet ac ordinet.]

Isaiæ 32. ℣. 18.

Bernard. lib. 2. de Consid. cap. 7.

Et in tabernaculis Fiduciæ

Idem populus & ijsdem diebus in *tabernaculis Fiduciæ sedet.* Fiduciam enim habet, quòd sic feriatus illam confusionem non sit passurus, cuius meminit Ecclesiasticus dicens: *Nullus speravit in Domino, & confusus est.* Spes quidem hîc, non Fiducia nominatur: sed cùm inter has virtutes nihil discriminis sit, nisi quòd Fiducia robur Spei addat, & non qualemcunque spem, sed aliquâ firmâ opinione roboratam significet, vt S. Thomas docet: consequens est, vt quod de spe dicitur, idem de fiducia intelligatur. Confusio autem hîc intelligitur illa, de qua Ieremias Propheta, Deum alloquens dixit: *Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur: recedentes à te, in terra scribentur.*

Eccles. c. 2. ℣. 11.

S. Thom. 2. 2. q. 129. art. 6.

Ierem. 17. ℣. 13.

Templa qui frequentant, duplicem confusionem effugiunt.

Est etiam confusio non parua, petere aliquid, & non obtinere. Horrebat eam Adonias, qui Bethsabee Salomonis matri dicebat: *Nunc ergo petionem vnam precor à te: ne confundas faciem meam,* id est, petitio mea vt non sit irrita, rogo. Horrebat & ille Philosophus Diogenes, de quo Plutarchus narrat, quòd solitus fuerit adire sæpiùs locum, Ceramicus dictum, & ibi à Statuis virorum, quibus illæ ad memoriam rerum ab ipsis pro patria

1. Reg. 2. ℣. 16.

Plutarch. de immod. Gerec.

tria fortiter gestarum erectæ erant, stipem petere. Causam sui facti dabat, vt disceret non confundi, si sibi à viuis petenti daretur nihil. Verùm ab ista quoque confusione liberos se fore homines confidunt, qui, vt par est, dies festos celebrant, & in illis à Deo aliquid petunt. Experiuntur enim, quòd talium votis annuat Deus, faciatque vt petitiones eorum optatum sortiantur effectum, nec quenquam fallat illud S. Petri dictum: *Omnem sollicitudinem vestram proijcientes in eum*, scilicet in Deum, *quoniam ipsi cura est de vobis*. 1. Petr. 5. ℣. 7.

Et in requie opulenta. Templum est Requies. Ezech. 41. ℣. 11.

Postremò populus Dei festis diebus *in requie opulenta sedet*. Si Requiem vocemus Templa, in quibus homines diebus festis se continent, nemini mirum videbitur, qui ab Ezechiele Propheta locum Orationis seu Templum sic esse appellatum sciat. Hoc enim significat eius vocabulum Munach, vt annotauit Cornelius à Lapide, in suo super Ezechielem Commentario, qui etiam huius appellationis duas causas apponit: & quòd in Templo requiescat Deus; & quòd orantes in Templo, requiescant in Deo.

Et quidem opulenta.

Est autem hæc *Requies Opulenta*: quia omnes animæ propter singularem Dei præsentiam, quâ Templa gloriantur, multùm in illis ditescunt. Illustratur id exemplo Vrbium, quæ facilè ditantur, si in eis, vel semper, vel frequenter Reges habitent. Videtur hoc exemplo vsus esse Salomon ad explicandas spirituales diuitias Sponsæ, cùm eam in textu Hebræo & in Græco Septuaginta Interpretum, ita compellat: Pulchra tu amica mea, sicut Thirsach, decora sicut Ierusalem. Vbi vulgata versio habet: *Pulchra es amica mea, suauis & decora sicut Ierusalem*. Duabus enim vrbibus Ierusalem & Thirsæ seu Thersæ, in quibus, teste sacra Scriptura, Reges Iuda habitabant, Sponsam comparans Salomon, docere videtur, quod sicut illæ vrbes, propter frequentem Cant. 6. ℣. 3. 1. Reg. 5. ℣. 5. 3. Reg. 15. ℣. 33.

Regum præsentiam, magnas opes terrenas collegerant: ita Sponsa propter frequentiam præsentiæ Dei, magnas spirituales diuitias sibi comparauerat.

Quapropter magnam vtilitatem hominum, semper spectabat Deus, quotiescunque aliquid, quod ad celebrandos dies festos pertineret, statuebat. Clarum est hoc, si videatur, cur Sabbathum institutum fuerit, & quàm religiosè obseruari debuerit. Plures quidem causas illius institutionis sancti Patres assignant, quas diligenter collegit Cardinalis Toletus: sed ad rem nostram præsentem, maximè pertinet à S. Chrysostomo his verbis tradita: Iudæi putant sibi Sabbathum otij gratiâ fuisse datum. Verùm non ista est causa: sed potiùs, vt abducti à curis rerum temporalium, otium omne consumerent in spiritualibus. Probat suam assertionem subdens: Quod enim Sabbathum, non otij, sed spiritualis actionis materia sit, dilucidum est ex ipsis rebus. Nam Sacerdos eo die duplum facit operis, qui quotidie nonnisi vnicam hostiam offerre solitus, Sabbatho iubetur offerre geminam. Quodsi prorsus esset otij dies, oportebat Sacerdotem omnium maximè otium agere.]

Tolet. in 5. Ioan. annot. 11.

Cur institutum Sabbathum.

Chrysost. conc. 1. de Lazaro.

Eandem vtilitatem idemq; Deus spectabat, quando legem tulit, vt semper quidem, at celebrioribus præcipuè diebus conciperetur ab omnibus propter commissa peccata dolor. Quis Paschate celebrior dies? sed hoc etiam debuit adhiberi nominatus dolor, significat' illis agrestibus lactucis, vel vt Septuaginta verterunt, amaris herbis, quibus vt etiam in Paschate simul cum pane afflictionis vescerentur Iudæi, lex Dei volebat. Miratur talem legem Origenes, & exclamat: O mira festiuitas! Dies festus vocatur afflictio animæ! Vide ergo, si vis diem festum agere, si vis vt lætetur Deus super te, affige animam tuam, & humilia eam. Non ei permittas explere desideria sua, nec concedas ei lasciuijs euagari,

Origen. in 28. Num. Hom. 23.

sed

sed in quantum fieri potest, affligе & humilia eam. Deniqúe Paschæ festiuitas & azymorum panem afflictionis habere dicitur: nec potest quis agere diem festum, nisi afflictionis panem manducauerit, & manducauerit Pascha cum amaritudine. Manducabitis enim, inquit, azyma cum amaritudine, siue picrijs.]

Ad dolorem accedebat quædam admissorum peccatorum Confessio, etiam ab ipso Deo assignata in pluribus sacræ Scripturæ locis, præsertim in illo Numerorum: *Vir siue mulier, cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam trangressi fuerint mandatum Domini, atq; deliquerint, confitebuntur peccatum suum.* Numer. 5. ℣. 6. In illo item Psalmographi: *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi.* Psalm. 31. ℣. 5. Quem locum ita explicat Genebrardus, vt illa particula, *Tibi*, sit idem, quod, tibi Deo meo, vel *Tibi*, id est, tuo ministro vel Sacerdoti, qui tuas vices gerit, & per quem remittis peccatum. Confirmat suam explicationem aliquot antiquorum Rabbinorum scriptis, & ex illis has dictæ confessionis circumstantias affert: Primò, inquit, fiebat illa confessio ante Sacerdotem: secundò, imponendo manus capiti hostiæ immolandæ pro peccatis, & id quidem inter cornua: tertiò, distinctè commemorando peccatum, de quo pœnitentiam ageret: quartò, detestando peccatum suum, & promittendo se nunquam reuersurum. Hæc Genebrardus. Quæ si cum alijs præcedentibus iungantur, constituunt à veteri lege propositam imaginem eorum, quæ etiamnum in tota Ecclesia Christi, diebus potissimùm festis salubriter fiunt: quando scilicet veri Catholici solennioribus diebus peccata sua deplorant, & per sacramentalem confessionem Sacerdoti se aperientes, noxarum suarum condonationem acquirunt. Genebr. ibidem.

Qualis confessio peccatorum in antiqua lege fuerit.

Deum imitando sancti Patres, etiam ipsi no-

ſtram vtilitatem ſpectant, quando tam multas & tam accuratas adhortationes inſtituunt, vt dieb⁹ feſtis, quidquid vitioſum eſt, à nobis reſecemus, & conſcientiæ puritatem diligenter procuremus. Legi poteſt S. Chryſoſtomus, cuius hæc ſunt: Ita nobis ſanctorum dierum feſtiuitas agatur, vt relaxatione corporum puritas non corrumpatur animorum: ſed potiùs abſtinentes ab omni luxu, ebrietate, laſciuia, dantes operam ſobriæ remiſſioni, ac ſanctæ ſinceritati, id efficere tentemus, vt quidquid nunc corporali abſtinentiâ non adipiſcimur, mentium puritate quæramus.] Poteſt legi etiam S. Bernardus, qui, quò dies ſunt celebriores, eò in illis animas hominum debere eſſe pulchriores, affirmat. Beati, inquit, qui ſtolam ſuam, dico autem gloriam conſcientiæ ſuæ ſoliciti ſunt omni tempore conſeruare immaculatam, & ſemper ſplendidam exhibere. Sed quia pauci ſunt, qui ſic omni cuſtodiâ ſeruent cor ſuum, pauciores autem (ſi tamen vel pauciores) qui in omni ſanctimonia conſeruent illud, neceſſe eſt, frequenti abſtinentiâ maculas diluere ſubintrantes, præcipuè cùm præcipua quælibet ſolennitas aduenerit celebranda.] Vtiliter quoque legeretur tota Origenis homilia 23. in Numeros, ex qua, id ſolùm, quod ſequitur, hoc loco deliballe ſit ſatis: Relinquentes ergo Iudaicas Sabbathi obſeruationes, qualis debeat eſſe Chriſtiano Sabbathi obſeruatio, videamus. Die Sabbathi, id eſt, die feſto, nihil ex omnibus mundi actibus oportet operari. Si ergo deſinas ab omnibus ſecularibus operibus, & nihil mundanum geras, ſed ſpiritualibus operibus vaces, ad Eccleſiam conuenias, lectionibus diuinis & tractatibus aurem præbeas, & de cœleſtibus cogites, de futura ſpe ſolicitudinem geras, venturum iudicem præ oculis habeas, non reſpicias ad præſentia & viſibilia, ſed ad inuiſibilia & futura, hæc eſt obſeruatio Sabbathi Chriſtiani. Sic Origenes.

Chryſoſt. ſerm. 8. de Reſurr.

Bernard. in Vig. S. Andreæ.

Origen. Hom. 23. in Num.

Quàm

Quàm contraria omnia, dierum festorum & diuini cultus hostis Diabolus suggerit, & sæpè etiam, vt à celebrandis illis, terrenis rebus distenti homines supersedeant, efficit? Est sicut Rex Ægypti Pharao, qui Hebræos paleis colligendis & lateribus conficiendis, tum vel maximè fatigabat, quando Deo iubente in desertum abire, ibique sacrificium illi offerre, in animo habebant. Similiter enim Diabolus, sciens diebus festis potissimùm cultum diuinum inter Christianos florere, vt eum obruat & tollat, terrenis negotijs illos diligenter implicat. Pridem hanc inter Pharaonem & Diabolum comparationem instituit S. Chrysostomus: Nullum, inquit, inter auri solicitos collectores, & cœni atque laterum operarios, quique ad paleas colligendas flagellis adigebantur, discrimen omninò est. Nam vt tunc Pharao, atrocissimus ille tyrannus, flagellis ad colligendas paleas compellebat Hebræos: sic etiam nunc Diabolus, ad officium laterum flagellis cupiditatum multos incendit. Quid enim aliud aurum est, quàm cœnum? & argentum quid aliud, quàm palea? Sicut ergo palea ignem, sic pecuniæ cupiditas auaritiæ flammam incendit, & quasi cœnum aurum ipsum inquinat possidentes.]

Diabolus Pharaoni similis.

A cultu Dei diebus festis homines auocat.

Chrysost. Hom. 4 in Matth.

Quid autem fit cùm ita Diabolus dies festos deprauat? Hoc vtique præter alia, quæ ex dictis inferuntur, quod ex festis diebus infausti, & profani reddantur. Propriè enim hi soli dies sunt festi & fausti, qui in cultu Dei & actibus virtutum consumuntur. Idcò S. Chrysostomus scripsit. Tunc solùm veram solennitatem peragimus, cùm spiritualis vitæ continuò cultum augemus, cùm à terrestribus abstinemus, cùm spirituali otiamur otio, manus ab auaritia cohibentes, corpus à superfluis & inutilibus abducentes laboribus.]

Dies festi & fausti qui sint.

Idem ibidem.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Dies, quibus sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumitur, pro putatione peccatorum maximè idonei dies.

SI quando, tunc vel maximè, cùm se sacrosancto Eucharistiæ Sacramento reficiunt Christiani, sonare & increbrescere debet vox Salomonis: *Tempus putationis aduenit.* Tunc enim potissimùm necesse est, vt resecentur peccata; nec priùs quisquam hominum efficitur dignus, qui hoc Sacramentum sumat, quàm illa dissipauerit, & penitùs disperdiderit.

Varijs figurarum inuolucris hæc Catholica veritas tecta, in sacris libris inuenitur. Tale inuolucrum, *Genes. 14. ℣. 18.* fuit, quando Melchisedech Rex Salem & Sacerdos Dei Altissimi, Abrahamo victori à cæde quatuor regum redeunti processit obuiam, & panem vinumque protulit, *Galat. lib. 10. de arcan. Cath. Sacrif.* vel vt antiqui Rabbini, teste Galatino, verterunt, Obtulit: sacrificando scilicet, & Deo pro victoria concessa gratias agendo, ipsum etiam Abrahamum & milites ei⁹, rerum oblatarum participes reddendo. In hac enim *D. Isidor.* narratione id mysterium D. Isidorus deprehendit, quòd his duntaxat, qui animarum suarum hostes, cuiusmodi sunt peccata, ad nihilum redegerunt, panem & vinum Eucharisticum oporteat dari.

Non multùm dissimile inuolucrum fuit, quando Iudæis datum erat manna, postquam Ægyptij, hostes illis infensi, naris Rubri fluctibus obruti essent. Est enim sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum Manna, sed tunc primùm sumendum, cùm omnium culparum noxæ per Ægyptios significatæ, demersæ fuerint, & quod

de his

de his sacer Historicus dixit: *Descenderint in profundum quasi lapis.* Vt proinde locum hîc habeat illud Dei promissum: *Vincenti dabo Manna absconditum.* Vbi S. Augustinus cum multis auctoribus, qui eum sequuntur, intelligit Eucharistiæ Sacramentum, quod verè est Manna absconditum: tum quia miram dulcedinem continet, quam soli homines iusti, illud sumentes sentiunt: tum quia in eo aliud oculus videt, aliud fides credit. Per Vincentem verò, Rupertus intelligit eum, qui corporis & mentis munditiem custodit, nec illam, tam sibi, quàm multis alijs, ab immundis spiritibus eripi permittit. Sic enim Rupertus ait: Vincenti dabo Manna absconditum: Nam in isto gradu vincere, est, doctrinam Balaam, id est fornicationes primùm in semetipso per virtutem continentiæ, deinde in alijs per scientiam destruere. Qui autem hoc modo vincit, ille Sacramentum corporis & sanguinis Domini dignè percipit: sicut è contrario ille, qui vincere negligit, accedens ad hoc Sacramentum, iudicium sibi manducat & bibit.]

Exodi 15. ℣. 5.

Apocal. 2. ℣. 17.

Augustinus.

Rupert.

Accedat & illud S. Patriarchæ Iacob nobile factum, qui altare erecturus, & sacrificium Deo oblaturus, omnes, qui ad suam familiam pertinebant, conuocauit, & vt Deos alienos abijcerent, mandauit. Nam & hoc facto dictam veritatem fuisse obtectam pleriq́ue iudicant, quòd ad altare Christi accessurus, & sacrosancta mysteria sumpturus, omnes illos Deos abijcere & eiurare debeat, quos recenset S. Hieronymus ad illa verba Psalmistæ: *Non erit in te Deus recens, neq́ue adorabis Deum alienum.* Cui, inquit, Deus venter est; Deus ei recens est. Quotcunq́; vitia habemus, quotcunq́; peccata, tot recentes habemus Deos. Iratus sum, ira mihi Deus est. Vidi mulierem & concupiui; libido mihi Deꝰ est. Vnusquisq́ue enim quod cupit & veneratur, hoc illi Deus est. Auarus aurum, Deum habet. Sic Hieronymus.

Genes. 35. ℣. 2.

Psalm. 80. ℣. 10.

Hieronym. ibid.

Figuram quoque propositæ veritatis agnouit S. Ambrosius, vbi Deus admonuit Moysen, vt populum suum ad accipiendam legem, quam ei in monte Sinai daturus erat, præpararet. Nam circa illa verba: *Vade ad populum, & sanctifica illos hodie & cras, lauentq; vestimenta sua,* sic inquit S. Doctor: Si in Figura tanta obseruantia, quanta in veritate? Quasi dixerit: si tanta munditia requirebatur ad audiendam legem Dei, quanta requiritur ad ipsum legislatorem intra præcordia suscipiendum? Tum mox ad Sacerdotem quemlibet, qui suorum peccatorum sibi conscius sacris operari audet, sermonem conuertens ait: Disce Sacerdos atque Leuita, quid sit lauare vestimenta tua, vt mundum corpus celebrandis exhibeas Sacramentis. Si populus sine ablutione vestimentorum suorum, prohibebatur accedere ad hostiam suam: tu illotus mente pariter & corpore, audes pro illis supplicare, audes pro illis ministrare?] Similia habet Origenes in Exod. Hom. 11.

Ambr lib. 1. Offic. cap. 50.

Exodi 19. ℣. 10.

Pro singulari assertæ rei inuolucro potest etiam reputari illud Salomonis monitum: *Quando sederis, vt comedas cum Principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam: & statue cultrum in gutture tuo.* Multorum interpretum ingenia, propter obscuritatem suam, iste locus fatigat, multosque sensus admittit. Præsenti capiti ille congruit, quem tradunt S. Augustinus & S. Chrysostomus, qui propositum monitum conuiuio Eucharistico accommodant. In hoc enim Christiani comedunt cum Principe, scilicet cum Christo, qui est *Princeps regum terræ*, vt S. Ioannes Euangelista scripsit. Quia verò priora verba Septuaginta verterunt: Si sederis cœnare ad mensam potentis, planè attigerunt modum loquendi, quo S. Paulus vtitur, cui Dominica cœna, idem est, quod Eucharisticum epulum, & cœnare idem, quod hoc epulo refici. Fundamentum talis sermonis Apo-

Prou. 23. ℣. 1. 2.

Aug Tract. 47. in Ioan.

Chrysost. Hom. in Psal. 22. & 116.

Apocal. 1. ℣. 5.

1. Cor. 11.

stolus

ſtolus habuit, quia Chriſtus hoc conuiuium in vltima cœna cum diſcipulis habita, conuenienter inſtruxit, propter illas tres rationes, quas S. Thomas propoſuit. *S. Thom. 3. Part. q. 73. art. 5.*

Debent autem Chriſtiani in hoc conuiuio diligenter attendere, quæ ante faciem ipſorum proponantur. Proponitur enim caro & ſanguis Chriſti, cum anima & diuinitate eius. Quæ niſi diligens & accurata attentio accedat, non ita, vt par eſt, æſtimabuntur, & exiguum ſui deſiderium in corde humano excitabunt. Nempe Sacramenti ſpeciebus omnia iſta obteguntur, Deoq; illis velato, vox illa Iſaiæ apprimè competit: *Verè tu es Deus abſconditus*, vel, vt alia verſio habet: Verè tu es Deus abſconſionum. Placet hæc verſio Ferdinando de Salazar, quia, inquit, non vnam rem tantùm in Euchariſtia abſcondit, ſed plures, ſcilicet perſonam ſuam, opus & modum. Celauit quippe perſonam, quam ab humanis aſpectibus eripit. Opus etiam texit: quia Chriſti ad Synaxim adductio, nullo exteriori argumento innoteſcit. Ac demum modum occultauit, quo in ipſo Sacramento poſt adductionem exiſtit. Mox pulchram doctrinam moralem ex iſtis verbis emicantem adiungit: In his diſcimus in nobis quoque tria virtuosè abſcondi: noſtram perſonam, opera noſtra bona, & bonorum operum intentionem. Hæc Ferdinandus, citans S. Thomam, ſed quomodo, ſi locum citatum inſpexeris, cognoſces. *Iſaiæ 45. ℣. 15.* *S. Thom. in Opuſc. de Sacram. altar. cap. 8.*

Dicta ergo attentio, non à corporis ſenſibus, ſed ab intellectu Orthodoxâ fide illuminato, exigitur. Quid enim illi poſſint in myſterio Fidei, vt ſanctiſſima Euchariſtia in Canone Miſſæ vocatur, & in tanto Sacramento, quod vt modò dictum eſt, nullo exteriori argumento innoteſcit? Solius Fidei munus id eſt, quæ in epulo Euchariſtico proponantur attendere, & quanti ſint momenti, omnes ad illud accedere volentes, docere. Hac

duce & magistrâ Concilium Tridentinum tale Decretum tulit: Principio docet sancta Synodus, & apertè ac simpliciter profitetur, in almo sanctæ Eucharistiæ Sacramento, post panis & vini consecrationem, Dominum nostrum IESVM Christum, verum Deum atque hominem, verè, realiter ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Et rursum talem Canonem statuit: Si quis negauerit in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter, corpus & sanguinem, vnà cum anima & diuinitate Domini nostri IESV Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo, vt in signo vel figura aut virtute, anathema sit. Fidei quoque vox illa fuit, quæ in Missa & templis Æthiopum, cùm Sacerdos sacram hostiam eleuaret, ter à singulis repetita personabat, Credo, credo, credo. Fides etiam suas proprietates, per illam antiquorum Christianorum picturam loquebatur. Stabat virgo aureas in ore suo inaures habens, docebatque, quod *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*, vt S. Paulus ad Romanos scripsit. Hostiam & calicem gestabat, indicans inter primaria Fidei arcana, esse Sacrificium Missæ, quod Christi corpore & sanguine constat. Regem catenis vinctum altera manu tenebat, declarans rationem, quæ in homine rex est, nihil ad inuestigandum hoc mysterium posse, fortiterque vinciendum, ne quid in eo veritatis lateat, perscrutari audeat. Milites quoque humi prostratos eadem virgo calcabat, significans omnia sensuum, humanorum de hoc Sacramento iudicia, contemnenda penitusque calcanda esse. Insuper monente Fide omnibus Christi cultoribus S. Gregorius Nazianzenus inculcat: Quod Pythagoræis fuit αὐτὸς ἔφα, hoc nobis Christianis est πίστευσον, id est, Crede.

Conc. Trident. Sess. 13. cap. 1.

Canon. 1.

Roman. 10. ℣. 17.

Nazianz. orat. 1. in Iulian. Apost.

Postquam verò aliquis attenderit, quæ in mensa

Eucha-

Euchariſtica proponũtur, priùs quàm ad illam accedat, & cibis eius veſcatur, cultrum in gutture ſuo ſtatuere debet. Quod Salomonis dictum, cûm interpretatur Hugo, omnes, qui ſacræ Synaxeos volunt eſſe participes, per illud moneri ait, vt veterem hominem, cuius S. Paulus meminit, in ſeipſis iugulent. Vetus autem homo totus peccatis conſtat, vt idem Apoſtolus docet, quando vt eum, cum actibus ſuis expoliemus, iubet. Sanctus quoque Bernardus hæc de illo tradens: Duo homines ſunt, vetus & nouus. Adam vetus, Chriſtus nouus. Ille terrenus, iſte cœleſtis: illius imago vetuſtas, iſtius imago nouitas. Eſt autem triplex vetuſtas, & è contrario triplex nouitas. Eſt enim vetuſtas in corde, in ore, in corpore: in quibus tribus modis peccauimus, cogitatione, locutione, & opere. In corde ſunt deſideria carnalia & ſecularia, id eſt, amor carnis, & amor ſeculi. Similiter in ore eſt gemina vetuſtas, arrogantia & derogatio. Item gemina in corpore, flagitia & facinora. Hæc omnia ſunt imago veteris hominis. Sic Bernardus.

Hugo.

Coloſſ. 3. ℣. 1.

Bernard. in paruis ſerm. ſerm. 30.

Atque hanc interpretationem verborum Salomonis, quam attulit Hugo, rectè conſequitur, quòd etiam Salomon vniuerſis, qui ad conuiuium Chriſti admitti deſiderant, doctrinam hanc reliquerit, vt putationis peccatorum meminerint, & cum illis ad tam ſacrum epulum, nullo modo accedere velint.

Sed ex his paulò obſcurioribus diuinæ Scripturæ locis ad clariora præſens caput emergat. Clariſſimus eſt locus ille S. Pauli: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit: non diiudicans corpus Domini.* Conantur quidem nonnulli Eccleſiæ Chriſti hoſtes, etiam huic loco offundere tenebras, affirmando S. Paulum locutum eſſe de probatione fidei, idque ſolùm exigere, vt cœnam Dominicam ſumpturus ſeipſum introſpi-

1. Cor. 11. ℣.

trospiciat, habeatnè fidem, quam hoc Sacramentum requirit. Sed isti delirant, & quod dici solet, magno conatu magnas nugas agunt. Cùm enim S. Paulus quædam Corinthiorum peccata notasset, ne quis temerè cum aliquo eorum ad mensam Christi accederet, omnes grauiter monuit, vt quilibet magna cum diligentia suam conscientiam examinaret, si alicuius criminis reus non esset, cum quo cœlesti cibo refici non liceret. Ergo de probatione non fidei sed morum locutus est S. Paulus, vt eum intellexerunt omnes Concilij Tridentini Patres, qui verborum Apostoli talem explicationem tradiderunt: Communicare volenti reuocandum est in memoriam Apostoli præceptum: *Probet seipsum homo.* Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Hæc Concilium Tridentinum, nihil omninò discrepans ab antiquioribus sanctis Patribus, qui verba S. Pauli eodem modo explicârunt.

Conc. Trident. Sess 13. cap. 7.

Aug. serm. 1. de tẽp. Greg. l. 2. c. 1. in 1m. Reg. Basil. l. 2. de Bapt. cap. 3. Anselm. in cap. 11. 1a. Cor.

Legatur S. Augustinus, S. Gregorius, S. Basilius, S. Anselmus. Inuenies apud hunc posteriùs citatum ita scriptum: Nemo præsumat accedere indignus, sed homo, id est rationaliter agens, probet, id est, discutiat & examinet priùs seipsum, qui etiam ex eo, quòd homo est, sine peccato non est. Probet antea seipsum, id est, vitam suam, inspiciat & consideret, an dignè possit accedere, vel non? Rarò enim potest inueniri quisquam ita magnus & iustus, vt in eo per discussionem non inueniatur aliquid, quod debeat eum à corpore & sanguine Domini retardare, nisi confessus fuerit illud, & per pœnitentiam deleuerit. Probet se, & sic, id est, postquam se probauerit, edat de pane illo, & bibat de calice: quia tunc ei proderit. Ideò priùs se discutiat & purget,

get, quia qui manducat & bibit indignè, id est, sine sui examinatione, iudicium sibi manducat & bibit.]

Propter maiorem autem dictæ probationis commendationem, scientissimè S. Paulus non simpliciter dixit: *Et sic de pane edat*, sed cùm occulta energia addidit particulam *Illo*: quasi dixerit, Illo, illo pane, quem suis præcellentijs, multi quidem panes adumbrârunt, at nulli adæquarunt. Claritatis gratiâ aliquot panes memoro.

Præcellentes erant Propositionis panes: quia erant panes sancti, vt eos sacerdos Achimelech vocauit, & quòd solis mundis vesci illis liceret, dixit. Quid verò Eucharistiâ sanctius, quæ omnis sanctitatis auctorem in se continet, & vniuersos peccatis grauioribus inquinatos, ne illis sit in cibum, procul à se arcet? Hinc illa laudabilis in Ecclesia Græcorum consuetudo nata fuit, vt quo tempore congregato populo danda fuit Eucharistia, prodiret in medium Diaconus, & altâ voce clamaret: Sancta Sanctis. *Vel*: Sancta Sanctorum. Quod explicans S. Chrysostomus ait: sensum huius clamoris fuisse: si quis non est sanctus, non accedat. Hinc prodijt & illa vox Concilij Tridentini: Si non decet ad sanctas vllas functiones quempiam accedere, nisi sanctè: certè quò magis sanctitas & diuinitas cœlestis huius Sacramenti viro Christiano comperta est, eò diligentiùs cauere ille debet, ne absq; magna reuerentia & sanctitate ad id percipiendum accedat. Deinde panes propositionis erant quoddam mnemosynon seu monimentum, memoriam excitans. Nam in Leuitico iubens Deus in templo suo poni duodecim panes, ita ad Moysen loquitur: *Vt sit panis in monimentum oblationis Domini.* Vbi commentarius Lorini ait: Dupliciter hoc monimentum accipi potest, tum respectu Dei, tum respectu offerentium: vt esset quædam professio & testificatio obseruantiæ erga Deum:

1. Reg. 21. ℣. 4.

S. Chrysost. Hom. 61. ad popul.

Conc. Trident. Sess. 13. cap. 7.

Leuit. 24. ℣. 2.

Lorin. ibid.

& vt

& vt Deus quoddammodo videretur illâ re excitari, ad habendam de offerentibus, seu de illis, quibus oblatio fiebat, memoriam, atque ad fauendum ijsdem. Eucharistia similiter est mnemosynon seu monimentum passionis & mortis Christi. Idoque Christus discipulis suis dignitatem sacerdotij & potestatem sacrificandi conferens, dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et iterum. *Quotiescunq; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.*

Luca 22. ℣. 19.

1. Cor. 11. ℣. 26.

Post panes propositionis, sit panis ille à S. Patriarcha Iacob celebratus, & Aser filio ascriptus: *Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus.* Quibus verbis prophetauit vir Sanctus, quòd regio dicti filij, propter miram pinguedinem & bonitatem soli, futura esset valdè fertilis, atque procreatura res pretiosas & delicatas, quas vel ipsi reges expeterent, & libenter acquirerent. Eucharisticus quoque Panis, est pinguis panis. Hunc qui dignè sumit, potest dicere: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Nempè plenus est panis iste diuini erga nos amoris: vt meritò, iam aliquoties commemoratum Concilium, dicat, quòd Saluator noster ex hoc mundo discessurus ad Patrem, diuitias diuini sui erga homines amoris velut effuderit. Meritò & S. Chrysostomus scripsit: Volens Christus ostendere desiderium, quod erga nos habet, semetipsum nobis immiscuit, & corpus suum in nos contemperauit, vt vnum quid efficiamur, tanquam corpus capiti coaptatum. Ardenter enim amantium hoc est.] Iterum commemoratis seruis, qui Iob suum Dominum tanto amore prosequebantur, vt corpus eius pro cibo habere vellent, & dicerent: *Quis det de carnibus eius vt saturemur?* mox subdit: Christus id fecit, in maiorem nos inducens charitatem, & suum erga nos ostendens desiderium, non tantùm se præbens cupientibus videndum, sed & palpandum, & come-

Genes. 49. ℣. 20.

Psalm. 62. ℣. 6.

Conc. Trident. Sess. 21. cap. 2.

Chrysost. Hom. 61. ad popul.

Iob 31. ℣. 31.

comedendum, & carni dentes infigere, & coimplicari, & omne desiderium implere.] Postremò meritò S. Damascenus Christum in Eucharistia existentem, & amore erga nos ardentem, comparat cum illo carbone ignito, quem vnus ex Seraphim de altari forcipe tulerat, eoque os Isaiæ tetigerat, dicens: *Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Isaiæ 6. ℣. 6. & 7. Carbonem enim & Hebræus textus iuxta Pagninum, & Græc⁹ Septuaginta interpretum nominat, quem Vulgata versio Latina Calculum vocat. Illum ergo carbonem intelligens S. Damascenus sic ait: Ardenti cupiditate Christum adeamus, manibusque in crucis formam compositis, crucifixi corpus suscipiamus, atque & oculis, & labijs, & frontibus impositis, diuini carbonis participes efficiamur: vt ignis desiderij in nobis insiti, assumptâ eâ, quæ ex carbone oritur, inflammatione, peccata nostra exurat, ac pectora nostra collustret: demusque operam, vt per diuini ignis perceptionem inardescamus Dijque efficiamur. Vidit quippe carbonem Isaias: Carbo porrò non simplex lignum est, sed igni vnitum. Sic panis quoque communionis, non simplex panis est, sed diuinitati vnitus.] Damasc. lib. 4. Orthod. fidei, cap. 14. Alij eundem in Eucharistia Christum existentem, conferunt cum botro Copher seu camphoræ, cuius in Canticis Sponsa meminit, dicens: *Botrus Copher dilectus meus mihi,* licet ibi Latinus interpres legat, Botrus Cypri. Copher autem seu camphora dicitur esse frutex quidam paruos botros seu racemos generans, quorum aliquis si accendatur, etiam in aquam iniectus ardet. Cant. 1. ℣. 14.

Jdem panis plenus est effectibus omnipotentiæ diuinæ, quæ etiam tunc operabatur, cùm in vltima cœna Sacramentum Eucharistiæ Christus institueret. Verè enim S. Cyprianus ait: Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie sed naturâ mutatus, omnipoten- Cyprian. de cœna Domini.

nipotentiâ Verbi factus est caro.] Similiter S. Chrysostomus: Non homo est, inquit, qui proposita de consecratione mensæ Domini corpus Christi facit & sanguinem, sed ille, qui crucifixus pro nobis est Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratiâ.] Et sanè nullus negauerit magnos hos esse dictæ omnipotentiæ effectus, quòd panis & vinum, in corpus & sanguinem conuertatur: quòd totus Christus in tota hostia, & totus in qualibet etiam minima eius parte existat: quod licet ad punctum contrahatur, nullam tamen membrorum suorum & partium corporis sui confusionem patiatur: quòd simul in tot locis & tam dissitis ponatur. Hæc & alia multa qui expenderit, ritè vsurpabit illud Psalmistæ: *Introibo in potentias Domini.* Et: *Quis loquetur potentias Domini, audit as faciet omnes laudes eius.*

Chrysost. serm. de prodit. Iudæ.

Psalm. 70. ℣. 16. 105. ℣. 2.

Deniqúe plenus est panis iste variorum & planè cœlestium charismatum, quæ animam marcescere, & noxiâ tabe consumi non permittunt. Accommodatè ad hunc locum S. Thomas scripsit: Nullum sacramentum est isto salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, & mens omnium spiritualium charismatum abundantiâ impinguatur. Aliqua istorum charismatum proponit idem S. Doctor S. Bernardum citans: Corpus Christi ægrotis est medicina, peregrinantibus diæta. Debiles confortat, valentes delectat, languores sanat, sanitatem seruat. Fit homo mansuetior, ad correptionem patientior, ad laborem feruentior, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, pronior ad obedientiam, deuotior ad gratiarum actionem. Non omittenda & illa, quæ S. Chrysostomus attigit: Hæc mensa est, scilicet Eucharistica, nerui nostræ salutis, mentis vinculum, fiduciæ fundamentum, spes, salus, lux, vita. Plura quæ occasione pinguis panis Aser afferri possent, apud S. Ambrosium legantur.

S. Thom. Opusc. 52. lect. 3.

& Opusc. 59. c. 6.

Chrysost. Hom. 24. in 1m. ad Cor.

Ambr. de benedic. Patriach. cap. 9.

Est

Est etiam in libro Iudicum præcellens ille & militaris, vt sic eum vocem, Panis, qui per somnium cuidam ex Madianitis à Deo immissum, visus fuit è statione Israelitarum ad castra Madianitarum volui, & tabernacula eorum euertere, soloque æquare. Quàm pulchrum panis ille, Eucharistici panis symbolum fuit! Cùm enim iste verbis Christi conficiatur, necesse est, vt omnium Hæreticorum castra subruat, quotquot in Eucharistia panem in corpus Christi conuerti negant. Necessitatem istam ita proponit S. Ambrosius: Sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? Nempe is, quo facta sunt omnia. Iussit Dominus, & factum est cœlum. Iussit Dominus, & facta est terra. Iussit Dominus, & facta sunt maria. Iussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo quàm operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse, quæ non erant: quantò magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat: sed audi dicentem, Ipse dixit & facta sunt: ipse mandauit & creata sunt. Ergo tibi vt respondeam; non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem, dico tibi, quod iam est corpus Christi.] Castris Hæreticorum, annumero & Dæmonum & peccatorum, & mundi castra, quæ etiam panis Eucharisticus feliciter dissipat, illamque victoriam nobis comparat, quam prædicabat S. Cyprianus scribens: Sacramentorum communicatio, per quam illius corporis sinceritati vnimur, nos in tantum corroborat, vt de mundo, & de Diabolo, & de nobis ipsis victoria potiamur, & sacramẽtali gustu viuificis mysterijs inhærentes, vna caro & vnus spiritus simus, dicente Apostolo: Qui adhæret Domino vnus spiritus est.] Prædicabat quoque S. Chrysostomus, explicans illud Dauidis, Deum & mensam

Iudic. 7.

Ambr. lib. 4. de Sacram. cap. 4.

Cyprian. de Natiuitate Christi.

1. Cor. 6. ℣. 17.

Psal. 22. ℣. 5. mensam eius laudantis: *Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos, qui tribulant me.* Ista, inquit, mensa, agnoscitur altaris Domini consecratio. Tum paucis interiectis subdit: Qui sunt isti, qui nos tribulant? suggestiones inimici, exagitationes, cupiditates, delectationes, seculi honores: Isti tribulant: quia huiusmodi, qui ita viuunt, tribulationes carnis habent: sed veniunt ad mensam potentis, considerantes ea, quæ apponuntur eis, accipere cum timore & tremore, & tribulationes efficiuntur consolationes. Auferuntur ea quæ sunt carnis, infunduntur ea, quæ sunt spiritus; & ex mensa præparata, proficiunt contra eos, qui tribulant eos.]

Chrysost. ibid.

Angelorum Panis accedat, quomodo olim vocabatur datum Iudæis in deserto Manna: eò, quòd Angelorum operâ in aëre formaretur, & inde in terram, vt commodè colligi posset, demitteretur. Atqui sanctissima Eucharistia, est etiam Angelorum panis, & ita sæpè appellatur: sed non ideò, quasi ab Angelis conficiatur, sicut conficiebatur Manna. Superat hoc Sacramentum omnem potestatem creatam, & solius Dei omnipotentiam requirit, quâ ille per Sacerdotes ritè consecratos, & ad tantæ excellentiæ effectum singulariter electos, panem & vinum in corpus & sanguinem Christi conuertit. Proinde genuina dictæ appellationis ratio hæc est, quia etiam Angeli hoc cibo cœlesti vescuntur, modo tamen valde à nostro dispari. Nos enim specierum integumentis velato Christo pascimur: illi autem clarè, & absque speciebus vllis eo fruuntur. Hanc rationem, & simul disparitatem indicauit S. Dionysius Areopagita, cùm dixit, cœlestibus quidem naturis participationem Iesu in Eucharistia dari ὑπερκοσμίως, id est, super mundi conditionem, nobis autem συμβολικῶς, id est, cum symbolis & signis.

Psalm. 77. ℣. 25.

Dionys. de Cœle. Hier. cap. 1.

Omnes istos & alios similes in Scriptura sacra celebres

celebres panes memoriâ retinebat S. Paulus, de solo tamen Eucharistico pane, tanquam de præcellentissimo & præstantissimo loquitur, & quidquid in aliquo pane singulare aliquando fuit, hoc in Eucharistico longè potiori & nobiliori modo includi significat. Quid igitur mirum, si quemlibet eo refici volentem, tam accuratè inclamat: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat.* 1. Cor. 11. 28. Quid mirum, si S. Augustinus, & tanti Apostoli auctoritate, & talis panis dignitate motus, rogat Christianos & monet: Rogo, inquit, & moneo, vt quantùm possumus, cum Dei adiutorio laboremus, vt in illo die, cum sincera & pura conscientia, & mundo corde, & casto corpore, ad altare Domini possimus accedere, & corpus & sanguinem eius, non ad iudicium, sed ad remedium animæ nostræ mereamur accipere. In Christi enim corpore, vitâ nostra consistit, sicut & ipse dixit: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis.* Ioan. 6. Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam. Nam si non mutet vitam, ad iudicium accipiet vitam: & magis ex ipsa corrumpitur, quàm sanetur; magis occiditur, quàm viuificetur. Sic enim dixit Apostolus: *Qui manducat corpus Domini, & bibit sanguinem eius indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* 1. Cor. 11. August. serm. 1. de tempore.]

Pars Operis Sexta.

Solent vinitores habere cultros quosdam acutos & recuruos, quos Columella appellat Falces. His illi temporibus idoneis inutilia vitium sarmenta resecant: ne si neglectæ quoquouersum crescere, & nullo ferro putatæ, permittantur siluescere, prorsus steriles & inutiles fiant. Non desunt etiam, quibuslibet hominibus peccatorum reis, certi modi, quibus si rectè vtantur, facilè omnia sibi vsitata peccata recidere, & conscientiam suam, ne sensim variis & grauibus malis tota inhorrescat, repurgare possint. Quatuor duntaxat ex his modis, in hac vltima Operis parte, sub nomine Falcium breuiter proponam.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Diligens conſcientiæ examen pro putatione peccatorum Falx prima.

SIngularem falcem, quamuis non putatoriam ſed vindemiatoriam S. Ioannes Euangeliſta in ſua Apocalypſi, & vidit, & deſcripſit. Ita enim narrat: *Et alius Angelus exiuit de templo, quod eſt in cœlo, habens & ipſe falcem acutam. Et alius Angelus exiuit de altari, qui habebat poteſtatem ſupra ignem, & clamauit voce magnâ ad eum, qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ ſunt vuæ eius. Et miſit Angelus falcem ſuam acutam in terram, & vindemiauit vineam terræ, &c.* *Apocal. 14. ℣. 17. 18. 19.*

Quinque ergo S. Ioannes de illa falce tradit. Primum, quòd de templo cœleſti prodierit. Secundum, quòd eam Angelus manu ſua geſtârit. Tertium, quòd acuta fuerit. Quartum, quòd hunc falciferũ Angelum, vt ſuâ falce in vindemiandis botris vteretur, alter itidem Angelus monuerit. Quintum, quòd cùm monitº Angelus ad opus acceſſiſſet, totam terræ vineam feliciter vindemiauerit. Quæ omnia, ac ſi de falce non vindemiatoria ſed putatoria, & non de vindemiatione botrorum, ſed de putatione ſtolonũ dicta eſſent, accipiendo, & rurſum examini conſcientię accommodando, optimè eius efficaciam ſimulque aliquot proprietates proponunt.

Nam quod attinet ad primum, ſicut falx illa Apocalyptica ex templo, orationis videlicet loco, prodierat: ita falx examinis dicti ab oratione prodire, & ab ea initium ſuum ſumere debet. Cùm enim ad hoc exa-

men

men pertineat videre, num aliquas noxas, vel cogitatione, vel verbo, vel opere contraxerimus, dubium non est, præmittendam esse tali negotio orationem, quâ à Deo petamus dari nobis cœleste lumen, cuius radijs illustrati, omnes nostras culpas deprehendere possimus. Nempè à nobis ipsis tale lumen haberi non potest, quia vt scripsit auctor Homiliæ in diuersos, quæ Origeni adscribitur: Sicut aër iste per semetipsum non lucet, sed tenebrarum vocabulo nuncupatur, capax tamen solaris luminis est: ita nostra natura, dum per seipsam consideratur, quædam tenebrosa substantia est, capax ac particeps lucis sapientiæ.]

Auctor Hom. 2. in diuersos apud Origenem.

Naturæ tenebras plurimùm auget priuatus amor, quo communiter homines seipsos perditè amant. De hoc ita S. Gregorius scripsit: Quisquis vitæ suæ custodiam negligit discutere, quæ agit, quæ loquitur, quæ cogitat, aut despicit, aut nescit, coram se iste non ambulat: quia qualis sit in suis moribus vel in actibus ignorat. Nec semetipsi præsens est, qui semetipsum quotidie exquirere atque cognoscere solicitus non est. Ille autem veraciter se ante se ponit, sibique in præsenti est, qui se in suis actibus tanquam alium attendit. Nam sunt multa peccata, quæ committimus, sed idcircò nobis grauia non videntur, quia priuato nos amore diligentes, clausis nobis oculis in nostra deceptione blandimur. Vnde fit plerumque, vt & nostra grauia leuiter, & proximorum leuia mala, grauiter iudicemus. Scriptum quippe est. *Erunt homines seipsos amantes.* Et scimus quia vehementer claudit oculum cordis amor priuatus.]

S. Greg. Hom. 4. in Ezech.

2. Ad Timoth. 3. ℣. 2.

Interdum has tenebras permittit Deus, vt per eas peccata commissa puniat. Grauis pœna est permissio talis, secundùm illud S. Augustini: Obscuratio cordis, excæcatio mentis, parua est pœna? Si quis furtum faciens, statim oculum perdidisset, omnes dicerent,

S. Aug. in Psal. 57.

Deum

Deum præsentem vindicasse. Oculum cordis amisit, & ei peperciſſe putatur Deus? Idem S. Augustinus Iulianum Pelagianum alloquitur: Cæcitatem cordis, si lucis internæ amator esses, non solùm aliquam, sed valdè magnam pœnam esse clamares.] *Idem lib. 5. contr. Iulian cap. 3.*

Interdum talium tenebrarum causa est & origo Dæmon. Potest comparari cum aquila, de qua narrat Plinius, quòd multo puluere in alas suas collecto, eum in oculos cerui, cum quo illi perpetua est pugna, cornibus eius insidens excutit: sicque excæcatus ceruus, cùm ex altis montibus cadit, vitam amittit, & aquilæ victoriam relinquit. Quid aliud sunt omnes res terrenæ & caducæ, quid caro & variæ voluptatum illecebræ, nisi puluis, quo Dæmon plurimos mortales excæcat, vt peccata sua non videant, & in exitium sempiternum per prærupta vitiorum ruant? *Plinius lib. 10. cap. 4.*

Vndecunque tandem oriantur mentis nostræ tenebræ, ne impedimento sint quò minùs in examine conscientiæ peccata videantur, oratio illi necessariò, vt dictum est, præmitti debet, quâ à Deo petatur, vt illas dispellat. Nam cæcitas cordis est, quam solus remouet illuminator Deus, inquit S. Augustinus: ideoque & à S. Iacobo *Pater luminum*, & ab eodem Augustino lux lucifica vocatur. vbi etiam S. Doctor addit: Sicut Deus sibi sufficit ad æternam beatitudinem, & ex hac abundat ad faciendos beatos: ita sibi sufficit ad æternam lucem, & ex hac abundat ad faciendos illuminatos.] *Aug. loco cit. S. Iacob. in Epist. cap. 1. ℣. 17. Aug. lib. 22. cont. Faustum, cap. 9.*

Quia verò parum prodesset propria peccata videre, & propter illa nullum dolorem concipere, ideò examen conscientiæ hoc etiam postulat, vt qui se peccasse videt, doleat, & infinitæ bonitatis Deum quòd offenderit, amaritudine cor suum repleat. Laudans talem dolorem S. Augustinus ait: Quando sic pœnites, vt tibi amarum sapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita, Dolor propter peccata commissa. *Idem serm. 3. in Natali. & 7. de tempore.*

vita, & quod te priùs oblectabat in corpore, ipsum te cruciet in mente, iam tunc bene ingemiscis ad Deum, & dicis: *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.* Bene tibi soli peccaui, quia tu solus es sine peccato. Bene tibi soli peccaui, quia nullus hominum sine peccato: & ideò tibi soli peccaui, quia nullus est sine peccato. Da Domine misericordiam misero, qui tam diu peperciſti criminoso. Inclinet ad remedium humilitas pœnitentis, quem permouere non potuit diuturnitas peccantis peccatoris. Dic illi in fletu cordis: Aspice infelicem pietas immensa: respice crudelem misericordia publica. Desperatus ad omnipotentem venio; vulneratus ad medicum curro. Serua pietatem mansuetudinis, qui tam diu suspendisti gladium vltionis: dele numerositatem criminum multitudine misericordiarum.]

Quomodo quis soli Deo peccet.

Præterea idem examen postulat propositum ad peccata non redeundi: ne quis dolore explicato contentus, totum negotium à se confectum putet, similisq; reddatur illis, quos ita B. Fulgentius Ruspensis Episcopus notat: Nonnulli scelerum suorum consideratione perterriti, pro iniquitatibus quidem suis in oratione gemunt, nec tamen ab iniqua operatione discedunt. Fatentur se malè feciſſe, nec vllum finem volunt malis factis suis imponere. Accusant humiliter in conspectu Dei peccata, quibus tenentur oppressi, & eadem peccata, quæ humilitate sermonis accusant, corde peruerso contumaciter cumulant. Indulgentiam, quam lacrymosis gemitibus poscunt, ipsi sibi prauis operibus adimunt. Medicinam postulant à medico, & in perniciem suam subrogant adiutorium morbo. Tales nunquam diluunt gemendo peccatum, quia non desinunt peccare post gemitum.]

Propositum non peccandi.

Fulgent. l. 1. de remiſſione peccat. ad Euthymium c. 12.

Atqui tam dolor de peccatis commiſſis, quàm propositum de non committendis, cùm nonnisi à Deo detur,

Dolor ob peccata commiſſa, & propositum non peccandi, à solo Deo dantur.

detur, ſicut & omne datum optimum, & omne donum perfectum, S. Iacobo atteſtante: quomodo hîc iterum non affirmem, quòd examen conſcientiæ, de templo cœleſti prodire, id eſt, ab oratione inchoari debeat? *Iacob Epiſt. cap. 1. ℣. 17.*

Quod ad ſecundum attinet, nouum ſpectaculum & myſterijs plenum ſancto Ioanni exhibitum fuit, quando ei Angelus falcem in manibus ſuis geſtans apparuit. Quid autem myſterij pro re noſtra hinc eliciam? An quòd Angeli multùm faueant omnibus, qui falce examinis conſcientiæ vtuntur, eoſque ſuâ operâ fideliter adiuuent? Aptè ad hoc accommodat S. Gregorius id, quod ſacra Iudicum Hiſtoria de Ieroboal ſiue de Gedeone narrat. Et primò quidem longiuſculam ſacri ſcriptoris narrationem, paucis verbis S. Doctor complectitur. Ieroboal, inquit, cùm à paleis ſtumenta excuteret, Angelum vidit, ad cuius imperium protinus hœdum coxit, quem ſuper petram poſuit, & ius carnium de ſuper effudit: quæ Angelus virgâ tetigit, eaque ignis de petra conſumpſit. Deinde totum hoc ſenſu morali explicans ait: Quid eſt frumentum virgâ cædere, niſi rectitudine iudicij à vitiorum paleis virtutum grana ſeparare? Sed hæc agentibus Angelus apparet: quia tantò magis Dominus interiora denuntiat, quantò ſe ſtudioſiùs homines ab exterioribus purgant. Qui occidi hœdum præcipit, id eſt omnem appetitum carnis noſtræ immolari, carneſque ſuper petram poni, & ius carnium deſuper fundi. Quem alium ſignat petra, niſi eum, de quo per Paulum dicitur: *Petra autem erat Chriſtus?* Carnes ergo ſuper petram ponimus, cùm corpus noſtrum in Chriſti imitatione cruciamus. Ius etiam carnium deſuper fundit, qui in conuerſatione Chriſti, ipſas etiam à ſe carnales delectationes exinanit. Quaſi enim ius ex carne liquidum in petram funditur, quando mens à cogitationum carnalium fluxu vacuatur. Quæ tamen mox

Angeli fauent conſcientiam ſuam examinantibus. *Greg. lib. 3. Moral. cap. 17.*

1. Cor. 10. ℣. 4.

Angelus virgâ tangit, quia intentionem noſtram nequaquam poteſtas diuini adiutorij deſerit. De petra autem ignis exit, & ius carneſque conſumit: quia afflatus à Redemptore ſpiritus, tantâ cor noſtrum flammâ compunctionis concremat, vt omne, quod in eo illicitum eſt, & operis & cogitationis, exurat. Hæc S. Gregorius.

Quidni liceat & hoc myſterium ex illo falcifero Angelo elicere, quòd tantò quiſque in examinanda conſcientia ſua, ſolet eſſe diligentior, quantò propter vitæ probitatem Angelo eſt ſimilior. Exemplo eſt Iſaac, de quo Moyſes refert: *Egreſſus fuerat ad meditandum in agro, inclinatâ iam die.* Certè non aliam meditationem eius, quàm dictum examen fuiſſe reor. Pro quo & aptum locum elegerat, nempe agrum, locum ſcilicet à domeſtica turba remotum: tempus item idoneum, quale eſt veſpertinum, quo communiter moleſtæ curæ conquieſcere ſolent. Approbat hoc tempus S. Chryſoſtomus: Poſt cœnam, inquit, quando itis dormitum, quando eſtis decubituri, & nullo præſente multa quies & ſilentium, & nemine interturbante profunda tranquillitas, excita iudicium tuæ conſcientiæ, ab ipſo rationem exige, & quæ interdiu mala cepiſti conſilia, vel dolos conſtruens, vel propinquum circumueniens, vel praua deſideria ſuſcipiens, ea cùm in illius quietis tempore in medium adduxeris, & improbis illis cogitationibus conſcientiam iudicem dederis, eas fodica & dilania, & de eis pœnam ſume, occide cogitationem, quæ peccauit.]

Geneſ. 24. ℣. 63.

Chryſoſt. Hom. in Pſalm. 4.

Eſt exemplo & rex Dauid, qui ſuam in examinanda conſcientia ſedulitatem, prodidit illis verbis: *Et meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.* Vbi verbum Scopebam, non ſignificat ſcopis mundabam, ſed vt S. Hieronymi Commentarius

Pſalm. 76. ℣. 7.

Hieron. ad Suniam & Fretell.

tarius ait, Scopebam, id est, fodiebam quasi agrum. In epistola etiam ad Suniam & Fretelam idem Doctor notat, pro Scopebam positum esse à Septuaginta ἔσκαλλον. Propriè autem inquit σκαλισμὸς in agricultura dicitur in sarriendo, id est sarculando: & quomodo ibi quæruntur herbæ sarculo, quæ secentur: sic & iste retractatum cogitationum suarum metaphoricè à sarculo demonstrauit.] Constat ergo Dauidem profunda quæque cordis sui rimari solitum fuisse, & in eo diligenter elaborasse, vt ipsas peccatorum radices & fibras inueniret, inuentasque euelleret.

Regi regem, Dauidi Ezechiam adiungo, cuius sanctitati par fuit in examinanda conscientia sedulitas, vt indicat illa eius Oratio: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Quod S. Bernardus sic explicat: Recogitabo, id est, cogitabo, ne aliquid fortè oblitus sim, neque aliquid inuindicatum & indiscussum remaneat.] Quid memorem S. Ignatium nostræ Societatis auctorem, de quo Ribadeneira refert, quòd in singulas horas se examinare vsitatum habuerit. A parente non degenerauerat S. Franciscus Xauerius, qui, teste Tursellino, sæpiùs in die conscientiam excutiebat suam, & cæteros ad idem faciendum magnoperè hortabatur, in eo perfectæ vitæ cardinem verti ratus.

Isaiæ 38. ℣. 16.

Bernard. serm. de Virginibus.

Ribaden. lib. 5. cap. 1. Vitæ eius

Tursel. lib. 6. cap. 6.

Pro tertio mysterio hoc etiam haberi potest, quòd licet nullius frugis & virtutis fuerit aliquis, dummodo in seipsum inquirat, & suas cogitationes, verba, & opera ad calculos reuocare non negligat, breui & propè ad integritatem Angelorum accessurus sit. Nonne hoc S. Basilius sensit, cuius sunt hæc: Quæ singulis diebus feceris opera, ea vesperi ipse commemora, & cùm ijs quæ feceris pridie, conferto: studioseq; operam dato, vt melior in dies magis & magis existas. Processum in virtutibus facito, vt hoc modo Angelis efficiare propinquior.]

Basil. serm. de abdic. rerum.

Genes. 8. v. 7.

Glorioſiſſima hæc eſt propinquitas, non vt illa, quâ nonnulli ſimiles redduntur coruo, qui à Nôé ex arca emiſſus, nunquam ad eam redierat. Cùm hoc enim coruo S. Ambroſius comparat omnes, qui, vt ipſe loquitur, inquietis paſſionibus & cupiditatibus, quibus corrumpitur anima, ſe miſcere conſueuerunt, & quaſi cognatis & domeſticis delectantur, ibiq; commorationem ſuam locant, nec vnquam curant, vt ad ſe redeant, & vel tantillum temporis examinandæ conſcientiæ ſuæ concedant.]

Ambr. lib. de Noé, & arca cap. 18.

Sed in cœpta, falcis Apocalypticæ cum falce examinis collatione, pergamus. Acutam illam fuiſſe S. Ioannes vidit. Satis & hanc acutam eſſe documento eſt, quòd intra temporis exigui ſpatium, ſi non omnia, ſaltem plurima vitia reſecare poſſit. S. Chryſoſtomus vnum tantum menſem, vt hoc iſta perficiat, requirit. Sic enim ait: Ex ea re, ſcilicet ex quotidiano & diligenti conſcientiæ examine, tantum erit emolumentum, quòd ſi id, vno ſolo menſe fecerimus, in perfecto virtutis habitu nos ipſos conſtituemus.] Non leue eiuſdem rei documentum eſt, quòd huius falcis acies, etiam in Ethnicorum prauis moribus recidendis, & grauiſſimis eorum peccatis longo vſu corroboratis penitùs diſperdendis, multùm ſemper potuerit.

Chryſoſt. in Pſal. 4.

Vel vnus menſis examini conſcientiæ datus plurimum prodeſt.

Legatur Plutarchus vbi narrat, quomodo huius examinis adminiculo, ſenſim didicerit ab improbitate abſtinere. Inſtruebam, inquit, animum meum, vt primùm paucos dies ſacros ſine iraſcendo tranſigerem, velut abſque temulentia vinoque: non aliter, quàm ſi celebraſſem Nephalia aut Meliſponda, in quibus vinum attingere aut luxui indulgere, fas non eſt. Deinde faciebam idem menſem vnum aut duos, paulatim mei ipſius periculum faciens. Sic tempore proficiebam ad vlteriorem malorum tolerantiam, diligenter attendens & conſer-

Plutarch. de cohibenda iracundia.

Etiam in Ethnicis quanta mutatio mori per examen conſcienriæ.

conſeruans me ipſum, cùm verbis benè ominantibus, placidum iræque vacuum, purum & à dictis improbis, & à factis abſurdis, & à cupiditate, quæ ob voluptatem exiguam & inuenuſtam, tum turbas ingentes, tum pœnitentiam turpiſſimam adduceret. Legatur quoque Seneca cuius ſunt hæc: Animus quotidie ad rationem reddendam vocandus eſt. Faciebat hoc Sextius, vt conſummato die, cùm ſe ad nocturnam quietem recepiſſet, interrogaret animum ſuum: Quod hodie malum tuum ſanaſti? cui vitio obſtitiſti? quâ parte melior es? Deſinet ira & erit moderatior, quæ ſciet ſibi quotidie ad iudicem eſſe veniendum. Quid ergo pulchriùs hac conſuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille ſomn⁹ poſt recognitionem ſui ſequitur! quàm tranquillus, altus, ac liber!] *Seneca lib. 3. de ira cap. 36.*

Jam quod S. Ioannes audiuerit, quomodo alter Angelus falciferum Angelum monuerit, vt falce ſuâ vteretur, & ad vindemiandum ſe accingeret, etiam nobis, vt Examinis falce vtamur, & ad putanda vitia accedamus, ſanctorum Patrum veluti terreſtrium Angelorum crebræ admonitiones non deſunt. An non talis admonitio fuit illa S. Chryſoſtomi paulò ante citati? An non talis eiuſdem eſt hæc: Non priùs dormieris ô homo, quàm mente verſaueris, quæ à te interdiu perperam acta ſunt: Et die ſequenti eris omninò tardior ad ea ipſa rurſus aggredienda: Et quod facis in pecunia, nec ſinis, vt duo dies prætereant, quin cum famulo rationem ineas, ne confuſionem inducat obliuio: hoc etiam fac in actionibus. Singulis diebus veſperi ab anima rationem exige, & cogitationem, quæ peccauit, condemna: eam veluti in ligno ſuſpende, & torque, & iube ne ampliùs ea aggrediatur.] An non talis quoque eſt hæc S. Ephræm Syri: Duobus diebus ſingulis, veſperi & mane diligenter conſidera, quo pacto ſeſe habeat negotiatio

tiatio tua, ac mercimonij ratio. Et vespere quidem ingressus cubiculum cordis tui, examina te ipsum ac dicito: Putasné hodie in aliquo Deum exacerbaui? Nunquid verba otiosa protuli? num per contemptum negligentiamque peccaui? num fratrem irritaui? num cui detraxi?] &c. Sunt & aliæ aliorum Patrum ad monitiones, quibus obtemperare idem plane est quod conscientiæ puritate gaudere, & oculos Deio blectare.

CAPVT SECVNDVM.

Sacramentum Pœnitentiæ pro putatione peccatorum Falx altera.

ALteram Falcem, quamuis, vt & priorem, non putatoriam, sed messoriam, idem S. Ioannes Euangelista, & ibidem in Apocalypsi, quòd vide-
Apocal. 14. ℣. 14. rit, sic refert: *Vidi & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam.* Quidni falcem, istam & totum ornatum, quem habuit, qui eam manu suâ tenebat, Sacramento Pœnitentiæ accommodare liceat? Tenebat autem illam similis Filio hominis, scilicet Angelus, Christi personam gerens. Christus enim frequenter semetipsum Filium hominis appellabat, vt vel ex solo eius cum Nicodemo colloquio apparet, in
Ioan. 3. ℣. 13. 14. quo bis eum dictâ appellatione vsum esse, S. Ioannis Euangelium testatur.

Rationes cur se Christus filium hominis vocaret. *Tertull. de carne Christi.*

Rationem huius appellationis Tertullianus hanc assignat, quòd Christus docere voluerit, se non tantùm verum hominem fuisse, sed etiam verè & propriè nascendo, carnem humanam suscepisse. Proinde magno

magno se discrimine ab Adamo distare, qui quidem homo fuit, sed filius hominis non fuit: quia carnem nascendo non assumpsit. Hinc illud S. Augustini: Primus homo, quo cadente omnes cecidimus, cuius ruina est mortalitas nostra, non est natus, sed factus, patre nullo, matre nullâ sed Deo operante.] *Augst. serm. 16. de Natiu. Christi.*

Secundam tradit S. Augustinus: Christus, inquit, seipsum sæpissimè Filium hominis appellat, commendans nobis, quid misericorditer dignatus sit pro nobis esse. Dignatus est enim (teste S. Paulo) *cùm in forma Dei esset, nec rapinam arbitraretur esse se æqualem Deo,* id est, vt explicat idem S. Augustinus, cum naturâ non rapinâ esset Deus; non enim vsurpauit Deus hoc, sed natus est hoc: dignatus est inquam, pro nobis talis & tantus exinanire semetipsum, *formam serui accipiens, in similitudinem hominis factus, & habitu inuentus vt homo.* *Ad Philip. 2. ℣. 6. & 7.* *August. lib. 1. cont. Maximianum.*

Tertia est Christum significare voluisse, se cum hominibus cognationem quandam & fraternitatem habere: quandoquidem est filius hominis, sicut & illi sunt filij hominum. Meminit huius fraternitatis idem S. Augustinus: Multi, inquit, homines, cùm filios non habuerint, peractâ ætate, adoptant sibi, & voluntate faciunt, quod naturâ non potuerunt. Hoc faciunt homines. Si autem aliquis habeat filium vnicum, gaudet de illo magis: quia solus omnia possessurus est, & non habebit, qui cum eo diuidat hæreditatem, vt pauperior remaneat. Non sic Deus. Vnicum eundem ipsum, quem genuerat, & per quem cuncta creauerat, misit in hunc mundum: vt non esset vnus, sed fratres haberet adoptatos. Paucis interiectis subdit: Non timuit ille, scilicet Filius, habere cohæredes: quia hæreditas eius non fit angusta, si multi eam possederint.] *Idem Tract. 2. in Ioan.*

Quarta, quòd fastum & intolerabilem arrogantiam multorum confundere voluerit Christus, qui in-

conquirendis sublimibus titulis sunt toti, captandisque nominibus, humanæ etiam conditioni minimè competentibus, omnem modum excedunt. An non talis fuit Domitianus Imperator, qui se Dominum ac Deum appellari iussit, vt illud Martialis testatur: Edictum Domini Deique nostri, Quo subsellia certiora fiunt? An non talis fuit Herodes, quem stultæ illæ acclamationes oblectabant, quas sacer Historicus referendo ait: Statuto die Herodes vestitus veste Regiâ, sedit pro Tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Dei voces & non hominis.

Actor. 12. ℣. 22.

Atque hic Filius hominis appositè commemoratur, vbi Sacramento Pœnitentiæ locum ex Apocalypsi adductum accommodamus. Hoc enim Sacramentum, æquè ac alia, instituit Filius hominis siue Christus, secundùm illud S. Ambrosij: Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus IESVS? De cœlo ista Sacramenta venerunt. Illud item Concilij Tridentini: Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à IESV Christo Domino instituta, &c. Anathema sit. Instituit autem dictum Pœnitentiæ Sacramentum, quando à mortuis resurgens Apostolis suis dixit: *Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Proinde citatum Concilium damnat eorum commentitias interpretationes, qui adducta Christi verba ad potestatem prædicandi verbi Dei, & Christi Euangelium annuntiandi, detorquent.

Ambr. lib. 4. de Sacram. cap. 4.

Trident. Sess. 7. Cap. 1. de Sacram. in genere.

Ioan. 20. ℣. 23.

Idem Trident. Sess. 14. cap. 1.

Hinc apparet, ante Christi aduentum Pœnitentiam non fuisse Sacramentum, quamuis vniuersis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quouis tempore ad gratiam & iustitiam assequendam necessaria fuerit: vt scilicet abiectâ peruersitate & emendatâ, tantam Dei offensionem cum peccati odio & pio animi dolore detestarentur. Apparet etiam meritò

à Theo-

à Theologis considerari Pœnitentiam, & quâ est virtus, & quâ Sacramentum: vt ad priorem pertineat Pœnitentia illa, à quâ Conciones suas ad populum exorsus est Christus, secundùm illud: *Exinde cœpit* IESVS *prædicare & dicere*: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.* *Matth. 4. ℣. 17.*

Sed & illud, quod de nube candida, & à se visa S. Euangelista Ioannes refert, nostro proposito congruit. Quid enim est non candidum in anima, in qua pœnitentiæ efficacitas operatur? Celebris est pro ea re locus ille apud Isaiam: *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur*: &. *Si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt*, id est, etiamsi peccata vestra essent tam rubra, vt ipsum coccinum, & vermiculus esse videantur: si tamen vera pœnitentia accesserit, candidissima mox erunt. Vermiculus ergo colorem rubeum significat, sicut & in Threnis, cùm Ieremias Propheta loquitur: *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Vbi textus Hebræus habet: Qui nutriebantur in vermiculo. Nascuntur hi vermiculi rubei ex granis cocci, qui siccati & in puluerem redacti, colorem purpureum tingendis pretiosis vestibus percommodum edunt. Ne autem mireris, quomodo peccata dealbari possint, agnosce cum Cornelio Hebraismum & Metonymiam, per quam qualitas pro persona, cui qualitas inhæret, ponitur. *Isaiæ 1. ℣. 18.* *Thren. 4. ℣. 5.* *Cornel. in loc. cit.*

Nota etiam, cur potiùs coccineum, quàm aliquem alium colorem per Prophetam commemorârit Deus. Efficaciam enim pœnitentiæ exprimere voluit, quæ etiam illa peccata emundat, quæ emundare difficillimum esse videatur. Planè coccinei coloris instar, quem ex veste, præsertim sæpiùs in eo intincta, ita velle eluere, vt nullum eius vestigium extet, nihil aliud est, quàm velle omnem operam perdere. Memorat hunc colorem

Basil. in 1. Isaiæ.

S. Basilius, & aptè ad eius naturam ita scripsit: Quemadmodum in tincturis, quod repetitis vicibus, ac multo cum labore intinctum est, tincturam excipit pressiùs inhærescentem, nec ita facilè euanescentem: contra, quod superficie tenus, & vt occasio tulit, coloribus infectum est, tincturam bibit facilè mobilem & reiectitiam. Ad eundem se habet modum anima sanie peccatorum suppurata, & in habitudine constituta malitiæ. Ista enim mali assuetudo, vix ac multo negotio elui potest, & quodam modo inustam impressit animæ maculam contagione peccatorum contractam.]

In Sacramento Pœnitentiæ Christus est primarius Iudex.

Præterea vbi Sacramentum Pœnitentiæ tractatur, rectè Filius hominis, siue Chtistus sedens describitur. Cùm enim hoc Sacramentum instar actus iudicialis peragatur, quidni in eo Christus, vtpotè primarius Iudex, sedeat? Dico primarius. Nam etiam Sacerdotes sunt veri animarum iudices, vt vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent, modo tamen illo à S. Thoma tradito: Solus Deus, inquit, per auctoritatem, & à peccato absoluit, & peccatum remittit: Sacerdotes tamen vtrumque faciunt per ministerium: in quantum scilicet verba Sacerdotis in hoc Sacramento instrumentaliter operantur, in virtute Diuina, sicut etiam in alijs Sacramentis. Nam virtus Diuina est, quæ interiùs operatur, in omnibus Sacramentalibus signis, siue sint res, siue verba.] Sacerdotes ergo cùm sint quoque iudices, etiam ipsi iudicando vt sedeant, conuenit. Et de illis S. Augustinus interpretatur illa verba Apocalypsis: *Et vidi sedes, & sederunt super eas, & iudicium datum est illis:* Non hoc putandum est, inquit, de vltimo iudicio dici, sed sedes Præpositorum, & ipsi Præpositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur. Iudicium autem datum, nullum meliùs accipiendum videtur, quàm id, quod dictum est: *Quæ ligaueritis*

S. Thom. 3. Part. q. 84. art. 3. ad 3.

Augustl. lib. 20. de Ciuit. Dei, cap. 9. Apocal. 20. ℣. 4.

ueritis in terra, ligata erunt & in cœlo, & quæ solueritis in terra, soluta erunt & in cœlo.] Magnis encomijs ornat S. Chrysostomus has sedes Sacerdotum, & quibuslibet Regum Sedibus & Thronis præfert, sic scribens: Quanquam nobis admirandus videatur thronus Regius ob gemmas affixas, & aurum, quo obcinctus est, tamen rerum terrenarum administrationem sortitus est, nec vltra potestatem hanc, præterea quidquam habet auctoritatis. Verùm Sacerdoti thronus in cœlis collocatus est, & de cœlestibus negotijs pronuntiandi habet auctoritatem. Quis hæc dicit? ipse cœlorum Rex: *Quæcunque ligaueritis super terram, &c.* Quid cum hoc honore conferri potest? A terra iudicandi auctoritatem principalem sumit cœlum. Nam iudex sedet in terra, Dominus sequitur seruum, & quicquid hîc in inferioribus iudicârit, hoc ille in supernis comprobat.] *S. Chrysost. Hom. 5. de Verbis Isaiæ. Vidi Dominũ.*

Quid quòd ipsa nubes, in qua similis Filio hominis sedebat, congruenter hîc memoretur? Sicut enim in alto aëre sitam nubem vehemens ventus in nihilum redigit, ac si nunquam ibi extitisset: ita Deus peccata hominum Sacramento Pœnitentiæ tam perfectè delet, ac si nunquam commissa fuissent. Ideò hominẽ quem verè suorũ peccatorum pœnitet, alloquitur Deus: *Deleui vt nubẽ iniquitates tuas & quasi nebulam peccata tua.* Hunc tam perfectum peccata delendi modum, obseruauit S. Chrysostomus, & potentiam Dei admirans scripsit: Deus ita delet peccata, vt nec eorum remaneat vestigium. In corporib⁹ hoc quidem non licet: quia etiamsi medic⁹ millies elaboret, & imponat vulneri remedia, vuln⁹ quidem tollit, cicatrix verò permanet, vulneris circumferens argumentũ, aspectus deformitatẽ. Et licet in infinitũ medic⁹ contendat, non tamen cicatricem delere potest. Ipsa namque naturæ repugnat imbecillitas, & artis impotentia, vilitasque medicamentorum. Deus autem cum *Isaiæ 44. v. 22.* *Chrysost. Hom 88. de pœnit. ad pop.*

delet peccata, neq; cicatricem relinquit, neq; permittit remanere vestigium: sed cum sanitate pulchritudinẽ quoq; restituit, cùm liberatione à pœna dat iustitiam, & præuaricatũ non præuaricato similẽ reddit.] Nota hæc posteriora S. Doctoris verba, & expende, si nõ suggerunt ea, de quibus Theologi cum S. Thoma disputare solent.

S. Thom. 3. Part. Q. 84. art. 1. 2. 3. 5.

Tàm gloriosè in nube sedentem, aurea corona ornabat. Quomodo Christum non ornet corona aurea, quam ex seipsis homines conficiunt, quotquot per Sacramentum Pœnitentiæ in gratiam cum eo redeunt? Philippenses S. Paulo Corona erant, quòd per eum ex tenebris errorum educti, lumen veræ fidei aspexissent: ideôque illis Apostolus dicebat: *Itáq; fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudium meum & corona mea.* Christo autem corona non sint, qui per dictum Sacramentum ex Orci faucibus eruti, cœlorum domicilijs inseruntur. Quomodo coronam non habeat Christus, quando omnes cœlestium Spirituum ordines omnibus lætitijs incedunt, maximamque festiuitatem simul cum Deo peragunt? Audi de hac festiuitate Origenem: Ego, inquit, puto, quòd per singulos quosque credentium, per singulos qui conuertuntur ad Deum, qui proficiunt in fide, festiuitas oritur Domini. Quomodo putas lætificat eum, cùm is, qui fuerat impudicus, fit castus, & qui fuerat iniustus, iustitiam colit, & qui fuerat impius, efficitur pius? Istæ omnes singulorum quorumque conuersiones, festiuitatem generant Deo.] Et paulò post: Nam de Angelis quid dicam? ad quorum festiuitatem lætantium dicuntur accedere omnes, qui conuertuntur ad Dominum? Aut non est illis magna festiuitas, *cùm lætantur in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, magis quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia?*] Item quomodo Christus coronam in capite non gestet, quo die nobilem triumphum agit? Scipio

Philip. 4. ℣. 1.

Origen. in Numer. Hom. 23.

Luca ℣. 15. 7.

Africa-

Africanus, teste Plutarcho, perhonorificum sibi duxit, eo die coronatum comparere, quo imperij Romani hostes profligauerat in Africa, & idcircò aiebat: Hac ipsâ die Carthaginenses & Annibalem deuici: itaque nunc coronatus ad Capitolium ascendo.] Christus autem non coronetur, quo die totius humani generis hostem acerrimum, omnesque eius exercitus ex peccatis conflatos virtute Sacramenti Pœnitentiæ debellat? *Plutarch. in eius vita.*

Insuper quòd illum similem Filio hominis spectabilem reddebat, falx acuta fuit. Equidem ad putanda peccata Sacramentum Pœnitentiæ est etiam falx acuta, cuius acies, quantacunque sint delicta, ab anima recidit. Vbique & non in sola Scriptura sacra, doctrina hæc tanquam minimè dubia proponitur, vt cùm S. Chrysostomus dicit: Agamus pœnitentiam, etiamsi indulgentiæ modum excedere videantur peccata, & non modò veniam peccatorum, verùmetiam præmiorum gloriâ perfruemur.] Et alibi: Dedit Deus medicamentum Pœnitentiæ, quod sufficit ad delenda & abstergenda omnia nostra pecata, si modò viderimus, cuiusmodi sit medicamentum, & quomodo id sit applicandum. Cuiusmodi ergo est medicamentum pœnitentiæ, & quomodo conficitur? Primum est ex suorum peccatorum condemnatione & ex confessione. *Delictum*, inquit, *meum cognitum tibi feci, & peccatum meum non abscondi.* Pronuntiabo contra me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei.] Longiusculè ibi S. Doctor & vtiliter sermonem suum producit, enumerans quibuscum necti pœnitentia debet. *Chrysost. in 3m. Matth. Hom. 10.* *In Epist. ad Hebr. Homil. 3.* *Psalm. 31. ℣. 5.*

Nec quantacunque solùm sed cuiuscunque tandem peccata illa fuerint, dicta falcis Pœnitentiæ acies recidit. Eleganti Dialogismo declarat hoc idem S. Chrysostomus, tale colloquium cum homine in peccatis enutrito habens: Quod in antiquis domibus facere solemus, *Idem Chrys. Hom 80. ad popul.*

solemus, cùm fuerint putrefactæ, putrida subtrahimus & supponimus noua, & à continua cura nunquam desinimus. Si fueris antiquatus à peccato, per Pœnitentiam te renoua. Num pœnitentem licet saluari? Et maximè. Totam vitam in peccatis absumpsi, & si pœnitentiam egero, saluabor? Et maximè. Vnde constat? Ex Domini clementia. Ne tuæ confidas Pœnitentiæ: tua namq; Pœnitentia, tanta nequit peccata delere. Si sola foret Pœnitentia, iure timeres: sed postquam cùm Pœnitentia commiscetur Dei misericordia, confide, quoniam tuam vincit nequitiam. Multùm enim est misericors Deus, & tantùm clemens, vt neque filio pepercerit, vt ingratos seruos redimeret.] Idem S. Chrysostomus, & ad eandem rem demonstrandam diuersorum statuum homines, omnes autem grauissimorum delictorum reos memorans, in has Pœnitentiæ laudes excurrit: O Pœnitentia! per te subitò rapuit latronem Christus ad Regnum. Per te Dauid post flagitium felix iterum recepit spiritum Sanctum? Per te Manasses post cruenta facinora, ecce meruit fieri acceptabilis. Per te Petro Apostolo postquam ter negauit, data est indulgentiæ dextera. Per te filius prodigus regressus ad Patrem, non solùm amplexum osculumque paternum, sed etiam epulum vituli saginati, vestemque insignem promeruit adipisci. Per te mulier fornicaria vberes stillauit lacrymas, fonteque sui baptismi protinus lauit pedes Christi, crineque detersit. Per te Niniue ciuitas magna populusque integer barbarorum, subitò Deum sapuit, virtutem tuam sensit, &c.]

Idem serm. separ. de Pœnit.

Quod si hîc opponas Esau & Antiochum, qui licet pœnitentiam egerint, remissionem tamen peccatorum minimè obtinuerant. De Esau enim scripsit S. Paulus: *Non inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisiuisset eam*, id est, non inuenit locum veniæ &

Hebr. 12. ℣. 17.

benedi-

benedictionis per pœnitentiam, vt exponit Glossa quam S. Thomas citat. De Antiocho autem in libro Machabæorum scriptum: *Orabat hic sceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Respondet S. Thomas, ambos hos non pœnituisse verè. Priorem illa eius verba produnt: *Venient luctus dies Patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Posteriorem ait vir Sanctus doluisse de culpa præterita, non propter offensam Dei, sed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur.

Gloſſa apud S. Thom. Part. 3. q. 86. art. 1.

2. Machab. 9. ℣. 13.

Geneſ. 27. ℣. 41.

Denique falcis pœnitentiæ acies, vt peccata recidat, multo tempore opus non habet. In momento & Dauidem pœnituisse, & peccata eius in nihilum redacta fuisse, S. Chrysostomus obseruat. Dicenti enim Dauidi: Peccaui Domino, verbum vnum in momento prolatum, verè pureque vniuersam contulit pœnitentiæ salutem. Ita ibi S. Doctor, cùm sermone ad quemlibet hominem peccata habentem, conuerso, præmisisset. Non expectat Deus tempus à pœnitentia. Dixisti peccatum tuum? iustificatus es. Pœnituisti? Misericordiam es consecutus. Non tempus æstimatur, sed pœnitentis modus peccatum extinguit. Fuit qui multo exacto tempore salutem non impetrauerit, atque repentino momento, si verè fuerit confessus, à peccato soluetur.]

Quia verò S. Thomæ paulò ante mentionem feci, concedat Lector, vt tantum Theologum, paulò quidem longiùs, sed solidè & clarè de præsenti materia differentem introducam. Sic ergo inquit: Quòd aliquod peccatum per Pœnitentiam tolli non possit, potest contingere dupliciter. Vno modo, quia aliquis de peccato pœnitere non possit. Alio modo, quia pœnitentia non posset delere peccatum. Primò quidem, non possunt per pœnitentiam deleri peccata Dæmonum, & etiam hominum damnatorum: quia affectus eorum sunt confirmati in malo: ita quòd non potest eis

displicere peccatum, in quantum est culpa, sed solùm displicet eis pœna, quam patiuntur. Ratione cuius aliquam pœnitentiam sed infructuosam habent, secundum illud Sap. 5. *Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes.* Vnde talis pœnitentia non est cum spe veniæ, sed cum desperatione. Tale autem non potest esse peccatum hominis viatoris, cuius liberum arbitrium flexibile est ad bonum & malum. Vnde dicere, quòd aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis pœnitere non possit erroneum est. Primò quidem, quia per hoc tolleretur libertas arbitrij. Secundò, quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ, per quam moueri potest cor cuiuscunque peccatoris ad pœnitendum, secundùm illud Prou. 21. *Cor regis in manu Dei, & quocunque voluerit, vertet illud.* Quòd autem secundo modo non possit per veram pœnitentiam aliquod peccatum remitti, est etiam erroneum. Primò quidem, quia repugnat Diuinæ misericordiæ, de qua dicitur Ioel 2. *quod benignus & misericors est, & patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.* Vinceretur enim quodammodo Deus ab homine, si homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet. Secundò, quia hoc derogaret virtuti passionis Christi, per quam pœnitentia operatur, sicut & cætera Sacramenta: cùm scriptum sit primæ Ioan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non solùm nostris, sed etiam totius mundi.* Vnde simpliciter dicendum est, quòd omne peccatum, in hac vita per pœnitentiam veram deleri potest. Huc vsque S. Thomas.

Tertull. lib. de Pœnitent.

Quamobrem iure laudandus est Tertullianus, quòd quemlibet peccatorum suorum sibi conscium, ad Pœnitentiæ Sacramentum excitet, & ne illam de die in diem differat, seriò monet. Cur, inquit, cessas aggredi, quod scias mederi tibi? Mutæ quidem animæ & irrationales, medicinas sibi diuinitus attributas in tempore

pore agnoscunt. Ceruus sagittâ confixus, vt ferrum & irreuocabiles moras eius de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum. Hirundo si excæcauerit pullos, nouit eos oculare rursus de sua chelidonia. Peccator resistituendo sibi, institutam à Domino Exomologesim sciens, præteribit illam, quæ Babylonium Regem, scilicet Nabuchodonosorem, in regna restituit?] Idem facit S. Hieronymus ad illa verba Ecclesiastæ: *Si mordeat serpens in silentio.* Si quem, inquit, serpens Diabolus occultè momorderit, & nullo conscio, eum peccati veneno interfecerit: si tacuerit, qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri & Magistro voluerit confiteri, Magister, qui linguam habet ad curandum, facilè ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina, non curat.]

Hieronymus. Eccles. 10. ℣. 11.

Quod ignorat medicina, non curat.

CAPVT TERTIVM.

Memoria mortis, pro putatione peccatorum, Falx tertia.

TError hic est hominum, quique hunc gerit, est Agamemnon. Stantis inter agmina militum, & clypeum suum ostentantis Agamemnonis, Græcorum contra Troianos celeberrimi Ducis, vox ea fuit. At longè potiori iure Mors stans in medio mundi, & falcem suam vibrans, consimili voce diceret: Terror terrigenis est hæc, & quæ hanc gerit, est Mors. Quis enim tam fortis & robusti animi extitit Heros, vt ei falce suâ nullum terrorem Mors incusserit? Non solus Agag mortem ob oculos habens, & tremens dicebat: *Siccine separat amara Mors?* Non solus Adrianus Imperator moribun-

1. Reg. 15. ℣. 32.

ribundus & pauidus animam suam alloquebatur, vt Spartianus scribit: Animula, blandula, vagula, hospes comesque corporis, quæ nunc abibis in loca? pallidula, rigida, nudula: nec, vt soles, dabis iocos. Non solus Aristoteles asseruit. Omnium terribilium mortem maximè esse terribilem. Omnes communiter perhorrescunt mortem; & solo eius nomine percelluntur: vt percellebantur illi, quibuscum sermonem habens S. Augustinus aiebat: Vbi erunt ista omnia, cùm mors venerit? quomodo stimulat? quomodo metus mortis interpellat? Quomodo nomen ipsum à me commemoratum omnium corda percussit? Quomodo timorem vestrum, teste gemitu, declarastis? Audiui, Audiui: gemuistis, mortem timetis.] Alibi etiam laudat antiquos Philosophos, quòd sentirent, hanc esse quodammodo naturæ primam & maximam vocem, vt homo concilietur sibi, & propterea mortem naturaliter fugiat. Et verò si mors tantummodò terreret homines, vtcunque tolerabilis esset. Atqui illa falce suâ omnium capita demetit, & in cinerem omnes conuertit. Vbi iactabundus & paulò ante commemoratus Agamemnon? Vbi sunt, quærit S. Augustinus, quos ambiebant ciuium potentatus? Vbi insuperabiles Imperatores? Vbi qui conuentus disponebant & festa? Vbi equorum splendidi inuectores? exercituum duces, Satrapæ, Tyranni? Non omnia pulùis? Non omnia fauillæ? Non in paucis ossibus eorum vitæ memoria est?] Simillima habet sanctus Basilius.

Spartian. in eius vita.

Omnes communiter mortem horrent.

August. de disciplina Christiana cap. 11.

Idem l. 19. de Ciuit. Dei, cap. 4.

Idem in sentent. à Prospero collecta, sententiâ vltimâ.

Basil. orat. 24. de morte.

Cæterùm, vt quem modum in duobus superioribus capitibus retinui, eundem in hoc seruem, falcem mortis accommodabo falci illi, quam Propheta Zacharias vidit, & in Capite 5. descripsit. Larina quidem versio & vulgata, non nominat falcem, sed, Volumen: Septuaginta tamen interpretes habent δρέπανον, quæ

Zachar. 5. à ℣. 1.

vox

vox propriè significat falcem, vt eam intellexerunt antiqui Patres Græci, præsertim Chrysostomus, Cyrillus, & Theodoretus. De illa ergo falce, secundùm istam interpretationem, tria potissimùm S. Propheta narrat. Inprimis quòd viderit eam volantem: *Vidi*, inquit, *& ecce falx volans.* Deinde, quòd fuerit & longa & lata. *Longitudo*, inquit, *eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum.* Tertium, quòd in ea fuerint varia hominum peccata scripta, vt pro ratione & grauitate eorum pœnas luerent. Tribus his rebus in illa falce mystica, oculo Prophetico notatis, aptè Mors & falx eius respondet.

Primò enim admirandæ velocitatis est, vt & illa, dicique posset Mors cum sua falce volans. Velocitas eius interdum exprimitur per Cursorem, vt cùm Iob dicit: *Dies mei velociores fuerunt Cursore.* Vbi ita Cursorem nominat, vt tamen velocitati eius velocitatem mortis præferat. Et meritò. Sit cursor, qualis fuit olim Asaël, quem sacra Scriptura sic commendat: *Asaël cursor velocissimus fuit, quasi vnus de capreis, quæ morantur in siluis.* Sit alius similis illi Indaco, de quo apud Suidam hæc leguntur: In eundo conspiciebatur, & rursus euanescebat, fulguris instar per præcipitia, non currenti magis quàm volanti similis. Quam enim viam homo equis mutatis vno die conficere non poterat, eam hunc suis pedibus, absque vllo dolore, percurrere asserebant. Nam à Castello Chereo vno die Antiochiam perueniebat, & postridie in idem Castellum reuertebatur, ex quo denuò vno die Neapolim Isauriæ proficiscebatur. Ambo isti, & reliqui omnes, quotquot pedum agilitate, fortis celebre nomen meruerunt, velocitatem mortis non tantùm non æquârunt, sed ne quidem adumbrârunt. Nam, vt inquit S. Chrysostomus, cursor interdum diuertit, sed cursus vitæ, Cursor est non requiescens.

Mors cursore quouis velocior.

Iob 9. ℣. 25.

2. Reg. 2. ℣. 18.

Suid.

Chrysost. de Adam, Sodomitis, &c.

scens. Proinde quod de Indaco dixit modò citatus auctor, similem illum fuisse volanti, id de morte longè verius quisque dixerit, assentientibus illis, qui eandem velocitatem mortis significare cùm vellent, coruum nigrum expansis alis in alto aëre volantem pingebant. At rursus hîc S. Chrysostomus dicet, coruum & quamlibet aliam volucrem, volatum suum interrumpere, & quiescere; mortem autem nunquam.

Velocior & nauibus quibuslibet.

Post cursorem meminit Iob nauium poma portantium, & cum illis velocitatem mortis comparat. Nam sic de diebus vitæ suæ ait: *Pertransierunt quasi naues poma portantes.* Et certè naues quasdam, si prospero vento impellantur, velocissimas esse, declaratur exemplo illarum nauium, de quibus Isaias dixit: *Væ terræ cymbalo alarum.* Quia enim celerrimè per mare ferebantur, ideò Propheta vela eius appellauit alas. Quòd verò sonum quendam instar cymbali ederent, cymbalum eadem vocauit. Potissimùm autem hac nauium celeritate, opus habent poma per aliquod mare vehenda: ne si diu in eo morentur, propter vapores aqueos putrescant. Sed quam multa sunt, quæ naues remorantur, cùm mortis cursum remoretur nihil? Auctore Plinio exiguus pisciculus Echeneis dictus, si carinæ alicuius nauis adhæreat, ita illam sistit, vt licet venti ruant, & procellæ sæuiant, ipsa tamen immobilis permaneat. Mortis autem currentis impetum, quæ vnquam vis naturæ stitit? Solis & lunæ cursum repressit olim Iosue; at non mortis. Nam, vt inquit Scriptura sacra: *Mortuus est Iosue filius Num seruus Domini.* Non obest meminisse hîc versionis 70. quæ pro illis verbis: *Sicut naues poma portantes,* habet: Sicut naues piratarum. Nam & hæc magnam mortis velocitatem indicat. Qui enim piraticam faciunt & rapto viuunt, vt prædam subducant, & fugiant, eas sibi naues, quæ sint leuissimæ & velocissimæ, comparant.

Isaiæ 18. ℣. 1.

Plin. lib. 32.

Iosue 24. ℣. 29.

Postre-

Postremò velocitatem mortis confert Iob cum aquila, & ait: quòd dies sui pertransierint, sicut aquila volans ad escam. Equidem miræ velocitatis esse aquilas, præsertim si eas fames stimulet, & aliqua esca à longè posita ad se inuitet, notum est. Hinc Propheta Isaias, vt dotem agilitatis, quam Sancti in cœlo sunt habituri explicet, aquilarum pennis eam assimilat: *Sument, inquit, pennas sicut aquilæ: current & non laborabunt: ambulabunt & non deficient.* Ieremias quoque Nabuchodonosorem regem, quòd celerrimè aduolaturus esset, & vastaturus Moab, cum aquila comparat: *Ecce, inquit, quasi aquila volabit, & extendet alas suas ad Moab.* Exístat ergo quispiam, quem tam velox aquila, velut alterum Ganymedem Poëtarum versibus celebratum, dorso suo vectet, num hanc cursu suo mors non assequetur, & sessoris eius caput, falce suâ non demetet?

Isaiæ 40. ℣. 31.

Ierem. 48. ℣. 40.

Mors Aquilâ velocior.

Accedat illa visio, quam S. Ioannes in Apocalypsi ita describit: *Et ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi Mors.* Scio hunc locum communiter ab auctoribus intelligi de imperio Romano, quale sub Domitiano fuit: ita vt ipse Domitianus appelletur Mors, qui & suis Romanis & plurimis Christianis crudelem mortem intulerit. Equus verò pallidus significat imperium Romanum, quòd meritò vocatur pallidum, propter continuum timorem, quo vniuersi Romani sub tanto tyranno, monstro potiùs quàm homine, replebantur. Timor enim omnem pulchrum colorem de vultu hominis tollit, & pallidum inducit. Non desunt tamen, qui citatum locum de morte propriè dicta interpretantur, dicuntque, ideò eam super equum sedentem oculis S. Ioannis repræsentatam esse: quia ipsa rerum agendarum delineationes varias, quas homines longam vitam sibi promittentes formant, celerrimè accurrens falce suâ præcidit. Exemplar talium hominum est ille, qui

Apocal. 6. ℣. 8.

Eccles 11. ℣. 19. & 20. qui cùm dixisset: *Inueni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis solus*, dixit quoque Ecclesiasticus de eo: *Et nescit, quòd tempus præteriet, & mors appropinquet, & relinquat omnia alijs, & morietur.* Fuit & ille exemplar in Euangelio S. Lucæ, cuius vox erat: *Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos? & dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.* Tamque diu sonabant in ore eius hæc verba, donec ipsi à Deo dictum esset: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt?* Non omittendi illi, quos S. Iacobus in sua Epistola sic alloquitur: *Ecce nunc qui dicitis: Hodie aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus: qui ignoratis, quid erit in crastino.* Ezechias quoque Rex suas designationes rerum variarum certis temporibus agendarum, à morte in nihilum celerrimè redactas esse queritur: *Præcisa est velut à texente vita mea: dum adhuc ordirer, succidit me.* In qua querela aduerte, vitam humanam à S. Rege cum tela, mortem autem cum textore conferri, simulque doceri quòd eadem facilitate, prima vitæ exordia mors præcidat, quâ textor filum, à quo telam orditur, abrumpere solet. Vtrumque aduertit S. Gregorius simillima verba Iobi tractans.

Lucæ 12. ℣. 17. & reliq. Iacob 4. ℣. 13. Isaiæ 38. ℣. 12. Iob 7. ℣. 6.

Prorsus inexplicabilis est velocitas mortis, & & tunc solùm vtcunque explicatur, vt etiam supra attigi, cùm dicitur, quòd & ipsa mors volet, & homines, quos abripit, non tam ex hac vita decedant, quàm auolent. Dicunt hoc isti ipsi, secundùm versionem quam S. Hieronymus adducit. Nam cùm in vulgata editione, habeamus: *Quoniam superuenit mansuetudo & corripiemur*: in Hebræo est: Succidimur repentè & auolamus. Sæpè idem

Hieron. ad Cypri anum. Psalm. 89. ℣. 10.

cum

cum morte de nimia velocitate expostulant, & vno se die tantùm vixisse aiunt. Nonne hoc sonant illa commemorati Regis Ezechiæ verba: *De mane vsq; ad vesperam finies me?* Circa quæ facilè est meminisse illarum bestiolarum, de quibus Cicero ex Aristotele refert, quòd ad Hypanim Scythiæ fluuium mane nascantur, vespere eiusdem diei intereant. Dicunt alij, si tamen à prioribus differunt, ideò solùm se natos esse, vt vel tantillum temporis habeant, quo & animam sortiantur, & eodem moriantur. Cuilibet talium seruit illud S. Hieronymi: Quid miserius homine, qui æternæ mortis terrore prostratus, viuendi sensum ad hoc tantùm acceperat, vt periret?] Alij ne tempus quidem, sed solum momentum & punctum vitæ suæ, agnoscunt, S. Augustinum imitando, qui ad illa verba Psalmistæ: *Accelera, vt eruas me.* Ad hoc, inquit, positum est verbum, Accelera, vt hoc totum, quod nobis videtur, quamdiu voluitur seculum, intelligas punctum esse.]

Hieron Epist. 3. ad Heliod. Epitaph. Nepotiani.

Aug. ad Psal 30. ℣. 3.

Tantam igitur mortis velocitatem, & tam celerem falcis eius volatum, quis non paueat? Præsertim si videat, quòd hæc falx & longitudinem & latitudinem falcis à Zacharia Propheta visæ, superet. Falx enim mortis, non cubitis, vt illa mensuratur, sed planè eisdem, quibus mundus, regionibus terminatur. Nimirum vbique terrarum falx dicta in homines sæuit: verumque est illud Hormisdæ natione Persæ dictum, qui interrogatus placeretne sibi Roma, respondit: Multum quidem placere, hoc tamen vitio eam laborare, quòd perinde in ea, atque in alijs vrbibus homines cogantur mori. Huc referri potest, quòd Psalmographus scripsit: *Non saluatur Rex per multam virtutem: & gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ: fallax equus ad salutem.* Nempe certum est, quòd nuspiam Rex sit aut fuerit, qui magnâ vi opum, vel militum copiâ, morti restiterit: certum

Psalm. 32. ℣. 16. & 17.

tum etiam, quòd ex genere gigantum fuerit nullus, qui corporis sui mole & robore, eandem mortem superârit: certum denique nullo in loco inuentum esse equum, cuius agilitate factum sit, vt aliquis à morte immunis redderetur. Illustrat hoc Cardinalis Bellarminus exemplis Saul, Goliat, & Ioram filij Ioab: quorum primus ingentem exercitum collegerat; secundus Gigantæis viribus pollebat: tertius celerrimis equis fugiebat: omnes tamen præda mortis facti, miserè perierunt. Occurrit hic & illud Pòëtæ: Nullo fata loco possis excludere, cùm mors venerit: in medio Tybure Sardinia est. Quod ille hoc sensu dixit: etiamsi habites in medio Tybure, qui locus ab antiquis Romanis pro saluberrimo semper est habitus: si tamen ibi mors falcem suam tibi iniecerit, certò morieris, & sic in medio Tybure, experieris Sardiniam, cuius cœlum ad perimendos homines aptum esse, multa experientia docuit.

Bellarm. ibid.
1. Reg. 31. ℣. 4.
1. Reg. 17. ℣. 51.
4. Reg. 9. ℣. 24.
Martial.

Maximè verò longitudo & latitudo propositæ falcis tunc apparet, cùm se aliqua pestilentia morti comitem adiungit. Quantam tunc stragem in hominibus mors sic comitata facit? Quanta & quàm longè dissita regna intra tempus breue peruadit? Meminerimus regni Dauidis, in quo per sex tantum horas, vt aliqui volunt, vel, vt alij, per tres duntaxat, septuaginta virorum millia mors interemit. Meminerimus & illius cladis, de qua Procopius narrat, quòd tempore Iustiniani Imperatoris, Constantinopoli & circumcirca nouum & rarum non fuerit, vt per vnum diem quinque hominum millia, interdum etiam decem millia morerentur. Quis verò numeret, quot myriades hominum anno 565 perierint, cùm per Italiam, Galliam, Germaniam, mors eadem pestilentiâ stipata liberè grassaretur? Neget, qui negare potest, magnam esse longitudinem & latitudinem falcis, quâ mors tot simul mortales inuoluit & involutos ex numero viuorum tollit.

1. Paralip. 21. ℣. 14.
Procop. lib. 11. de bello Persico.

Vi-

Videndum iam, habeatné mors in sua falce peccata hominum scripta, sicut habebat illa, quam Prophe-
ta Zacharias vidit. Equidem habet. Nam cùm mortem *Sapient. 1. ℣. 13.*
non fecerit Deus, teste sacra Scriptura, necessariò mors causam sui & originem ad peccatum referre, illudque tanquam genuinum suiipsius auctorem agnoscere debet. Proponitur id à S. Paulo illis verbis: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* A Concilio item Mileuitano, quod *Roman. 5. ℣. 12.* *Mileuit. Can. 1.*
etiam quemlibet aliter sentientem tali anathemate ferit: Quicunque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita vt siue peccaret, siue non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit. A S. *August. lib. de præd. est. & gratiæ. 3.*
etiam Augustino, qui expresè mortem non naturæ conditionem, sed pœnam peccati esse docet. Idemque alio *De Verbis Domini serm. 21.*
in loco repetens, vocat eam absolutè pœnam. Quis, inquit, nescit, quia pœna est, necesse esse vt moriamur, & quod est grauius, quando, nescimus. Pœna certa est, hora incerta: & de ista pœna certi sumus in rebus humanis. Cætera nostra & bona & mala incerta sunt, sola mors certa est. Quid est, quod dico? Conceptus est puer, forte nascitur, forte aborsum facit: Ita incertum est, forte crescit, forte non crescit. Forte senescit, forte non senescit. Fortè diues erit, forte pauper, &c. Nunquid potes dicere, fortè moritur, fortè non moritur?]

Deinde inscriptione illâ demonstratur, peccata esse, quæ falcem mortis exacuunt, vt crudeliùs in humanum genus mors desæuiat, & commemoratam pestilentiam interdum asciscat. Omnia & singula peccata ad hunc effectum non parùm efficacitatis habent, hæc certè plurimùm. Primò, Superbia, vt indicat illa, quâ

1. Paral. 21. Rex Dauid promeruerat, vt diminutionem populi sui pateretur, quem non sine mentis tumore numerari iusserat. Secundò, verbi Diuini contemptus, quali laborabant illi, de quibus per Prophetam Ieremiam loquebatur Deus: *Mittam in eos gladium, & famem, & pestem: eò quòd non audierint verba mea, quæ misi ad eos per seruos meos Prophetas.* Tertiò, Pauperum oppressio, cuiusmodi erat illa in Ægypto, cuius regi Pharaoni dicebat Deus: *Extendens manum percutiam te, & populum tuum peste, peribisq; de terra.* Quartò, Luxuria, cui deditis minatur Deus per Ezechielem Prophetam: *Feciſtis abominationes, & vnusquisq; vxorem ſui proximi polluit. Viuo ego, quia qui in ruinoſis habitant, gladio cadent: & qui in agro eſt, beſtijs tradetur ad deuorandum: qui autem in præſidijs & ſpeluncis, peſte morientur.*

Ieremi. 29. ℣. 17. 19.

Exodi. 9. ℣. 15.

Ezech. 33. ℣. 26.

Præterea inscriptio illa falcem mortis dirigit, vt alios quidem dimidiare dies suos non patiatur: alios ingredi in abundantia sepulchrum permittat. Scripturæ sacræ sunt isti duo loquendi modi: quorum priori vtitur Psalmista dicens: *Viri sanguinum & dolosi, non dimidiabunt dies suos*, id est, omnes sanguinarij, qui aliorum sanguinem fundunt, eosque dolosè & ex insidijs occidunt, iusto iudicio non diu viuent. Ipse hoc Deus illo dicto comprobat: *Quicunq; effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*: illo item Christi Domini: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Et certè, vt annotauit Bellarminus, ita plerumque fit, vt viri sanguinum occidantur, vel à iudice, vel ab hostibus, vel à seipsis, vel à casu aliquo, qui tamen respectu Dei non sit casus, sed dispositio prouidentiæ Dei ipsius. Posteriori loquendi modo vtitur Eliphaz promittens Iobo, quòd pro tanta virtutum & bonorum operum copiâ, *Ingreſſurus ſit in abundantia ſepulchrum*: per abundantiam intelligens, non abundantiam opum, sed annorum, vt S. Chrysostomus explicat.

Psalm. 54. ℣. 24.

Geneſ. 9. ℣. 6.

Bellarm. in Pſ. cit.

Iob 5. ℣. 26.

explicat. Mors ergo vt falcata, ita & oculata, peccata hominum in sua falce scripta videns, & de longitudine vel brevitate vitæ eorum, latam Dei sententiam sciens, aliquos citò & in ætate florida perimit: aliquos, vt feliciter canescant, & vsque ad extremam vitæ metam læti perueniant, permittit.

Vnde apparet, quo sensu vitæ longioris cupidum moneat Ecclesiastes: *Ne impiè agas multùm, & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.* Monet enim quemlibet peccata peccatis cumulantem, & in eis perseuerantem, ac proinde stultum, vt resipiscat: nisi fortè velit, vt mors accurrat, & citiùs vitam sibi præcidat, quàm præcideret, si illum probè & laudabiliter omnia agentem videret. Ad demonstrandum id, aptum exemplum ex Hispania S. Bernardinus adducit, de iuuene, qui decimum octauum ætatis annum agens cùm suspendio vitam finiuisset, statim à morte, antequam dilaberentur, qui eum ad locum supplicij deduxerant, apparuit toto vultu rugosus, barbaque promissâ canus. Res ad Episcopum delata, tale responsum retulit, iuuenem illum ita naturâ formatum fuisse, vt ad octuagesimum, vel nonagesimum annum viuendo durare posset, sed peccatis mortem festinam simulque ignominiosam sibi aduocasse. De Anastasio quoque Imperatore narrat S. Antoninus, apparuisse illi horribili specie virum, cum libro, in quo erat scriptum: En ob tuam improbitatem, quatuordecim tibi vitæ annos deleo.

Eccles. 7. ℣. 18.

Bernard. Tom. 2. Dom. 2. Quadr. serm. 17.

Ad extremum inscriptio illa docet, magno ibi numero inueniri peccata, vbi homines mortis & falcis eius, nullam memoriam habent. Rex Dauid hoc etiam asserit, qui cùm dixisset: *Non est respectus morti eorum,* vel vt S. Hieronymus ex Hebræo transtulit: Non cogitant homines mortem suam, mox adiecit: *Ideò tenuit eos superbia.* Ecce ex defectu memoriæ dictæ, nascitur superbia,

Psalm. 72. ℣. 4.

bia, & quidem vehemens & fortis, quæ non teneatur à superbis, sed ipsa superbos teneat, & tanquam seruos bello captos, verèque mancipia suis vinculis stringat.

Ioan. 8. ℣. 34. Nam Christo ipso teste: *Qui facit peccatum, seruus est peccati.*

Ibid. ℣. 6. Quòd autem non sola superbia ex obliuione mortis nascatur, addidit Dauid: *Operti sunt iniquitate &*

Bellarm. ibid. *impietate suâ.* In quibus notat Bellarminus, omnes mortis immemores, rectè vocari iniquitate & impietate opertos: quia toti non solùm cogitatione & desiderio peccandi, sed etiam oculis, manibus, pedibus, linguâ, visu, verbo, & opere peccant.]

Aug. l. 2. de Genes. cont. Manich. c. 28. At verò vbi commemorata memoria viget, ibi facilè omnia peccata tolluntur, iuxta illud S. Augustini: Nihil sic reuocat homines à peccato, quemadmodum

Greg. lib. 13. Moral. cap. 10. imminentis mortis cogitatio. Illud similiter S. Gregorij: Perfecta vita est, mortis imitatio, quam dum iusti solicitè peragunt, culparum laqueos euadunt.]

Idem & ibid. Nominatim tollitur superbia, cui idem S. Gregorius il-

Iob 17. ℣. 1. lud Iob dictum: *Spiritus meus attenuabitur*, applicans, & per spiritum superbiam intelligens, ait: *Iustorum attenuatur spiritus*, sed crassescit iniquorum. Quò enim per elationem tument, eò attenuationem spiritus non habent. Iusti verò dum breuitatem vitæ suæ considerant, elationis & immunditiæ culpas declinant.] Tollitur etiam diuitiarum amor, & omne eas colligendi & conseruandi studium. Mirantur plerique, quomodo

Exodi 12. ℣. 35. & seq. Ægyptij à Iudæis non repetierint vasa aurea, argentea, & alia id genus pretiosa, quæ eis, doceme sacrâ Scripturâ, commodauerant: sed his omnibus onustos liberè illos ex suo regno abire, & in longinquam regionem migrare permiserint. At mirari desinet, qui recordatus fuerit, omnes in Ægypto domos per illud tempus occisorum primogenitorum cadaueribus plenas fuisse, quæ

cùm

cùm Ægyptij cernerent, & timerent, ne simul cum filijs eâdem sorte inuoluerentur, hoc solùm in tanta omnium comploratione, animis eorum libebat, vt amarè plangerent, non autem vt aurum vel argentum recuperarent. Facilè enim contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum, S. Hieronymus inquit. Tollitur quoque iniustitia, quæ in distribuendis honoribus & possessionibus committi solet. Obseruat doctus auctor, quomodo Deus, cùm designasset Iosue, vt latissimam terram inter tribus Israël diuideret, statim ei mortem in memoriam reuocârit, dicens: *Senuisti & longæuus es, terrag, latissima derelicta est, &c.* Senectus quidem hîc nominatur non mors: Sed seni commemorare suam senectutem, perinde est, ac commemorare proximam mortem. Nam vt S. Bernardus inquit: Mors senibus in ianuis, adolescentibus in insidijs est. Hac autem mortis commemoratione opus habuit Iosue, vt in illa diuisione iustitiam seruaret, quæ iuxta definitionem eius à S. Gregorio Nysseno traditam: Est habitus tribuens vnicuique id, quod æquum est, & quo quisque dign' est.] Tollitur & luxuria. Nam vt S. Gregorius Magnus docet: Nihil sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quàm vt vnusquisque hoc, quod viuum diligit, quale sit mortuum penset.] Ibidem circa illa verba Iob: *Dulcedo illius vermis.* Quisquis, inquit, carnalibus desiderijs anhelat, quid aliud, quàm vermem amat? Quæ sit carnis substantia, testantur sepulchra. Quis parentum, quis amicorum fidelium, quamlibet dilecti sui tangere carnem scaturientem vermibus potest? Caro itaque cùm concupiscitur, pensetur, quis sit exanimis, & intelligitur, quid amatur. Tollitur præterea omnis gula, & in cibo potuque omnis intemperantia. Bonum curandæ eius antidotum expertus erat Damocles, mortis scilicet timorem, quem illi

Hieron. Epist. ad Paulinum.

Iosue 13. ℣. 1.

Bernard. serm. ad Clericum. cap. 14.

Nyssen. Orat. 4.

Greg. 16 Moral. cap. 13.

Iob 24. ℣. 20.

Cicero Tuscul. 5.

illi afferebat gladius acutus, planè supra caput è lacunari setâ equinâ, iubente Dionysio Siciliæ tyranno, appensus & demissus. Hunc enim cùm cerneret, atque lethiferum vulnus in singula momenta à gladio infligendum expectaret, non est ausus manum porrigere in mensam conquisitissimis epulis instructam, & ante se, vt vesceretur, positam: hocque vnum, vt sibi quàm primùm abire liceret, orabat. Sit etiamnum aliquis, cuius ceruicibus falx mortis per recentem sui memoriam impendeat, placebitne isti inter patinas & pocula abdomini indulgere? Antiquorum Ægyptiorum ea de re sensus apparet, apud quos in more positum fuit, vt splendidorum conuiuiorum tempore, sculpta hominis mortui effigies ad mensam afferretur, & de manu in manum singulis conuiuis cùm tali alloquio traderetur: Hoc simulachrũ cernens, bibe & lætare: talis post mortem futurus. Sed quid multis opus, vbi diuinum illud oraculum, si alia deessent, sufficit: *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis?*

Herodot. lib. 2.

Eccles. 7. ℣. 40.

CAPVT QVARTVM.

Memoria extremi Iudicij pro putatione peccatorum Falx quarta.

FEliciter hâc etiam falce putari peccata, planè in ipso Sacræ scripturæ exordio docuit Moyses. Nam vbi vulgata versio Latina habet: *In principio creauit Deus cælum & terram,* ibi ipse scripsit: *In principio creauit Elohim cælum & terram.* Elohim autem sæpè significat Iudices vel Iudicem, vt in thesauro Hebraico Santes Pagninus exemplis ex eadem Scriptura desumptis ostendit. Neque verò sine causa, cum alia nomina Dei sup-

Genes. 1. ℣. 1

petierent

peterent, quæ Sanctus Hieronymus enumerat. hoc potiùs vsus est sacer Historicus. Nempe voluit extremi Iudicij memores reddere homines, & à peccatis deterrere: quòd quem nunc habent benignum Conditorem, eundem postea habituri sint seuerum Iudicem. Eandem doctrinam tradit S. Basilius: Si quando, inquit, te sensseris ad vnum aliquod cieri ac prosilire peccatum, ad mentem reuoca formidabile illud, nec vlli mortalium tolerabile Christi iudicium: in quo quidem præsidet in alto & sublimi throno. Astabit porrò omnis creatura prætrepida, & intremiscens ad ipsius glorioſum & illustrem aduentum. Eò singuli quique sistentur, de his examinandi, quæ quisque gessit in viuis.] Item S. Chrysostomus: Hoc Iudicium semper præ oculis habeamus: ita semper virtuti vacare poterimus. Nam sicut qui diei illius obliuiscitur, tanquam freno abiecto in præcipitium defertur (*inquinatæ enim sunt viæ illius in omni tempore.* & causam affert: *Auferentur iudicia tua à facie eius*) ita quem continuus hic percellit timor, modestè viuendi viam ingreditur.] Nunquid & illa antiqua pictura non idem docuit, Rhamnusiam effingens, in rota sedentem, & manu frenos tenentem? vtique innuebat, non posse faciliùs omnem licentiam inhiberi, si ad quidlibet audendum, quasi concitatis rotis per abrupta vitiorum ruat, frenosque prauis appetitionibus citiùs injici, si instar indomiti equi, quoquouersum excurrere attentent: quàm si diligenter animo perpendatur, fore aliquando tempus, quo Deus in omnia peccata sedulò inquirat, & de singulis iustam vindictam sumat.

Epist. 136. ad Marcellam.

Basil. in Psal. 32.

Chrysost. hom. 38. in cap. 5. Ioan.

Psalm. 9. ℣. 26. & 27.

Proinde omni curâ adnitendum est, ne etiam falx ista ab opere putationis peccatorum vacet. Quidquid enim circa tempus Iudicij extremi horribile fiet, id totum fiet, vt statim, atque ex sepulchris suis prodierint impij, peccatorum suorum pœnas luere incipiant.

An non horribiles erunt tenebræ, quæ vniuersum orbem terrarum operient: quando, vt Christus dixit: *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo?* Expendens illas Auctor Operis imperfecti in Matthæum sentit, quòd propter indignationem grauem, quam Sol & Luna contra homines tunc concipient, futurum sit, vt hæc duo luminaria magna, lucem suam illis denegent.

Matth. 24. ¥. 29.

Auctor. Op. imperfect. in Matth. cap. 24. ¥. 29.

Jndignabuntur enim, quòd homines tanti doni, quantum est lux, ingratissimi, auctorem & largitorem, eius in vita mortali multis & grauibus peccatis offendere, vsitatum & familiare sibi habuerint. Nimirum luce, vt annotauit Pererius, nihil est vel ad aspectum iucundius, vel ad hilarandos animos lætius, vel ad vsum commodius, vel ad effectum potentius & fœcundius, vel ad mundi decorem, & ornamentum pulchrius, vel ad percipiendam rerum omnium, præsertim autem cœlestium cognitionem aptius, vel denique ad exprimendas & repræsentandas res spirituales & Diuinas, accommodatius. Nec mirum, quod de Indignatione Solis & Lunæ auctor citatus sentit: siquidem ipse Deus, illo die iræ, & furoris, & indignationis, vt ab Isaia Propheta Dies Judicij extremi vocatur, futurus sit eadem indignatione plenus, & ad eandem omnes res creatas contra impios excitaturus. Nam, teste Sapiente: *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum, & pugnabit cum illo Orbis terrarum contra insensatos.*

Pererius in cap. 1. Genes. 1 ¥. 3.

Isaiæ 13. ¥. 9.

Sap. 5. ¥. 18. & seq.

An non & illa Tuba horribilis erit, cuius meminit Christus: *Et mittet Angelos suos cum tuba & voce magna.* Sanctus item Paulus: *Ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei, descendet de cœlo: Et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.* Tria hîc Apostolus nominat: *Iussum, Vocem, Tubam.* Iussu enim cœlestis Regis, inquit D. Ephræm, terra suos mortuos reddet, mare itidem

Matth. 24. ¥. 31. 1. Thess. 4. ¥. 15.

Ephræm. lib. de vera pœnit. cap. 4.

suos:

ſuos: quiquid item humanorum corporum vel beſtia rapuit, vel vorauit piſcis, auiſque diſcerpſit, in priorem ſtatum remeabit, omneſque in ictu oculi reſurgent, & ante Tribunal adſtabunt: ita vt ne vnus quidem capillus capitis deſit.] Vox etiam magna Archangeli, Michaëlis ſcilicet vel Gabrielis, alijs Angelis præcipiens, (vt ſanctus Chryſoſtomus ſcripſit) audietur: Facite, vt ſint omnes parati. Adeſt enim Iudex. Ad quam vocem Angeli, quorum cuſtodiæ, inquit S. Thomas, deputati erant homines, omnium mortuorum cineres colligent, & mox atque ex illis Deus corpora ſingulorum efformauerit, & in efformata rurſus animas introduxerit, ad locum iudicij vniuerſos deducent. Inſuper Tuba ingens vaſtum clangorem fundet, quem ita conſiderandum proponit S. Ephræm: Modo quidem ſæpè, cùm fit coruſcatio, & tonitrus vaſtior, omneſque ſui formidine terret, cunctiq; horrore perculſi ſolo procumbunt. Quomodo ergo ſuſtinebimus, cùm audierimus Tubæ vocem de cœlo, nimio cum metu reſonantem, omneſque à ſeculo defunctos, iuſtos & iniuſtos, bonos & malos, pios atque impios, excitantem?]

Chryſoſt. in cit: ad Theſſal.

Thom. Addit. Q. 76. art. 3. ad 2m.

Ephræm. loco cit.

Horrorem, quem afferet Tuba, augebit tempus nocturnum, quo & iſta clanget, & mortui reſurgent, iudiciumque ex ſententia aliquorum peragetur. Confirmat hanc ſententiam S. Thomas, tum quòd Reſurrectio Chriſti, exemplar ſit reſurrectionis noſtræ: Reſurrectio autem Chriſti facta eſt noctu, vt S. Gregorius affirmat: tum quòd aduentus Domini ad iudicium, comparetur à Chriſto aduentui furis, qui communiter noctu domos alienas intrat, & expilat. Ipſe tamen S. Thomas cenſet, tempus reſurrectionis, & iudicij certò ſciri non poſſe: probabile tamen eſſe, vtrumque in crepuſculo fore, ſole exiſtente in Oriente, & lunâ in Occidente: quia in tali, inquit, diſpoſitione Sol & Luna creduntur eſſe creata:

S. Thom. Q. 77. art. 3.

Greg. Hom. Paſch.

vt sic eorum circulatio compleatur, penitus perreditum ad idem punctum: vnde & de Christo dicitur, quòd tali hora resurrexit. Ita S. Thomas.

Vt vt fiet, nominata tuba horribilis erit, aureſque omnium grauissimè feriet, præcipuè verò improborum hominum, qui in hac mortali vita, ne audirent Prophe-

Orig. homil. 23. in Numer. ticas & Euangelicas tubas, de quibus agit Origenes, aures suas obstruebant. Si enim non obstruxissent, pec-

Ioſue. 6. *Auguſt. ſerm. 106. de temp.* cata eorum instar murorũ Iericho, corruissent. Accommodatè id dicitur ad illa S. Augustini verba: Iericho, Fratres, typum habet mundi huius. Sicut enim tunc canentibus tubis muri illi ceciderunt: ita & nunc oportet, vt ciuitas mundi, id est, Superbia cum suis turribus, Auaritiâ, Inuidiâ atque Luxuriâ, simul cum populis, id est, omnibus concupiscentijs malis, assiduâ Sacerdotum prædicatione destruatur atque dispereat. Non ergo oportet, vt Sacerdotes in Ecclesia taceant, sed audiant

Iſaiæ. 58. ℣. 1. Dominum dicentem: *Clama ne cesſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum.*]

Jam verò signum filij hominis, quod tunc in cælo, teste Christo, parebit, quantum horrorem toti humano generi afferet? Crucem per hoc signum, ex aëre vel nube formandam, & in alto cœlo, vt ab omnibus hominibus videri possit, collocandam, paucis exceptis omnes

Vualdenſis tom. 3. tit. 20. C. 158. auctores intelligunt. Imò Thomas Vualdensis probabiliter censet, illam eandem Crucem ligneam, in qua Christus mortem oppetijt, & quæ nunc in minimas particulas toto orbe diuisa est, Diuinâ potentiâ reparandam, & oculis hominum exponendam. Fauent huic sententiæ illi versus Sibyllæ: O lignum felix, in quo Deus ipse pependit. Nec te terra capit, sed cæli tecta videbis, cùm renouata Dei facies ignita micabit. Fauent quo-

Chryſoſt. t. 3 de Cruce & Latrone Hom. 2. que illa S. Chrysostomi verba: Crucem solam non reliquit in terra, sed secum eam leuauit ad cælum. Cum ipsa

veniet,

veniet, cum ipsa secundam suam glorioſam præſentiam faciet.] Fauent & rationes, propter quas idem S. Chryſoſtomus iudicat crucem apparituram: Scilicet, vt hi, qui eum crucifixerunt, ſuæ ſentiant dementiæ cæcitatem: deinde vt oſtendatur illum eundem eſſe Iudicem, qui fuerat crucifixus. Hæ enim rationes maius pondus habent, ſi illa ipſa Crux intelligatur, in qua Chriſtus eſt paſſus: ſicut & iſtæ à S. Thoma traditæ: vt per hoc iuſtior eorum condemnatio appareat, qui tantam miſericordiam neglexerunt, & eorum præcipuè, qui Chriſtum iniuſtè perſecuti ſunt: præterea vt ſignificetur iudiciariam poteſtatem per Crucem comparatam.

S. Thom. Addid. Q. 90. arti. 2. ad 2m.

Idem Matth. 24.

Qualiſcunque tandem Crux illa erit, immenſo terrore omnes percellet. Memoriâ noſtrates Poloni repetant, quod Martinus Cromerus refert, ante quadringentos propè annos, Dominante Boleſlao Pudico, ſexta die Decembris crepuſculo, nouum & inſignem ſplendorem, in figuram Crucis efformatum, ſupra Cracouiam Regni noſtri Metropolim apparuiſſe, & non modò vrbem, ſed omnem circumcirca regionem illuſtraſſe. Et hoc quidem oſtento, ſicut & alijs multis prodigijs, quæ per illud tempus contigerant, animos hominum valde fuiſſe perculſos, auctor nominatus explicat. At verò quis explicet, quantus timor percellet omnes filios Adam, cùm viderint, (verba ſunt D. Ephræm) pretioſam ac viuificam Crucem in cœlo lucentem, omneſque fines orbis terræ, vltra Solis claritatem illuſtrantem?] Potiſſimùm tamen percellentur inimici crucis Chriſti, à ſancto Paulo non ſine lacrymis commemorati: per quos ille, vt explicat aliqui, intelligebat Hæreticos, qui Chriſtum pro nobis verè crucifixum non fuiſſe aſſerebant. Iudaizantes item, qui à iugo Cæremoniarum antiquæ legis, omnes nos liberatos eſſe pernegabant. intelligebat & Chriſtianos malos, virtutibus in cruce à Chriſto com-

Cromer. lib. 9.

Ephræm. lib. de Ceræpœnit. cap. 4.

Philip 3. ℣. 18.

Anselmus. commendatis contrarios. Isti sunt (inquit S. Anselmus) inimici Crucis Christi, qui contra crucem semper faciunt. Cùm enim Crux Christi in omnibus electis carnem affligat, & crimina mortificet, illi è contrario carnem voluptatibus fouent, & vitia nutriunt: ideoque finis eorum, erit interitus perpetuus: quia propter solam fidem, quam sine bonis operibus habuerunt, non euadent tormenta æterna.]

Ex altera parte, exultabunt omnes amici Christi, quia suum Iudicem, quem, vitam mortalem agentes dilexerant, iam propè adesse videbunt. Pollicetur hoc illis D. Ephræm, dicens: Sancta Crux cum gloria ingenti, & Angelicorũ exercituũ infinita multitudine apparebit in cœlo, inimicos quidẽ terrens ac vexans, fideles autem illuminans atque lætificans, aduentũque cælestis Imperatoris annuntians.] Pollicetur & S. Hieronymus: Tunc tu, inquit, rusticanus & pauper exultabis & ridebis, & dices: Ecce crucifixus Deus meus; ecce Iudex, qui obuolutus pannis in præsepio vagijt. Hic est ille operarij & quæstuariæ filius: hic qui Matris gestatus sinu, hominem Deus fugit in Ægyptum: hic vestitus coccino: hic sentibus coronatus, &c.] Habebunt iusti & alios sui gaudij fontes. Nam vt nominatus D. Ephræm inquit: Angeli accedentes cum gaudio maguo ad Sanctos, enarrabunt eis conuersationem eorum immaculatam, continentiam, vigilias, orationes, voluntariam paupertatẽ, frugalitatem perfectam, patientiam sitis, tolerantiam famis, orationis instantiam, & omnia quæcunque propter Christi perfectam charitatem æquanimiter pertulerant. Deinde ipsa opera bona prodibunt in lucem, & obuersabuntur ante oculos iustorum.] Arbores (ait idem) fructiferæ, tempore suo primùm intrinsecùs concipiunt fructum: postea verò diuino nutu extrinsecùs proferunt, secundùm suam naturam, & fructum, & folia.

Ephrem. in lib. de vera pœnit. cap. 3.

Hieron. Epist. ad Heliodorum.

lia. Sic in die illa terribili, omnes homines quicunque in hoc seculo, quasi in tempore suo occultè intrinsecùs, siue bona siue mala gesserint, ibi quasi fructus proprios ante Tribunal Domini proferent. Tunc iusti bonos & iucundos proferent fructus: Sancti similiter fructus suauissimos, & omnibus gratiarum floribus exornatos: Martyres verò suppliciorum & pœnarum fructus patientiæ glorioſos: Monachi autem sanctæ conuersationis suæ, id est continentiæ, humilitatis, vigiliarum, orationum, atque obedientiæ, immarcescibiles proferent fructus.]

Verùm minutiora sint hæc, quàm vt audacter peccare assuefactis, terrorem inferre, & à delictis ad virtutes illos retrahere possint. Sed quanti momenti est, quòd talem iudicem omnes habituri simus? Olim Achitophel, cùm omnes machinationes suas, quas contra Regem Dauid impiè struxerat, detectas, & in nihilum redactas esse intellexisset, laqueo vitam finire, quàm coram Rege comparare maluit. Quis autem inueniatur, cui tolerabile videatur in conspectum supremi Iudicis venire, contra quem toties cum Dæmonibus & peccatis, se in hac vita conspirasse nouit? 2. R. 17. ℣. 23.

Iudicem hunc non alium fore, quàm Christum Dominum, satis est certum, secundùm illud eiusdem Christi dictum: *Neq; enim Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio*, & illud de eodem S. Petri: *Ipse est, qui constitutus est à Deo, Iudex viuorum & mortuorum.* Omnes quidem tres Personæ Diuinæ iudicabunt mundum, quia quidquid ad extra, vt Theologi loquuntur, circa res creatas operatur Deus, tota SS. Trinitas operatur. Inde natum inter eos axioma illud: Opera SS. Trinitatis, ad extra, sunt indiuisa. Quia tamen solus Dei Filius in corpore humano oculis omnium hominum videbitur, rectè ille solus iudicaturus dicitur. Ioan. 5. ℣. 22. 22. Act. 10. ℣. 42.

Scientiſ-

1. Reg. 2. ¥. 3. Scientissimus porrò is Iudex erit. Verè de illo mater Samuelis dixit. *Deus scientiarum Dominus est:* tum quæ in ipso reconduntur, vt errare & falli neutiquam possit: tum quæ ab ipso hominibus in hac vita concedun-

Bernard. serm. 13. in Cantico. tur, iuxta illud S. Bernardi: Origo fontium, & fluminum omnium mare est: Virtutum & scientiarum Dominus Iesus Christus. Si quis callet ingenio, si quis nitet eloquio, inde est, inde scientiæ, inde sapientiæ sermo.]

Erit & fortitudine tantâ, vt nullum timeat. Quis enim eum terreat, quo ad iudicium veniente, Magni illi Alexandri & Antiochi, Nerones, & Diocletiani, cæteriqúe similes, præ timore arescent? Suis verbis hoc pro-

Hieron. epist. 1. ad Heliodorum. ponat S. Hieronymus: Iudicaturo, inquit, Domino, lugubre mundus immugiet, tribus ad tribum pectora ferient: potentissimi quondam Reges nudo latere palpitabunt. Nec mirum. Videbunt enim cælestem Regem, ad alligandos reges in compedibus, & nobiles eorum in

Psalm. 149. ¥. 8. manicis ferreis potentem, vt ligatis manibus & pedibus, omnes in tenebras exteriores mittat.

Jdem quoque Iudex ad iudicij actum, nullum

Matth. 22. ¥. 12. 13. prauum affectum admiscebit. De Cleone refert Plutar-

Plutarch. de Ciuil. instit. chus, quòd ad gubernacula Reipublicæ admiss⁹, & Iudex creatus, conuocatis ad se cognatis, & amicis suis, omnes monuerit, ne quid committerent, quod cognationi & amicitiæ confidentes, facilè sibi condonandum crederent. Potiùs scirent, pares se cum alijs, legi & iudicio, daturos pœnas, si quando cum illis pares culpas contraxerint. Faceſſat Cleon: Christus est, qui iudicij die de omnibus cuiuscunque conditionis hominibus, secundùm omnem æquitatis regulam decernet, nihilque secùs, quàm Diuinæ iustitiæ ratio postulauerit, pro tota æ-

Isaiæ. 11. ¥. 3. 4. ternitate statuet. Hoc sonat illa vox Isaiæ: *Non secundùm visionem oculorum iudicabit, neque secundùm auditum aurium*

arguet:

arguet: sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ.

Postremò sedens iudicabit is Iudex. Nam ipsemet de se ipso ita inquit: *Cùm autem venerit Filius hominis, in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.* Matth. 25. ℣. 31. Propheta etiam Daniel à longè apparatum extremi Iudicij prospectans scripsit: *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit.* Daniel. 7. ℣. 9.

Quid verò mysterij latet, quòd Christus iudicium sit peracturus sedens? Hoc procul dubio, quòd illud non obiter & leuiter, sed seriò & accuratè sit peracturus. Sedemus enim, inquit Franciscus Ribera, cùm aliquid seriò & adhibitâ curâ facere volumus. Idem notat Euthymius, adducens illud Psalmi: *Et in cathedra pestilentiæ non sedit*, & illud: *Sedens aduersùm fratrem tuum loquebaris, & aduersùs filium matris tuæ, ponebas scandalum.* Diligentiam hanc venturi iudicis, in iudicandis hominibus, ita S. Bernardus memorat: Tu qui aduentum desideras Saluatoris, time scrutinium iudicis; time oculos capreæ, time illum, qui per Prophetam dicit: *Et erit in die illa, & ego scrutabor Ierusalem in lucernis.* Acuto visu est, nihil inscrutatum relinquet visus eius. Scrutabitur renes & corda, ipsaque cogitatio hominis confitebitur illi. Quid tutum in Babylone, si Ierusalem manet scrutinium?] Ribera. in 3. Malach. Nt 8. Euthymius. Bernard. in Cantic. serm. 55. Sophon. 1. ℣. 12. Psal. 7. ℣. 10. 75. ℣. 11.

Magni quoque momenti rebus, hoc etiam annumerandum, quòd mox atque sederit Iudex, aperiendi sint libri: sic enim paulò ante citatus Propheta ait: *Iudicium sedit, & libri aperti sunt.* S. quoque Euangelista Ioannes in Apocalypsi narrat: *Vidi mortuos magnos & pusillos, stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est vitæ: & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundùm opera ipsorum.* Quid nomine librorum intelligi debeat, docet S. Ambrosius: Qui libri, Apocal. 20 ℣. 12. Ambr. in Psalm. 1.

bri, inquit, aperti, nisi conscientiæ nostræ, velut libri peccatorum nostrorum seriem continentes, non vtique atramento scripti, sed vestigijs delictorum & flagitiorum inquinamento.] Conscientias ergo hominum, per libros intelligendos esse affirmat S. Ambrosius, sicut & S. Hieronymus, & D. Ephræm, cuius verba sunt: Magn⁹ in illa hora pauor erit, grandis tremor, cùm libri illi formidabiles aperientur, in quibus scripta sunt opera nostra, & actus, & verba, & quæcunque egimus in hac vita, putantes latere Deum, qui scrutatur renes & corda. Illic enim non solùm actus, verùm & cogitationes, & intentiones cordis scriptæ erunt.]

Hieron: in locum Danielis citatum. Ephræm.

Hoc porrò totum, quod de libris seu conscientijs hominum, in iudicio aperiendis affertur, in eo situm erit, quia quilibet homo omnes suas totius vitæ cogitationes, omnia item verba sua & opera videbit: Videbunt & alij omnes homines: vt nihil omninò sit, quod singuli, tàm in propria quàm in aliorum omnium conscientia, per reuelationem virtutemque Diuinam clarè & distinctè non videant.

S. Thomas addit: Q. 87. art 2.

Quod si quis quærat, cur tanta conscientiarum manifestatio sit futura? Respondet S. Thomas, vt, quando tot myriades hominum ad æterna supplicia damnabuntur, nulla ne tenuissima quidem de iniustitia Dei suspicio, locum habere possit. Cognitis enim tot, & tam enormibus damnandorum peccatis, totus conclamabit mundus: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Posset etiam responderi, ideo illam fore, vt per eam peccatores puniantur. Existimetnè peccator exiguum hoc fore tormentum suum, quando omnia sua, æquè magna ac parua peccata, coram toto mundo detegentur? Grauiter extimuerat Dauid, cùm post commissum adulterium, dici sibi à Deo per Prophetam Nathan audiuisset: *Tu enim fecisti absconditè: ego autem faciam verbum*

2. Reg. 12. ℣. 12.

bum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu solis. Quidni extimescat turpissimorum peccatorum maculis notatissimus peccator, si consideret omnia sua peccata, omnibus in iudicio manifestanda? Hoc tormenti genere suos auditores terrebat, & à peccatis abstrahebat sanctus Chrysostomus, vnumquemque illorum alloquens: Pensa, quòd si cuius ex vobis, factum occultum in medium hodie coram sola produceretur Ecclesia: quomodo non perire, & sibi terram hiscere precaretur, potiùs quàm tot malitiæ testes habere? Quid tunc ergo patiemur, cùm in medium coram mundo cuncta promentur, in theatro tam claro & iusto, & nobis notis & incognitis omnia spectantibus?] *Chrysost. hom. 48. ad popul.*

Et sanè non inefficaci modo ad deterrendos à peccatis auditores suos vsus fuit S. Chrysostomus. Prodidit memoriæ Plutarchus, Milesias olim virgines mirabili quodam morbo & immani furore correptas fuisse, vt passim se ipsas strangularent, & neq; parentum lacrymis, neque amicorum monitis auocari ab hoc malo possent. Iamque permultæ hoc mortis genere perierant, cùm spectatæ prudentiæ inuentus est vir, qui ad populum rogatione perlatâ decreuit, vt virginum, quæ sibi ipsis mortem conscisuissent, nuda cadauera per medium forum efferrentur. Ea res Virginum superstitum furorem, non modò minuit, verùm etiam prorsus sustulit. Tantum effecit apud illas ignominiæ metus, vt, ne eam post mortem paterentur, manus sibi violentas inferre non auderent: In animis autem Christianorum nihil idem efficiat, vt peccatis abstineant, qui in iudicio extremo turpitudinem peccatorum suorum, omnibus ostendendam, & seipsos denudandos sciant? De his quoque per Prophetam Nahum, à Deo dictum putemus: *Reuelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam nuditatem tuam gentibus, & regnis ignominiam tuam.* *Plutarchus de mulierum virtutibus.* *Nahum. 3. v. 5.*

Tandem quod omnia alia horroris magnitudine ſuperabit, erit illud tonitruum ſermonis, quo Chriſtus ex alto throno ſuperiùs commemorato, homines impios coarguet. Quibus autem verbis hoc ille perficiet, quis hominum dicat? Sanctus Auguſtinus ſic eum loquentem introducit: Ego te ô homo, de limo manib⁹ meis feci: ego terrenis artubus infudi ſpiritum: ego tibi imaginem ſimilitudinemque noſtram conferre dignatus ſum, &c. Irridentium palmas, & ſputa ſuſcepi, acetum cum felle bibi: flagellis cæſus, vepribus coronatus, cruci affixus, vulnere perfoſſus, vt tu eripereris morti, animam in tormentis dimiſi. En clauorum veſtigia, quibus affixus pependi. En perfoſſum vulneribus latus. Suſcepi dolores tuos, vt tibi gloriam darem: Suſcepi mortem tuam, vt in æternum viueres. Conditus iacui in ſepulchro, vt tu regnares in cælo. Cur, quod pro te pertuli, perdidiſti? Cur ingrate redemptionis tuæ munera renuiſti? Cur habitaculum, quod mihi in te ſacraueram, ſordibus polluiſti? Cur corpus meum illecebrarum turpitudine maculaſti? Cur me grauiore criminum cruce, quàm illâ, in qua aliquando pependeram, affixiſti? Et quia poſt omnia mala tua, ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluiſti, ab auditu malo non mereberis liberari.]

Auguſt ſermone 67. de Temp.

His vel ſimilibus verbis prolatis Chriſtus, vltimam ſententiam contra improbos feret: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius.* Quantus hîc rurſus omnibus illis oborietur fletus? quàm acerbus animi ſenſus occupabit omnes, quotquot à regno cæleſti talis ſententia excludet? Certè ſanctus Chryſoſtomus hanc excluſionem gehennâ intolerabiliorem vocat: Intolerabilis gehenna, inquit, fateor & multùm intolerabilis: tamen intolerabilior hæc regni amiſſio: hoc cogitate. & paulò poſt: Cogitemus quantâ

Matth. 25. ℣. 41.

Chryſoſt. 1. hom. 48. ad popul. Antioch.

priuamur

priuamur gloriâ, cùm liceat non priuari. Hoc enim graue est, quòd cùm Domini simus, ne hoc patiamur, patimur] Notemus S. viri verba. Commodam olim occasionem, facilè capiendi vrbem Romam, cùm neglexisset Annibal, postea verò vt eam caperet, omne studium adhibuisset, sed nihil effecisset, illacrymasse dicitur, & grauiter ingemiscendo dixisse: Cùm potui, non habui voluntatem; & quando volui, non habui potestatem capiendi Romam. Illum enim Annibalem videtur commemorare S. Chrysostomus, & eius exemplo ostendere, ingentem cordis dolorem habituros impios, quòd per omnem æternitatem tormenta sint passuri, cùm licuerit non pati. Proinde quemlibet illorum cum magno planctu dicturum: Cùm potui, non habui voluntatem; & quando volui, non habui potestatem capiendi cœlum.

Nos ne serò sapiamus, tempestiuè nostris rationibus consulamus, & saluberrimo S. Gregorij monito pareamus: Illum, inquit, diem, scilicet iudicij, fratres carissimi, totâ intentione cogitate, vitam corrigite, mores mutate, mala tentantia resistendo vincite, perpetrata autem fletibus punite. Aduentum namque æterni iudicis tantò securiores quandoque videbitis, quantò nunc districtionem illius timendo præuenitis.] *S. Gregorius Homil. 1. in Euang.*

INDEX
Materiarum pro Concionibus.

Dominica I. Aduentus.

1. *Erunt signa in sole & luna, Lucæ 21.* Extremi enim Iudicij tempõre sol & luna suum lumen hominibus denegabuut, propter indignationem, quòd auctorem eius offenderent. Pag. *554.* & luci, tenebras animæ præferrent. *306.* & sequent.
2. *Arescentibus hominibus præ timore.* Multa enim tunc erunt maximi horroris plena. *564.* An non &c.
3. *Videbunt filium hominis venientem.* Solus filius hominis, id est Christus, visibiliter iudicaturus veniet. *559.* Qualis hic Iudex erit. *560.*
4. *Leuate capita vestra &c.* Iusti tempore iudicij exultabunt. *558.*

Dominica II. Aduentus.

1. *Cum audisset Ioannes in vinculis Matth. 11.* Variarum tribulationum vincula, etiam iusti, qualis fuit S. Ioannes patiuntur. *187.* & sequent.
2. *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Solus Christus verè fuit is, quem totus mundus expectabat. *19.* & sequent.
3. *Cæci vident, claudi ambulant.* Miracula, quæ operabatur Christus, testabantur, quòd is esset, qui promittebatur venturus. *74.* Iuuabat illa in testando, tanta Christi sanctitas. ibidem.
4. *Hominem mollibus vestitum.* Mollities vestium, quam homines quærunt, est quarta rota currus, quo vehitur Luxuria. *362.* Potiùs & salubriùs quærerent vestem, quali Adamum iuxta S. Damascenum induerat Deus. *293.* & sequent.

Dominica III.

1. *Tu quis es. Ioannis 1.* Communiter, quia non nos ipsos, qui simus, sed alios, qui & quid sint, interrogamus: ideò nos ipsos cum ma

gn

gno nostro damno non nouimus. 260. & sequent.
2. Cur plerumque alij benè nos, quales simus, nôrint, rationes reddantur. 264. & sequent.

Dominica IV.

1. *Factum est verbum Domini super Ioannem in deserto. Lucæ 3.* In deserto & solitudine mentis, multa bona communicat hominibus Deus. 491. & sequent.
2. *Prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum.* Per pœnitentiam remittuntur peccata. 164. & sequent. pag. 531. & seq.
3. *Rectas facite semitas eius.* Rectitudine operum, cordis, & animæ, oblectatur Christus, quia ipse est perfectissima rectitudo, eamque vt imitentur homines requirit. 56. & sequent. Vide etiam pag. 292. Contra Dæmon. obliqua quæque & distorta amat. 296. & sequent. Hominesque docet, non rectè, sed in orbem ferri. 311. sicut & ipsemet fertur, ibidem.

Die Natali Christi.

Jnuitantur hoc die Christiani omnes, illis verbis Cantic. 3. ℣. 11. *Egredimini & videte filiæ Sion, Regem Salomonem, &c.* Christus enim est, de quo hæc sunt primario dicta, & quem adumbrauit Salomon. 133. & sequent.

Dominica infra Octauam Natiuitatis.

1. *Non discedebat de Templo. Lucæ 2.* Prudens Anna Prophetissa, quæ tàm libenter morabatur in templo. In templo enim morari, est sedere in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. 498. & sequent.
2. *Jeiunijs & obsecrationibus seruiens.* Prudens & ideò, quòd ieiunijs vacârit. Ieiunia enim ad tollenda peccata plurimùm possunt. 476. & sequent.
3. Jtem quòd vacârit obsecrationibus. Obsecrationum enim, seu orationum plurimi sunt fructus. 436. & sequent.

In

In Epiphania Domini.

Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? Matth. 2. Christus natus Rex appellatur. Ab instanti enim Incarnationis suæ fuit semper Rex, & pluribus quidem nobilisimisque titulis. *31.* & sequent.

Dominica infra octauam Epiphaniæ.

1. *Ascendentibus illis secundùm consuetudinem diei festi. Lucæ 2.* Dies festi quomodo debeant peragi. *500.* & sequent.
2. *Inuenerunt eum in Templo.* Christus æterna & infinita sapientia inuentus in templo audiens & interrogans Doctores, sicque dans illustre exemplum hominibus, discendi ea, quæ nesciunt, & quæ scire necessariò debent. *390.* & sequent.
3. *Fili quid feciſti nobis sic?* Christum rectè vocat Virgo sanctissima Filium. Fuit enim SS. Virgo, vera & naturalis Mater Christi. *129.* & sequent.

In Octaua Epiphaniæ.

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ioan. 1. Multa sunt in his verbis consideratione dignissima. *76.* & sequent.

Dominica II. post Epiphaniam.

1. *Cum multiplex sit vinum*; quod Christus protulit, & dedit mundo scilicet vinum gratiæ, vinum doctrinæ, vinum sanguinis in Cruce effusi, vinum Eucharisticum, postremò vinum in Cana Galilææ ex aqua factum: de quocunque horum concionator dicere voluerit ad populum, vberem materiam inueniet. pag. *2.* & sequentibus.
2. *Vocatus est autem & Iesus, & Discipuli eius ad nuptias.* Regnat ebrietas vbi Dei præsentia abest. *379.* & sequent.
3. *Cùm inebriati fuerint.* Alia est ebrietas peccatis, præsertim Gulæ deditorum, alia Sanctorum. De illa *374.* & sequent. de hac pag. *2.* & sequent.

Dominica III. post Epiphaniam.

Domine si vis, potes me mundare. Matth. 8. Magnam fidem ambo, leprosus & Centurio habuerunt, ideò facilé quod volebant, impetrârunt. *443.* & sequent.

Dominica IV.

Domine salua nos, perimus. Matth: 8 Discipulos suos fluctibus iactari permisit Christus, vt tentationes quaslibet ferre discerent. pag. *433.* & sequent. & in eis ad orationem recurrere assuescerent. pag. *435.* & sequent.

Dominica V.

1. *Super seminauit zizania,* id est peccata. Cur peccata vocentur zizania. *306.* & sequent.
2. Cur Diabolus vocetur inimicus homo, & quàm inimicè peccata seminet. *312.* & sequent.
3. Cur illa tam diligenter seminet. *327.* & sequent.

Pro pluribus Concionibus alia themata suggerere, & de singulis dicendi materiam suppeditare possunt illa duo capita, secundum, & tertium partis quartæ.

Dominica in Septuagesima.

1. Ecclesia Christi cum vinea comparatur. *153.* & sequent.
2. Quàm præstans vinea sit, Ecclesia Christi. *160.* & sequent.

Dominica in Sexagesima.

Venit Diabolus & tollit verbum de corde eorum. Lucæ 8. Mox, vt in cor hominis bonum semen verbi Dei iniectum, viderit Diabolus, accurrit, vt illud tollat: ne vnquam bonos fructus afferat homo, sed semper pessimos, imperfectos, putidos, scilicet peccata, quæ his nominibus vocantur. *176.* & sequent. pag. *179.* & sequent.

2. *Quod autem in ſpinas cecidit.* Scriptura ſacra peccata frequenter vocat ſpinas, plures autem ob cauſas vocat. *176.* & ſequent. Quibus adde, quòd ſicut ſpinæ, ita & peccata, quibus quis aſſueuit, non permittant, vt inter illa verbum Dei auditum fructus ſuos edat.

Dominica in Quinquageſima.

1. *Conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas, de Filio hominis. Lucæ 18.* Chriſtus frequenter appellabat ſe filium hominis. Cur? Rationes redduntur. *528.*
2. *Reſpicc.* Promptiſſimus Chriſtus ad dandnm, quod ab eo petitur. *450.* & ſequent.

Die Cinerum.

Faciem tuam laua. Matth. 6. Conſcientia humana ſolet vocari facies propter aliquot rationes. *227.* Hæc ergo facies, ſemper quidem, potiſſimùm tamen initiò Quadrageſimæ, per Sacramentalem confeſſionem lauari debet, vt libera ſit ab omnibus maculis, præcipuè verò ab hypocriſi & vana gloria.

Dominica I. in Quadrageſima.

1. *Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à Diabolo. Matth. 4.* Chriſtus permiſit ſe tentari, quomodo nos tentari nolimus? *433.* & ſequent.
2. *Cumq; ieiunaſſet.* Ad ſuperanda peccata, & ſanandam animam plurimùm conducere ieiunium. *176.* & ſequent.
3. *Dic vt lapides iſti panes fiant.* Gulâ ſæpè Diabolus homines tentat, & vincit. *375.* & ſequent.
4. *Supra pinnaculum templi &c.* Sæpè etiam tentat Superbiâ. *439.* & ſequent.
5. *Hæc omnia tibi dabo* Sæpè Auaritiâ. *353.* & ſequent.
6. *Reliquit eum Diabolus.* Duos peccatorum auctores potentiſſimos ieiunium ſuperat. *480.* & ſequent.
7. Quadrageſima Chriſtianorum cum antiquo Expiationis die conferrur, imò illi præfertur. *485.* & ſequent.

Dominica II.

1. *Ipsum audite. Matth. 17.* Christus audiendus, & vt Filius Dei dilectus. *135.* & vt talis magister. *67.* & sequent.

Dominica III.

1. *Erat Iesus eijciens Dæmonium. Lucæ 11.* Quandoquidem Diabolus in Deum ipsum sæuire non potest, sæuit interdum in eius imaginem, scilicet in hominem, corpus eius misere vexando, multumque cruciando. *327.* & sequent.

2. *Et illud erat mutum.* Sæpè silentium oris est bonum, & animæ salubre, à Deoque petendum: sæpè etiam est malum & noxium, ac proinde fugiendum. *412.* & sequent.

3. *Vadit & assumit, &c.* Quomodo & cur Diabolus vadat & redeat. *315.* & sequent.

4. *Beatus venter qui te portauit.* Virginis Sanctissimæ venter siue vterus, qui Christum portauit, beatus fuit. *101.* & sequent. Adde illud ex Chrysostomo. pag. *107.*

Dominica IV.

Fugit iterum in montem Ioan. 6. Fugiendo in montem Christus, ne Rex fieret, præclara documenta hominibus dedit. *33.* & sequent.

Dominica de Passione.

Quis ex vobis arguet me de peccato. Ioan. 8. Christus nullum vnquam etiam minimum peccatum commisit. Idque fusè demonstratur in secunda huius operis parte, toto capite tertio, quarto, quinto, sexto. Poterit autem, cuius est ad populum verba facere, hæc tam amplè proposita, in sermones non paucos pro suo arbitratu partiri.

Dominica Palmarum.

1. Post aliquot dies sciens se moriturum Christus, lætum triumphum agit. Non sic impij non sic, qui appropinquante ad eos morte,

te, turbantur toti, & mærore tabescunt. *539.* Nec mirum, si dispa-
rem vitam, mors sequatur dispar.

2. *Hosanna in altissimis. Matth 21.* Saluari cupiebant, qui sic Christo cum triumpho ad vrbem Ierusalem aduentanti acclamabant. Nam verbũ Hosannase cundũm interpretes multos, significat salua nunc vel salua obsecro. Vt autem facilius impetrent quod cupiunt, altitudinem Dei prædicant quintuplicem. *125.*

Die Cœnæ Domini.

1. Eucharistiæ Sacramentum non prius sumendum, quàm peccata per confessionem tollantur. *504.* & sequent.
2. Ad demonstrandum idem, aptè explicatur illud ex Prouerbijs desumptum. *Quando sederis &c. 506.* & sequent.
3. Eodem pertinent illa verba S. Pauli: Probet autem se ipsum homo. *509.* & sequent.
4. Pertinent etiam quæ attuli de vino Eucharistico. *15.* & sequent.
5. Et de vino Gratiæ. pag. *2.* sequent.

In Parasceue.

1. Christum tribus modis in Passionem æternus Pater tradidit. *39.* & sequent.
2. Eius Passio, fuit vera passio. *44.*
3. Christi innocentissimi flagellatio atrox. Flagellatus potuit dicere Congregata sunt super me flagella, & ignoraui. *42.* & sequent.
4. Christus omnia tormenta, quæ passus est, præcipuè verò quinque sua vulnera, potuit vocare sagittam, & dicere: Violenta sagitta mea absque vllo peccato. *45.* & sequent.
5. Christi in cruce patientis graues circumstantiæ sex. *81.*
6. Christi mors certo modo considerata, Deo Patri, nos reconciliauit. *24.* & sequent.
7. Christum in cruce mortuum innocentia sua amabilem reddidit. *83.* & sequent.

Die Resurrectionis Christi.

Christus & viuens, & moriens, & resurgens, fuit speculum. Quia verò

verò alia sunt specula plana, alia cóncaua, alia conuexa: Christus viuens & docens, fuit speculum planum: moriens fuit speculum concauum: resurgens conuexum. 247. & sequentibus.

Dominica I. post Pascha.

1. *Cum fores essent clausæ, venit Iesus. Ioan. 20.* Visitare suos per gratiam consueuit Christus, quando omnes, potentiarum animæ & cordis portæ clauduntur, & custodes ad eas adhibentur. 401. & sequentibus.
2. *Vbi erant Discipuli congregati, &c.* Vbi cor & sensus tàm interni quàm externi, non permittunt se claudi & congregari, sed quoquouersum liberè vagari & dispergi, omnibus licet, ibi hominum pernicies certa. 406. & sequentibus.
3. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Christus Sacramentum Pœnitentiæ instituit, & in eo ipse primariò peccata remittit. Sacerdotes vt ministri eius idem præstant, 530. & 532. lege & paginam 501.

Dominica II.

1. *Ego sum Pastor bonus. Ioan. 10.* Bonus pastor sui ipsius non potest esse, qui se ipsum non nouit. 260. & sequent. Vnde autem proueniat hoc malum, quòd rarus sit, qui se ipsum nôrit, traditur ibidem, & sequent.
2. *Animam meam pono pro ouibus meis.* Vide quæ annotata in Parasceue.

Dominica III.

1. *Modicum & iam non videbitis me. Ioan. 16.* Quilibet homo alios quoslibet homines his verbis alloqui potest. Nempe vita humana est breuissima. 541. & sequentibus.
2. *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Tristitia ob commissa peccata vertetur in gaudium. De hac tristitia. 486. & sequent. item 511.

Dominica V.

Petite & accipietis. Ioan. 16. Ad orationem cur Christus inuitet. cap. 11. Partis quartæ. à pag. 429.

Domi-

Dominica infra Octauam Ascensionis.

1. *Omnis qui interficit vos. Ioan. 15.* De persecutionibus iustorum. *187.* & sequentibus.
2. *Quia non nouerunt Patrem, neque me.* Ignorantia etiam grauissimorum peccatorum causa & origo. *386.* & sequentibus.

Dominica Pentecostes.

1. *Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. Ioannis 14.* Duo de Diabolo dicit Christus. *Primò.* quod sit princeps mundi. *Secundò.* quòd in ipso, nihil habeat. De primo pag. *49.* & sequentibus. De secundo pag. *34.* & sequentibus, etiam capitibus integris.
2. *Paraclitus autem Spiritus sanctus, &c. ille vos docebit omnia.* Apostolos ad capienda mysteria fidei, & intelligendas doctrinas Christi, aptos, & idoneos fecit Spiritus sanctus. *9.* & sequenti.

Dominica I. post Pentecosten.

Dimittite & dimittemini. Lucæ 6. Multa & non leuia debita sunt, quæ & à Deo & ab hominibus dimitti nobis volumus. *209.* & sequent. Quomodo ergo & nos alijs hominib⁹ sua debita non dimittamus?

Dominica II. post Pentecosten.

Homo quidam fecit cœnã magnam. Luc. 14. Magna cœna Eucharistia cœna, à Christo facta. In ea proponitur præstantissimus panis. *509.* & seq: Vinum item præstantissimum *15.* & sequent.

Dominica III. post Pentecosten.

1. *Erant appropinquantes ad Iesum publicani & peccatores. Lucæ 15.* Meritò. Christus enim fuit Dux viatorum *54.* & sequent. fuit & regula omnium virtutum actionumque humanarum. *56.* & sequentibus fuit denique Magister, Medicus, &c. *66.* & sequentibus.
2. Gaudium erit in cœlo. pag. *534.*

Domi-

Dominica IV. post Pentecosten.

1. *Cùm turbæ irruerent in Iesum, vt audirent verbum Dei. Lucæ 5.* Auidissimi verbi Diuini fuerunt hi homines, qui vt illud audirent, maximo numero in Christum irruebant. Cur & modo non inueniatur eadem auiditas? *390.* & sequentibus.

2. Cùm S. Petrus tot pisces cepisset, nullus ex socijs inuentus, qui ei inuideret, imò in extrahendis illis fideliter illum omnes, qui erant in alia naui, adiuuerunt. Nimirum inuidiâ non laborabant, de qua *331.* & sequent. *371.* & sequent.

3. *Homo peccator sum.* Vox fuit S. Petri. Eadem potest esse omnium hominum. *195.* & sequentibus, etiam integris capitibus aliquot.

Dominica V.

Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Matth. 5. De ira & eius filiabus. *364.* & sequentibus.

Dominica VIII.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Lucæ 16. Ne faciant homines, quod Christus iubet, sæpè auaritia persuadet. *357.* & sequentibus.

Dominica IX.

Circumdabunt te inimici tui vallo. Lucæ 19. Bella & Vrbium excidia, aliæque plagæ, propter peccata permittuntur à Deo. *375.* & sequen.

Dominica X.

Non sum sicut cæteri hominum. Lucæ 18. Grauiter superbia Pharisæo nocuit, & etiamnum alijs plurimùm nocet. *349.* & sequentibus.

Dominica XI.

Suspiciens in cælum ingemuit. Marc. 7. Ex sex ceremonijs, quibus vsus est Christus: sanando surdum & mutum, hæc fuit quinta, quòd ingemuerit, ingemuit autem, quia sciebat homines passim his sensibus abuti, & perniciem sibi per illos struere, quos tamen omnes habere integros appetunt. *408.*

Domi-

Dominica XII.

1. *Diliges Dominum Deum &c. Lucæ 10.* de hac dilectione *285.* & sequent. item *455.* & sequent.
2. *Homo quidam descendebat, &c.* Primus homo Adam, per hunc hominem descendentem ab Ierusalem in Iericho, ritè descriptus. *294.* & sequentibus.

Dominica XIII.

1. *Ite & ostendite vos sacerdotibus. Lucæ 17.* Per leprosos benè intelliguntur peccatores, qui vt mundentur, ad Sacerdotes meritò remittuntur, Sacerdotes enim nouæ legis, verè peccata remittunt. pag. *501. 530.* & *532.* Recurre ad Dominicam 1. post Pascha.
2. *Nonne decem mundati sunt?* Qualis sit hæc commemoratio beneficij leprosis dati. Equidem improperatio illa non est, quam S. Iacobus in Deo non inueniri testatur. *453.*

Dominica XV.

Adolescens tibi dico surge. Lucæ 7. Per tres mortuos ad vitam reuocatos, quid indicarit Christus. *471.* & sequentibus.

Dominica XVII. *vide* Dominicam XII.

Dominica XVIII.

1. *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris. Matth. 6.* Custodiendum cor, ne ad illud aditum habeant cogitationes malæ. *401.* & sequen.
2. *Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.* Semper Christus hanc potestatem habuit & etiamnum habet. *78.* & seq.

Dominica XIX.

Vidit non vestitum veste nuptiali. Matth. 22. Vestis nuptialis est Charitas. Illa vitam bonam conciliat: illa pulchritudinem animæ confert. *455.* & sequentibus.

Dominica XX.

1. *Abÿt ad eum, &c. Ioan. 4.* Omnes communiter tàm pauperes quàm diuites, in curandis rebus ad corpus pertinentibus, ſolent eſſe naui, diligentes, prompti: at verò in his quæ ad animam ſpectant, ſolent eſſe ignaui, negligentes, tardi: qualis etiam fuit is Regulus. *381.* & ſequentibus.

Chriſtus plus dabat quàm ab eo homines peterent. *448.* & ſequen.

Dominica XXI. *vide* Dom. I. poſt Pente.

Dominica XXII.

Magiſter ſcimus quia verax es. Matth. 22 Quòd Chriſtus fuerit Magiſter verax. *71.* De alijs eiuſdem Magiſtri ornamentis. *67.* & ſequent.

Dominica XXIII.

Filia mea modo defuncta eſt. Matthæi 9. Statim vt anima per peccatum mortua fuerit, quomodo ad vitam reuocetur, curandum. *467.* & ſequentibus.

Et ecce mulier quæ ſanguinis fluxum patiebatur, &c. Anima peccatis ſcatens cum hac muliere conferri poteſt. Peccata enim in ſacris literis vocantur ſanguis. *337.* & ſequentibus.

Et cùm eiecta eſſet turba. In quiete, vita animæ facilè reſtituitur. *497.* & ſequentibus.

Dominica XXIV.

Vltimâ Dominicâ dicendorum materiam ſuppeditabit totum caput quartum partis ſextæ, ſiue totius huius Operis caput vltimum.

Pro diebus Sanctissimæ Virginis.

In Conceptione B. M. V.

Peccatum Originale in sua Conceptione non contraxit Virgo Sanctissima. *113. 125.* & sequentibus. Tali autem immunitate ab hoc & ab omni alio peccato opus fuit Virgini Sanctissimæ, quæ Filij Dei Mater futura erat. *141.* & sequentibus.

In Natiuitate.

1. Nubecula parua, indicium fuit Eliæ, quòd mox ingens pluuia futura esset. *3. Reg:. 18. ỳ. 44.* Parua similiter & leuis nubecula fuit Virgo Sanctissima die natali suo, vt eam Propheta Isaias cap. 19. versu 1. vocauit. At magna eam subsecuta est pluuia beneficiorum, quæ humano generi præstitit Deus. *120.* & sequentibus.
2. Verè totus mundus in maligno positus fuit. Hoc ille vt cognosceret, opus habuit speculo. *253.* & sequentibus.
3. Cum in illo paradiso ab initio mundi plantato nihil fuerit, quod & pulchrum visu, & ad vescendum suaue non esset, rectè cum illo Beatissima Virgo confertur. *110.* & sequentibus.

In Annuntiatione.

Odores virtutum Sanctissimæ Virginis, attraxerunt in vterum eius Dei Filium, vt ipsa indicat illis verbis. Cantic. 1. *ỳ.* 12. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. 88.* & sequentibus.

In Visitatione.

Benedictus fructus ventris tui. His verbis Beata Elizabeth vsa est à Sanctissima Virgine visitata. Tam de fructu quàm de ventre, seu de vtero Deiparæ. *100.* & sequentibus.

In Purificatione.

Magnum ornamentum templo illi Hierosolymitano ab Herode structo accesserat, quando in illo Virgo Deipara vitis lectissima comparuit. Jta enim illa vocauit se apud Ecclesiasticum cap. 24. ℣. 3. Habuit quidem templum illud pretiosam vitem, de qua gloriabatur pag. *105.* & sequentibus. Sed longè pretiosior vitis fuit Deipara. *105.* & *106* Neque verò sola dicta vitis in templo illo comparuit, sed simul fructum seu botrum suum attulit, eumque Deo Patri obtulit. *98.* & sequentibus. Quid vnquam tali oblatione Deo Patri fuit gratiùs?

In Assumptione.

E terra in cœlum cum transferretur Deipara, meritò illi verba illa Judith. cap. 13. ℣. 20. congruebant: *Viuit autem ipse Dominus, quoniam custodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem, & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari.* 127. Nam vt nullo vnquam peccato coinquinaretur Virgo Sanctissima, semper erat Hortus conclusus, pagina *115.* & sequentibus.

Legatur etiam pagina *122.* & sequentes.

JNDEX
Rerum & Verborum
Notatu digniorum.

A.

Abraham cum filio magnorum mysteriorum figura 332.
Absolon grauiter obiurgat peccatum in alio, simile grauius in seipso non videt 265.
Abusus Dei fauoris, vertitur nobis in vsum vltionis 276.
Academia Hierosolymitana, vocabatur Templum 396.
In ea Christus inter Doctores inuentus ibid.
Ordo in ea sedentium Doctorum, & discipulorum 397.
Academia Cracouiensis à quo condita ibid.
Vide Scholæ.
Acedia quid sit? 381. & seq.
Cur supra testudinem pingatur. ibid.
Similis pisci torpedini 384.
Comparatur item bestiæ à Daniele visæ ibid. & seq.
Ex acedia quæ peccata oriantur? 385.
Acedios dicti Beta semicocta 383.
Accusatio non valet nisi crimen probetur 40.
Adam in primo suæ creationis puncto quantis donis à Deo locupletatus 291.
Quo sensu factus sit Rectus ibid.
Quomodo ad imaginem Dei creatus, & virtute vestitus 293.
Deus fuit illi domus, hospes, indumentum ibid.
Nisi peccasset, sine corporis morte transijsset in cœlum 296.
Adam peccans per descendentem ab Ierusalem in Iericho descriptus 293.
Item per Chennetum Regem ibid.
In peccatum prolapsus propter ingratitudinem suam 454
Adolescentia maximè ad malum proclivis 301.
Eiusdem imago 302.
Aetas tenera à vitijs seuerè arcenda 304.
Non est à tentationibus libera 387.
Aeternum sæpè id, quod est antiquissimum, significat 20 & 11.
Aethiops pellem mutat ad speculum Scripturæ S. 245.
Aethiopum esca qualis? 171.
Amicitia in ære incidenda, inimicitiæ in aqua scribendæ 366.
Amicos muneribus parandos docuit Dionisyus

nissus tyrannus 357.
Aminadab, primus rubrum mare diuisum ingressus, iuxta Lyranum 54.
Amnistia commendata 366.
Amor proprius excæcat, ne seipsos homines nos sant 262. & seq.
Idem Naturæ tenebras auget 520.
Amore proprio captus Vespertilioni similis 262.
Item similis Harpastæ cæcæ 263.
In Sphæra solu dormire & latere 264.
Andreas de Bnin Opalinski, Episc. Posnaniensis Hæreticos Ministros cremari iubet 157.
Angeli quo momento creati, eodem gratiam Dei habuerunt 147.
Angeli custodes sunt sepes vineæ Christi, siue Ecclesiæ 163.
Sunt & castra ibid.
Qui ex Angelis Abrahamo apparuerunt, cùm tres vidisset, & vnum adorasset 124.
Angeli noctis quinam sint, ex Ambr. 295.
Angeli fauent conscientiam suam examinantibus 523.
Altare maculosos in corpore non admittit 148.
Anima hortus conclusus 117.
Animarum penna & alæ 122.
Animarum specula aliquot 243. & *sequentibus.*
Animam stare rectam, & incuruari transeuntibus quid sit, quantum probrum hoc sit 297.
Animas suas quidam vendunt, quidam perdunt, quidam oppignerant, quidam pro nihilo dant 355.
Animæ prudentis imago pulcherrima 384.
Anima à Deo quæ pingitur? 405.
Animalia ferocia ingenio humano familiaria reddita 415.
Annibal omissam à se occasionem capiendi Romam deflet 565.
Antichristus blasphemus 129.
Antonius nunquam visus vnde agnoscebatur? 218.
Apollodorus terribilia somnians 278.
Apostoli ad omnia mysteria capienda facti à Spiritu sancto aptissimi 9.
Fuerunt oculi Christi 29
Etiam dentes 30.
Sapphiru cur similes? 73.
Etiam ipsi peccabant, & orabant: Dimitte nobis debita nostra 221.
Cur alijs Sanctis præferantur ibid. & seq.
Apparitiones, Visiones, & Reuelationes ante Christi aduentum fiebant per Angelos 124.
Arbores quædam notandæ 193.
Arbor Indica ex ramis suis porticum facit longissimam 337.
Areopagitarum iudicia exactissima 235.
Vbi, & quibus diebus celebrata 237.
Aspendius citharista sibi canens, sibi placens 262.
Aspis domita, ad mensam domitoris quotidie venit 415.
Aspidis caput fugere, quid sit? 172.
Eius venenum dulce sed lethiferum 171.
Auaritia peccatorum radix, 353. & seq.
Similis dipsadi 49.
Est laqueus Diaboli 355.
Crudeliter punita in nonnullis Regibus 358.
Auarus animam suam venalem habet 355.
Auari cor simile ardenti Ætnæ ibid.

Auari quomodo in vita sua proïjciunt intima sua 357.
Auarorum emblema Gryphes ibid.
Auaro coram Iudice Christo comparere grauissimum ibid.
Anarus Iudas stultissimus negotiator 356.
Augustini mira conuersio 168 & 246.
Aurelianus Sapori Regi, equum conscendenti pro scabello 297
Auro pro vita non parcendum 358.

B.

Baiazetes Turcarum Imperator victus, probrosè tractatus 297.
Baptismi locus, victoriæ gloriosæ locus 325.
Est item locus, in quo multa Deo promisimus 326.
Basiliſci cum pastore pugna mirabilis 200.
Basiliscus obiectu speculorum interficitur 253.
Beatitudinis æternæ descriptio 333. & seq.
Eius recordatio est cuneus carnalia desideria excludens 402.
Beatitudo est dies non indigens lucernâ doctrinæ 394.
Bellum aggressuris conscientia per Sacramentalem confessionem expianda 278.
Belli impendentis hieroglyphicum 48.
Bellum contra omnia peccata, à sagitta Christi indictum ibid.
Bella sunt peccatorum supplicia 277.
Bella, pestem, & similia propulsandi modus 279.
Benedictio in Scriptura multipliciter accipitur 452
Beneficium dantis & ascipientis lex 453.
Bezoar vnde nascatur? 165.
Boleslaus Poloniæ Princeps in lamina aurea Patris sui effigiem gestabat 404.
Beleslaus Pudicus ieiuniorum tenax 489.
Boleslai Criuousti victoriæ 234.
Eius conscientiæ vis ibid & 278.
Bona opera, per quæ Deo satisfacimus 212.

C.

Cæcus est, qui non videt, quod fuit, quod est, quod erit. 307. & seq.
Cæcitatis mentis quanta sit pœna ibid. & 520.
Cæca fœmina vide Harpaste.
Cain à Lamech occisus iuxta traditionem Hebræorum 180.
Eius peccata septem 261.
Post peccatum iubetur quiescere 490.
Calani Sophistæ mors delira 96.
Cantica quædam memoranda 350.
Carceres, ex quibus Christus genus humanum eduxit 230
Carcer lex vetus 24.
Carcer idololatria ibid.
Caro nostra quàm hostiliter & fraudulenter nobiscum procedat 480. & seq.
Eius gladius Concupiscentia ibid.
Milites eiusdem 481. & seq.
Locus pugnæ eius, locus Sirenum ibid.
Carnem in pugna adiuuat Diabolus 482.
Casimirus Primus Poloniæ Rex, acceptæ iniuriæ oblitionem indicit 366.
Ceruorum lachrymæ medicinales 165.
Charitas perfectionis fastigium. 285.
Charitas perfectio duplex. 287. & seq.

Omnia

Omnia pereunt nisi Charitate vinciantur. 285.
Charitatis Diuinæ venenum cupiditas. 288.
Eiusdem acquirendæ modus. ibid.
Charitatis violentia. 250.
A Charitate Dei vulnus gloriosum. 47.
Charitas vitam bonum conciliat oranti 455. & sequentibus.
Confert animæ pulchritudinē 456. & seq.
Charontica porta olim quæ fuit 174.
Chænetus Rex iaculis è pomo prosilientibus confossus 295.
Christus ab vnctione sic dictus 19.
Qualis hæc Vnctio? 20.
Christus expectatio gentium, & desiderium collium æternorum ibid.
Christum ipsa honestas concepisse & peperisse videtur 104.
Christi anima ab ipsa statim creatione sua, clarissimè Deum intuebatur 59.
Christus vt ex Virgine nasceretur, decebat 105.
Christi Corpus momento efformatum 109.
Oculi eius venustissimi 28.
Christus simul fuit Viator & Comprehensor 53.
Christi officium erga homines triplex, Magistri, Medici & Redemptoris 66. & sequentibus.
Christi Schola noua quæ? quid docebat 69. & sequentibus.
Christi doctrinæ veritas certa 71.
Christi quod docuit ore, declarauit opere 68.
Christum fuisse Doctorem è cœlo missum, comprobatum est miraculis 74.
Christus Regula virtutum & actionum humanarum perfectissima 56.
Christus omnia ad vtilitatem nostram retulit 100.
Similis Pelicano 13.
Christus quomodo vitis vera 12.
Vinum gratiæ protulit 2.
Est vitis inuitans ad spem fructuum 19.
Est vitis theriaca 15.
Christum adumbrauit vitis à pincerna Pharaonis visa 22.
Item vitis de qua egit S. Patriarcha Iacob 25.
Item illa vitis repudians Regnum 30.
Christus quàm meritò appelletur Fructus 100.
Vt Deus & Homo, est Fructus Benedictus.
Benedictus in odore, in sapore, in specie 103.
Christus est fructus honoris & honestatis ib.
Christus est diuitiarum fructus 105.
Christus est pretiosissimus thesaurus 107.
Christus frater noster factus, non timet habere cohærdes 529.
Christi Sanctitas figuris adumbrata 34.
Christus omnes Sanctos antecellit sanctitate 36.
Est Sanctitas Sanctitatum ibid.
Christus ad tollenda peccata maximè idoneus 76. & sequentibus.
Agni nomen obtinuit propter plures causas 76.
Cur etiam dicatur Agnus Dei. 77.
Qua ratione non nouit peccatum 38. & sequentibus. & 44.
Quomodo pro nobis factus peccatum 38.
Ne minimi quidem peccati vnquam conuictus 40.
Eius innocentiam aduersarij multi testati sunt 41.
Christi gratia quomodo infinita 102.
Christus semper Rex 31. & seq.
Principatus eius super humerum eius quis? 32.

Decli-

Declinans Regnum terrenum quid docuit 33.
Christus per assumptionem naturæ humanæ est Rex 137.
Est etiam Rex per passionem. ibid.
Coronatq. in die desponsationis quomodo? 138.
Christus coronatus triumphat dum peccator conuertitur 534.
Christus per Salomonem adumbratus 133.
Christi diadema natura humana 136.
Christus est animæ speculum 247. & seq.
Prodit deformitates nostras 252.
Christus similis speculo plano, concauo, & conuexo 249. & seq.
Christus cur se Filium Hominis vocaret 528. & sequentibus.
Christi Societas quid requirat 53.
Christum in Passionem tribus modis Pater tradidit 39.
Christi passio fuit vera passio 44.
Passionis circumstantiæ sex graues 81.
Christus quàm pretiosus vili pretio venditus 356.
Christus quando mortuus, indulgentiam prædicauit captiuis 80.
Christum in Cruce mortuum innocentia amabilem fecit 83.
Christi mors quomodo considerata, genus humanum Deo reconciliauit 24.
Christus quomodo ad vitem alligauit pullum & asinam 27.
Quomodo in vino lauit stolam & pallium ibid.
Quomodo vnctus oleo lætitiæ 52.
Ob vitæ innocentiam & sanctitatem ad dexteram Dei exaltatus ibid.
Christi Diuinitas tribus modis probatur 251.
Christiano contra omnia peccata pugnandum 48.
Christianus & Iudaicus populus pulcherrimè designatur per exploratores terræ promissæ 99.
Christiani cur palmites vocentur 151. & seqentibus.
Etiam vites vocari possunt 153.
Circuli duo sanguinei à S. Aygulpho picti 340.
Ciuitatem ingressus ad tria PPP. attendebat Carolus Magnus 399.
Cœli pulchritudo 143.
Cogitationes cur capillis assimilentur 199.
Cogitationes turpes patiens, quid sibi dicere debeat. 402.
Cogitatio praua vide Cupiditates.
Cognitio sui rara, & cur? 260. & seq.
Præstat omnibus scientijs ibid.
Ex defectu eius quæ mala nascantur 261.
Cur nos alij melius noscant, quam nos nosmetipsos 264. & seq.
Columbæ candidæ pro pulchrioribus semper habitæ 28.
Eas à tecto arcere Syris nefas fuit ibid.
Confessio peccatorum in antiqua lege qualis fuit 501.
Festis diebus maximè fieri debet 502.
Militibus ante pugnam necessaria 278.
Conscientia quid sit, & quomodo appelletur à Doctoribus 231.
Cur vocetur facies 228. & seq.
Eius lauandæ modus ibid.
Conscientia (vt & facies corporis) prodit peccata 230 & seq.
Conscientia est sufficiens magister: eadem pictor 232.
Eadem magnus animæ cruciatus 180.
Omnium fortissima meritò dicenda 234.
Conscientia Ethnicis habita pro Deo 240.

Conſcientiæ Tribunal 234. & ſeq.
Eſt in iudicando liberrimum 237.
Conſcientia ipſamet iudex, accuſator, teſtis 238. & ſequentibus.
Conſcientiæ examen quantum conducat, & quid requirat 519. & ſeq. fusè.
Eidem fauent Angeli 523.
Quò quis ſanctior, eò in conſcientia examinanda ſolet eſſe diligentior 524.
Conſcientiam examinantium ex lege veteri exempla ibid.
Conſcientiæ examen etiam Ethnicis vſitatum 526. & ſequ.
Conſcientiæ in extremo iudicio aperientur 562.
Conſuetudo peccandi difficillimè tollitur 467.
Conſuetudo praua, benè peſtilentia vocatur 468.
Quantorum malorum cauſa? 469.
Eſt immane mortis genus 471.
Conuerſi ad Deum in triplici differentia 282. & ſeq.
Eorum munia diuerſa ibid.
Conuiuia ſine culpa celebrari vix poſſunt 377.
In conuiuijs gula triumphat 378.
Conuiuiorum putei ſunt magna pocula ibid.
Conuiuarum habendus delectus 380.
Conuiuari coram Domino *quid ſit* 379.
In conuiuijs, præſentia Octauij Cæſaris quid præſtabat 381.
Cor diligentiſſimè cuſtodiendum 401.
Ad Portas eius qui cuſtodes ſtatuendi 402. & ſeq.
Cor eſt quidam ſpeculator 400.
Eſt & Pictor ibid.
Cor & gallum vna eademq; vox Hebræis ſignificat 399.
Cor mundum quomodo conſeruetur 403.
Cor ſuum negligenter cuſtodientis typus 406.
Cor humanum quàm ſit vagum 407.
Eiuſdem incommoda ibid.
Cor malum durum 410.
Eſt latronum ſpelunca ibid.
Eſt ſimile inferno 411.
Cor bonum altare thymiamatis ibid.
Cordis dolore ob peccata concepto delectatur Deus 486.
Cor prauum non poteſt collineari Deo 59.
Cor improborum peſſimas cogitationes generat 170.
Cor auari Ætna 355.
Cor Apollodori quid aliquando cum coqueretur clamauerit 278.
Correctio aliena moleſtè ferri non debet 266.
Corripiendus qui corripi non vult ibid.
Corrigi nolle maius vitium quam malum eſſe ibid.
Corrigi cupientium preclara exempla 265.
Corona pœnitentiæ ſpecioſa 200.
Corona defendens paſtorem contra Baſiliſcum 201.
Corona vitæ & mortis quæ? 434.
Coronatus Scipio triumphat 535.
Cornu pro fortitudine vſurpatur 331.
Crimen quod obijcitur, probari debet 40
Crux in tumulo poſita infelicem deſignabat mortem 83.
Crucis morte nulla magis ignominioſa 81.
Crucem nominare horror fuit Iudæis ibid.
Crucis mortem etiam Ethnici horrebant 82.
Culpæ debet reſpondere pœna 215.
Quare productior pœna æterna

quàm

quàm culpa 215.
Cupiditates malæ nascentes sunt paruuli
Babyloniæ allidendi ad petram 464.
Sunt caput serpentis conterendum 465.
Sunt paruulæ vulpeculæ capiendæ ibid.
Curiositas commune vitium 264.
Facit vt nos alij cognoscant ibid.
Curiosa proponentem ad speculum duxit Zeno 242.
Curiosi in alienis Lamijs similes 266.
Etiam similes oculis propriis ibid.
Curiosus omnium inimicus 41.
Cyrus Rex oblectabatur fructu arborum à se consitarum 175.

D.

Daniel quinque Regum institutor, detescere contempsit 309.
Orationis studiosissimus 440.
Dauid Rex quomodo insipiens factus per peccatum 164.
Idem peccatum suum non videns contra alienum exardescit 265.
De quibus sanguinibus liberari se rogat 338.
Non vlciscens iniuriam cùm posset, factus est victima, Sacerdos & altare 367.
Tribus auibus se comparat 493.
Debitis multis oneratus quòd dormire potuerit miratur Augustus 217.
Debitorum nomine sæpè vocantur peccata 203. & 209.
Desperatio est res pernitiosa 472.
Deus antequam cælum & terram creasset vbi habitarit 142.
Deum antiqui Philosophi quomodo desiniebant 204.
Dei quintuplex altitudo 125.
Deus immortalis per naturam 207. & seq.
Deus solus omnibus desiderijs sufficit 61.
Dei imago & similitudo in iustis 204. & seq.
A Deo clarè viso non potest voluntas humana resilire 60.
Dei perfecta opera 18.
Dei manus tornatiles: & circuli, ibid.
Dei manuum opera præcipuè sunt homines sancti 308.
Dei manus adiutrix nulli peccatori deest 200.
Dei manus confirmata, plagarum frequentiam & assiduitatem significat 271.
Dei manus digiti 272.
Dei manus percutiens, simul ad amorem sui excitat ibid.
Eadem armata terribilis 273.
Dei manus in puniendo sunt longæ, graues, & celeres ibid. & seq.
Dei liberalitas 445. & 447. & seq. fusè.
Deus molestè fert, si non petatur quidquam ab eo 447.
Item si minùs petatur, quàm sit paratus dare ibid.
Non patitur se vinci liberalitate 453.
Deus ex facie conscientiæ omnes nouit 229.
Deus scientiarum ibid.
Deus odit curiosos 71.
Deus desiderat vineæ suæ fructus 174.
Diligenter notat peccata hominum 218.
Etiam ponderat 219.
Deicidium quomodo sint peccata 207. & seq.
Deus propter peccata varias plagas immittit 267. & fusè seq.
Deus quæ permittit, operari dicitur 310.
Dicere Deum peccare, aut posse peccare grandis est insania 63.
Deus nullum filium excipit à flagello 188.

Deus quomodo odio haberi possit, cum sit summa Bonitas 327. & seq.
Deus verax, & non gloria mortium 446.
Deos peccator tot habet quot peccata 505.
Diabolus princeps mundi cur appellatus 49.
Eius sedes & domicilium improbus homo 50.
Cum eo omne genus inimicitiarum suscipiendum 113.
Diabolus qualem cudit pecuniam, & quibus eam tradit 219.
Exactor cur dicatur? 220. *Cur Leo?* 315.
Cur Draco? 347. *Cur Homicida?* 348.
Cur Homo 312.
Eiusdem varia cognomina 316.
Quo probro afficit animam sibi incuruatam 297.
Eius viæ circuitio & circumuentio 312.
Quatuor modi quibus Diabolus circuit 315. & seq.
Mallet perire quam homini nõ nocere 313.
Eiusdem voluntas obstinata in malo ibid.
Non cogendo sed suadendo nocet 314.
Terram comedit cùm peccatores deuorat 315.
Non est directè causa omnium peccatorum 323.
Certũ vitijs certi præsunt Dæmones 316.
Singulis hominibus singuli destinati 324.
Diabolus cur intermittat aliquando tentare 317.
Conquirit varios modos tentandi 318.
Eius hamus, rete, sagena ibid. & seq.
Diaboli tria potissima retia 409.
Non fatigatur, nec facilè cessat tentare 319. & 323.
Quare tam studiosè peccata hominum procurat 327. & fusè seq.
Quos maximè quærit? 320.
Imitatur piratas quomodo? ibid.
Seminat zizania vbi bonum semen tritici videt ibid.
Seminat noctu, & grassatur 321.
Vitia pro virtutibus obtrudit ibid.
Diaboli continuò spirant Dei & hominis odium 327. & seq.
Diaboli inuidia, fortiter peccata hominum procurat 330.
Diabolus multa inuidet homini: & quid potissimum? 332. & seq.
Procurat vt multos pœnarum socios habeat 334. & seq.
Eius hostilitas à S. Bernardo descripta 432. & seq.
Glorioßissima ex eo victoria 325.
Similis Pharaoni, à cultu Dei diebus festis auocat 103.
Diaboli plurimi in aëre relicti, post iudicij diem in inferno claudendi 373.
Dilectio Dei & proximi pennatam faciunt animam 122.
Dionysius tyrannus, tenacitatem seu auaritiam quomodo reprehendit in filio 357.
Dipsas Serpens qualis? 302.
Ditiores magis alienum quàm suum panem manducant 471.
Similes idolo Melchom ibid.
Splendidiùs habitare consueuerunt 141.
Diuinatio per Sagittas 269. & seq.
Diuitiæ contemptæ. Vide Daniel.
Doctores Ecclesiæ dentes Christi 30.
Eorum elogia 227.
Doctrina sine virtute similis Viæ literis 75.
Domitianus se Deum appellari iussit 530.
Dracones aliquot horrendæ magnitudinis 347.

E.

EBrietas Sanctorum quadruplex 2.
Effectus eiusdem 3. 14. 16.
Ebrietas est inferni puteus 378.
In quali mari ebriosos mergit 379.
Exemplum lepidum de ebriosis in mari se naufragari existimantibus ibid.
Ebrij sunt Acephali ibid.
Ebrioſi Philoxeni sectatores 378.
Ebrios ad speculum remittebat Plato 242.
Ebrietas Reges dedecet 376.
Ecclesia quomodo fundata in sapphiris 73.
Eius figura Mons Sion 131. & seq.
Ecclesia Christi vinea 161. & seq.
Eius sepes lex noua, protectio Diuina, & Angelorum custodia 162.
Eius torcular Sacramentum pœnitentiæ 164.
Eiusdem turris S. Scriptura 166.
Efflorescit dum persecutionem patitur 153. & sequentibus.
Ecclesiæ vulpes noxiæ Hæretici 155.
Ecclesiæ salutatio pulchra ex D. Ambr. ibid.
Ecclesia est Hortus conclusus 116.
Extra eam nemo quidquam vitâ æternâ dignum operari potest 159.
Eleemosyna commendata 453.
Elephanti ad pugnam exacuuntur vino 14.
Elephantis Pompeius loco equorum vsus 415.
Episcopi Poloni in propulsandis Hæreticis vigilantissimi 157.
Erubescentia bona & mala 197. & seq.
Eucharistiæ Sacramentum cur in supplicationibus publicis exponatur 454.
Eucharistia sumenda post profligatos hostes animæ 504.
Quomodo sit Manna absconditum 505.
Accipienda lotis vestibus, & cum cultro in gutture fixo, in quo sensu? 506. & sequentibus præsertim 509.
Deus in ea absconditus 507.
Fides ad eam maximè necessaria: illustratur ritu Æthiopum, & antiquorum Christianorum picturâ 508.
Probatio & præparatio ante suscipiendam qualis requiratur 509. & sequentibus 513. 517.
Panibus Propositionis quomodo adumbrata 511.
Est panis pinguis & præbens delitias Regibus 512. & seq.
Est Panis Angelicus 516.
Est carbo ignitus 513. Itemq; botrus Copher. ibid.
Continet illustres omnipotentiæ & charitatis Diuinæ effectus ibid. & seq.
Castra hostium subuertit: & quoru 515.

F.

FAcierum similitudo admiranda 230.
Facies prodit peccata ibid. & seq.
Facies peccatorum a cõscientia pingitur 232.
Fames siccitas & similia mala ex peccato prodeunt 277.
Famis propulsandæ ritus apud antiquos Græcos 279.
Festi dies cur instituti? 500.
Quomodo colendi? 502.
Cur appellentur afflictio animæ? 500.
Quietem animi conciliant 498.
Confessiones peccatorum in illis faciendæ 500. & seq.
Festus dies Flagellationis apud Lacedæmonios 188.
In Nephalijs & Melissondijs vinum attin-

attingere nefas fuit 526.
Festi & fausti dies qui sint? 503.
Festiuitas Dei & Angelorum maxima, peccatorum conuersio 534.
Ficus veneno illita à Liuia 173.
Fides bonorum operum fundamentum 446.
Fidei mysteria obscura 74.
Filius Dei naturam humanam cur à sancto Paulo apprehendisse dicatur 333.
Filios suos Deus flagellat 188. & *seq.*
Filijs parentes notas inurebant 189.
Flagellatio hominis improbi horrenda 191.
Flagellationis festum apud Lacedæmonios quale 188.
Flagellatio Christi atrox 42.
Vulnerum ex flagellatione à Christo acceptorum numerus 43.
Flagellatores Christi quot fuerint? ibid.
Fortunam comitatur inuidia 330.
Francisci Regis Galliæ manus perforata quo sensu? 452.
Fructus operum nostrorum, non sint labruscæ aut spinæ &c. 184.
Fructus laborum suorum vnum quemq; oblectat 175.
Fulmen apud Æthiopes non auditur 332.

G.

Galaad Mons Medicinarum 199.
Gilimer Rex Vandalorum victus quomodo sortem suam deplorat 308.
Gladium Legatus Pontificius ante Dei thronum confringere visus 275.
Gratiæ veteris legis Christus auctor 4.
Gratiæ in noua lege abundantior ibid.
Gratia Dei & peccatum graue simul consistere non possunt 7.
Gratiæ Dei cooperandum 473.
Gratia à Deo datur proportionata ad quod quòd eligitur 221.
Gryphes auri nimiùm amantes 357.
Gula quid? 374.
Gulam peccatorum esse feracem ostendit S. Scriptura & Patres 375. & *seq.*
Gula triumphat vbi multi conuiuæ 377.
Similiter vbi poculis certatur. 378.
Item vbi abest memoria Dei 179. & *seq.*
Gulæ profligandæ efficacissimus modus 381.
Gulæ mancipium Philoxenus 374.
Gula quibus virtutibus aduersetur 375.
Gygis annulus quis fuit 176.
Gygmnasium vide *Schola & Academia.*

H.

Halcyon auis descripta 496.
Harpaste cæca lepidè delirans 263.
Hæretici blasphemi Antichristi prodromi 129.
Passionem Christi exhonorant 161.
Doctrinæ suæ vitâ contradicunt 223.
Lamijs & Struthioni similes ibid.
Hæreseos mater superbia 352.
Heliogabalus quàm stultè procurabat, vt mortem suam redderet pretiosam 85.
Henrici Principis in bello Religio 278.
Herodis arrogantia in vsurpato sibi Dei nomine 530.
Homo propriè quis? 191. 256. & *seq.*
Hominis appellatione priuantur peccatores 257.
Homo quomodo Rectus à Deo creatus 291.
Posterior pecoribus & bestijs bestialior quando? 261.
Homo multis calamitatibus subiectus 268.
Multis item tentationibus 433. & *seq.*
Homo quòd rationis expers nascatur, est naturæ stratagema 268.
Hominum vnusquisq; ad malum proclivis 300. 304. & *seq.*

Homo etiam post peccatũ est imago Dei 329.
Homo malus est Diaboli sedes 50.
Homines Sancti sunt specula 256. & *seq.*
Homines in cœlum sanctitas effert 122.
Homo quò magis ad cœlum tendit, eò acriùs à Diabolo impugnatur 190.
Hominum error grauis, existimantium opera sua Deo esse accepta, cùm illi maxima displiceant 184.
Hominis cor suum negligenter custodientu imago 406.
Homo semper inuenit in anima, quod amputet 462.
Homines qui nam seipsos deserunt? 473.
Hominum secularium vita est mare 497.
Homicidium linguâ sæpè committitur 348.
Horti conclusi appellatio diuersis accommodata 116.
Eius sera & claustra quæ? ibid. & *seq.*
Hosius Cardinalis ex moribus futurũ Hæreticum agnoscit 352.
Eiusdem ieiunia obseruantis præclarum de ieiunio pronunciatum 490.
Hostis insultans morte acerbior 85.
Hostes vilissimi peccatis Christianorum redduntur fortiores 277.
Per Pœnitentiam sternuntur mirabiliter ibid.
Hostis etiã minimus contemni non debet 325.
Humilitas est nardus odorũ gratissimi 94.
Hypanis fluuius dulcis 173.
Hypocrytæ similes Lamijs 223.
Item Ægyptiorum templis 229.

I.

Ieiunium in antiqua lege quàm solemne & exactum 475.
Expiandis peccatis aptissimùm ibid. & *sequentibus fusè.*
Cœpit esse cum homine condito ibid.
Ieiunium sanctificare quid sit? 477. & *seq.*
Ieiunium verum per opera pia demonstrandum 478.
Ieiunium est medicina peccata sanans, & à multis præseruans 479.
Expugnat hostes maximos, Carnem & Diabolum 483. & *seq.*
De Ieiunio similitudo S. Augustini pulcherrima 484.
Ieiunium Christus præmisit pugnaturus cum Diabolo ibid.
Ad aspectum hominis ieiunantis Diabolus fugit 485.
Ieiunium extra ordinarios motus in cippo claudit 483.
Ieiunium Poloni obseruabant religiosè 489.
vide *Quadragesima.*
Ierusalem in latere vno descripta 190.
S. Ignatij Fund. Soc. Iesv, *sanctitas etiam in vultu apparebat* 229.
Eum lectio vitæ Christi & Sanctorum ad sanctiorem vitam pertraxit 259.
Ignis Græcus quis sit? 372.
Ignorantia est causa plurimorum peccatorum 386. & *seq.*
Nata ex peccato primi parentis 390.
Ignorantiam suam pauci nôrunt ibid.
Ignorantiam tria potissimùm fouent 391.
Ignorantiæ voces: Neſciui. Non audiui. Non intellexi 398.
Imago Christi crucifixi cum gladio in Polonia visa, portendebat ingentia mala Europæ 274.
Imagines dictæ Sileni *quænam?* 229.
Impius homo est Diaboli sedes 50.
Eius cogitationes, verba & opera amarissima 170.

Impij dum cadunt retrorsum cadunt 197. *& sequentibus.*
Interdum in vita à Dæmonibus flagellantur 191.
Incarnationem Filij Dei hominibus inuidet Dæmon 332.
Indignatio in quo consistat? 368.
Quomodo sedanda? 369.
Infans in vterum matris regressus ibid.
Inferni lemma: Ingressus & non egressus 298.
Inferni pœna ex damnatorum consortio 336.
Innocens nemo infamiâ, quamuis ignominiosam mortem obeat 84.
Inimici quomodo res nostras scrutentur 41.
Inuidia radix omnium malorum 374.
Inuidia describitur; & multa de ea scitu digna 331. *& seq.* 371. *& seq.*
Inuidia sequitur prosperitatem 330.
Ærugini & Viperæ comparatur 372.
Similiũ item noctuæ, & igni Græco ibid.
Magũ vrit quam ignis 373.
Ab inuidia quinam liberi? 332.
Inuidus vitia proximi diuulgat, bonisq; eius torquetur 372.
Vultures & muscas imitatur ibid.
Proximi bona deprauat, minuit &c. 373.
Inuidi pro nihilo animam dant Diabolo 356.
Ioannes Columbinus lectâ S. Mariæ Ægyptiacæ vitâ conuertitur 259.
Ionas grauat nauem peccato inobedientiæ 120.
In periculo dormiens, quomodo peccatorem exprimat 217.
Irâ gignendis peccatis apta, & grauis passio 364. *&* 371.
Ira L. Syllam enecauit 369.
Iracundi gratis offerunt animam Dæmoni 356.
Sunt stolidè ingenijs & Camelo similes 365.
Proponitur eis imitandus Ioseph. ibid.
Eorum clamor qualis? 369.
Iracundus ad blasphemiam facilè 370.
Iracundo salubre monitum ex Plutarcho 369.
Irati vt speculum inspiciant monebat Plato 242.
Iratus Semei quinque vulnera Dauidi lingua sua inflixit 370.
Iratus M. Alexander tres amicos necat 371.
Iudæ auaritia incredibilis 356.
Iudæi per Cham impudentem figurati 161.
Iudiciorum apud Hebræos plura genera 228.
In iudicijs quid spectandum? 235. *& seq.*
Iudicium statuæ sine manibus apud Thebanos 236.
Iudices munerum voratores, & potatores ibid.
Iudicibus vinum dari prohibetur ibid.
Iudicij extremi recordatio à peccatis deterret 553.
Iudicij horrorem augebunt tenebræ 554
Augebit & tuba ibid.
Et vox excitans homines & aduocans ad iudicium 555.
Et tempus nocturnum & Crux 556.
Tunc iusti exultabunt 558.
Iudex visibilis erit Christus 559.
Iudicabit sedens 561.
In Iudicio libri conscientiarum aperientur ibid.
Cur 562.
Iudicij ad damnandos sermo 564.
In eosdem sententia vltima ibid.
Iustitia multiplex 186.
Iustitia Originalis in quo consistat 191.

Ad iustitiam Dei magis pertinet peccata punire, quàm merita remunerari 216.
Iustus accipitur pro sancto 186.
Iusti in varias tribulationes incidunt 187.
Cur vocentur fasciculus viuentium ibid.
In tribulationibus iustorum quinque notanda 188. & seq.
Iusti cadentes in tribulationes, quomodo resurgant 192. & seq.
Quomodo in eisdem florent & fortiores fiunt 193. & seq.
In eisdem gratias agunt ibid.
Iusti quomodo cadant in peccata & resurgant 187. & 195. & seq. *fusè*
Deo illos erigenti parent 199.
Iusti ad cognoscendum Deum lumen præbent 204.
Idem sunt imagines Dei viuæ. ibid. & seq.
Sunt & peculium Dei 205.
Sunt & thesaurus dilectus ibid.
Iusti propriè Homines dicuntur 256. & seq.
Iustini Martyris conuersio, ex lectione Prophetarum 246.
Iuuentus vide *Adolescentia* & 387.

L.

Laboribus nostris quæ comparantur, illa magis nobis placent 175.
Lacrymæ sunt officina medicinalis peccatorum, & Bezoar 165.
Lazarum cur sibi mitti ad infernum postulauit Dives 335.
Lectio sacræ Scripturæ commendatur 245.
Quibus ad conuersionem profuit? ibid. & seq. & 159.
Lescus Niger Poloniæ Princeps milites suos contra hostem Confessione & S. Communione præparat 278.
Lex noua abundantiorem habet gratiam quàm vetus 4. *Lex vetus carcer* 24.
Lex ignea in manu Christi quæ? 163.
Legis obseruatio vitam confert 162.
Legis violatio mortem generat ibid.
Leges suas è cœlo allatas Ethnici affirmabant ibid.
Liber pulsatus ab Alfonso Rege 185.
Liberalitas Alexandri Seueri 447.
Item Alexandri Magni 445. & 448.
Lingua parua, operatur maxima mala 412. & sequent. & 420.
Linguæ & oris custodia multis rebus præferenda 413.
Quinam eius custodes ibid. & seq.
Linguæ & oris ostium partim aperiendum, partim claudendum 415. & seq.
Quæ clauis ad hoc ostium aperiendū 421.
Quis item ianitor ibid.
Linguam gubernare munus Dei est 414.
Linguâ quis fructuosè vtatur 418.
Linguarum species octo ex S. Scriptura 420.
Lingua per omnes alphabeti literas discurrens 425.
Linguæ & oris freni qui? 424.
Lingua equus ibid. *Seuerè tractari debet* ibid.
Eius Sessor aliquando Deus, aliquando Dæmon ibid. vide *Sermo.*
Ludouicus Rex Poloniæ & Hungariæ, quâ industriâ inuestigabat, quid de se & magistratu suo populus sentiret 267.
Ludouicus Francorum Rex cur Possiacus denominari voluit 325.
Lutheri dogmata Poloni execrantes, retrahunt iuuentutem Vittembergâ 158.
Luxuria describitur 359. & seq.
Virtutes expellit, peccata introducit ibid.

Est ignis ibid. Præses eius Asmodæus ibid.
Scorpioni quomodo similis 94.
Ex Luxuria quæ oriantur mala 361. & sequentibus.
Luxuriæ Currus describitur 362.
Item lectus eiusdem 363.
Lysimachus sitis impatiens Regnum perdit 304.

M.

MAgistri scientiâ vigilantes, vitâ dormientes qui? 69.
Cui similes ibid.
S. Malachias à D. Bernardo laudatus 494.
Mali semper plures sunt quàm boni 299.
MARIA Virgo tota odorifera 88.
Etiam nomen eius odoriferum ibid.
Odorum suauitate omnes superat 90.
Copiâ item & efficacia eorundem ibid. & sequentibus.
Odores virtutum Deiparæ, Filium Dei è cœlo in terram attraxerunt ibid.
Iidem peccata extinguunt, & Dæmones in fugam vertunt 94.
Iidem mortem Deiparæ fecerunt odoriferam 95.
Maria est Altare Placationis 93.
Maria omnium Sanctorum ditissima 105.
Mariæ vitis præstantissimæ, fructus 97. & sequentibus.
Mariæ venter beatus & aureus 101.
Mariæ uterus pretioso thesauro onustus 107.
Maria est vitis, aureis vitibus præstantior 105.
In ea flores & fructus coniunguntur 108.
Fuit Paradisus 110. & seq.
Quos custodes animæ & corporis habuit 114.
Quis gladius flammeus eam protegens 115.
Vocatur Hortus conclusus ibid.
Quæ seræ & claustra huius Horti 117.
Maria est speculum contra Basiliscum Tartareum efficax 253. & 255.
Maria Speculum, nunquam sine stella 254.
Est Speculum nunquam fallax 255.
Maria non tantum non pecauit, sed nec potuit peccare 115.
Potuit tentari exteriori tentatione, in peccatum induci non potuit 112. & seq.
Maria nonnisi quater locuta in Euangelijs 18.
Vocatur Nubes leuis 119. & seq.
Item Tabernaculum Dei, omnibusq; Tabernaculis à S. Scriptura celebratis præfertur 122. & seq.
Maria altissimo sanctificandi modo sanctificata 126.
Digna cui mundus sanctitatem suam gratuletur 128.
Est Mater simulq; Virgo 130.
Est Mater veri Salomonis 137.
Quia est Mater Filij Dei, nullo peccato contaminari debuit 140. & seq.
Quare eam Christus vocat Mulierem? 139. & seq.
Bis tantùm mulier, octies Mater IESV vocata 140.
Mariæ dominium in creaturas 147. & seq.
Mariæ nomen Dæmones fugiunt 253.
Maria est Stella 254.
Mariæ encomia 93. & 97.
Mariæ cultus signum prædestinationis 255.
Martyrum fortitudo ex sanguine Christi 14.
Et ex vulneribus eius 46.

Matthias Hunniades quâ viâ aliorum de se sensum indagabat 267.
Mensium Rex apud Iudæos quis 474.
Mileſiæ Virgines quomodo à ſua inſania liberatæ 563.
Minerua ſpeculum aſpiciens, tibiam proïcit 243.
Miraculum vnum quomodo altero maius 472.
Miſericordia erga indigentes commendatur 453.
Monachus alienas virtutes conſiderans, in humilitate proficit 259.
Moneta locus cudendæ pecuniæ dicitur 220.
Mors etſi ignominioſa, innocenti non eſt infamis 84.
Mors impiorum ſemper ignominioſa 85.
Mortis memoria ſalutaris 309. & ſeq.
Mors duplex peccatoris, duobus circulis notata 340.
Mors Calani imprudenter laudata 96.
Mors à puero illata, ignominioſa 85.
Similiter à fœmina ibid.
Mortem Saul ſibi adſciſcit ibid.
Mortem omnes horrent 540.
Mortis falx volans 541.
Eadem falx eſt longa & lata 545.
Eadem peccata hominum in ſe habet ſcripta 547.
Mors curſore quouis velocior 542.
Item quibuſlibet nauibus 543.
Equo vehitur ibid.
Vbiq; graſſatur 545.
Morti nullus vnquam reſtitit ibid.
Mors ſæpè peſtilentiam ſibi aſſociat 546.
Mortis obliuio peccata generat 549.
Mundus verſiformis 334.
Mundi figura Iericho 294. & ſeq.
Mundi aduerſitates ſunt ſagittæ ſub quarum vmbra fortiùs pugnandum 271.
Mulier ſymbolum voluptatis & peccati 120.

N.

Natura humana an dicenda nouerca? 305.
Nomen Pandoræ illi conueniens 290.
Eidem per peccatum quatuor vulnera inflicta 295.
Noë figura Chriſti 161.
Nox aptum tentationibus & pœnis tempus 321. & ſeq.
Numerus certus in Scriptura Sacra pro incerto vſurpatur 185.

O.

Oculorum mentis excœcatio quanta pœna 307. & 520.
Eius cauſæ ibid. & ſeq.
Odorum corporis ſectatores carpuntur à SS. Patribus 89.
Odor Quietis quis dictus? 92.
Odor peccati teterrimus 181.
Idem Deo Angelis, & Sanctis execrabilis 182. & ſeq.
Odores virtutum Chriſtianum decent 90.
Odore virtutum inſignitores Sanctos, D. Bernardus recenſet 91.
Odor virtutum poſt mortem gratiſſimus 96.
Ollæ veſtigium in cinere turbandum 366.
Opera ad ſpeciem bona diſplicent Deo 184.
Oppugnatio Ieroſolymæ in latere deſcripta quid indicet 190.
Oratio eſt actus Religionis & præſtantiſſimum ſacrificium 429.
Orat quiſquis eſt verè Theologus ibid.
Oratio eſt omnino neceſſaria 431.

Dissellit tenebras & illuminat 432.
Tentationes auertit 433.
Peccata propulsat: & quibus modis 436. & sequentibus.
Virtutes in animam introducit 437.
Cum Deo coniungit, & per hoc munit 438.
Diabolum reprimit ibid. & seq.
Oratione quod indignum sit, nihil admittendum 437.
Sine oratione citò & grauiter peccatur 439.
Orationem Dominicam cœlestis iuris peritus docuit 221.
Oratio Iudæ cur mala? 441.
Oratio quando sit in peccatum 442.
Orationis bonæ conditiones quinque 443. & sequentibus.
Orationi charitas dat alas 455.
Oratio peccatoris non exauditur, quo sensu? 457. & seq.
Oratores ignem spirantes 420.
Oris custodia. vide Lingua.

P.

PAlmes fructuosus viti adherere & purgari debet 152.
Pantheon templum multa Ethnicorum simulachra continebat 207.
Panthera in hominem & eius imaginem sæuit 207.
Benefactori suo monstrat iter in solitudine 415.
Pauperes sunt castra pro nobis bellantia 358.
Passio Christi. vide Christus, Crux, Flagellatio Vulnera Christi.
Peccatum propriè est malum 63.
Propriè nuncupatur ignorantia, & insipientia 64. 387. & seq.
Est corruptio animæ 35.
Est quid distortum & obliquum 58.
Est abyssus 197.
Est omnium immundissimum 340.
Est quodlibet graue, 120.
Peccatū cōmissū generat aliud 181. 337 363.
Est crebrò & peccatum, & causa, & pœna peccati 341 & seq.
Secundùm quatuor genera causarum, vnum peccatum potest esse alterius causa, iuxta S. Thomam. 344.
Peccatum generat tristitiam 298.
Peccatum omne (etiam veniale) aduersatur legi Diuinæ 57. & 179.
Peccatum ex infirmitate ac impotentia nanascitur 63.
In peccatum cecidisse quomodo interdum vtile 201. & seq.
Peccatum graue cum gratia Dei consistere non potest 7.
Ex peccato quinque damna maxima 296. & sequentibus.
Ob vnius peccatum nonnunquam magnus populus punitur 279.
Post peccatum comparuerunt in mundo spinæ 181.
Peccatum vt non regnet in suo corpore, potest vnusquisq; efficere 300. & 199.
Pro peccato sacrificium, thus & oleum non admittit 487.
Pecccatum qui per pœnitentiam eluit, sapit 164.
Peccatum Originale, est caput serpentis Tartarei 113.
Re licet sit vnum, virtute tamen est multiplex ibid.

Pecca-

Peccatum pro hostia peccati 38.
Peccata sunt vtres veteres 5.
Dicuntur Vetera & cur ibid. & seq.
Inueteraſcendo roborantur 7.
Peccata sunt summum & infinitum malum 177.
Fugienda etiamsi Deum latere possent 176.
Peccata cordis, oris & operis in vinea
Sodomorum adumbrata 170.
Sunt labruſcæ fructus q. pessimi 176.
Sunt & fructus imperfecti 178.
Sunt fructus putidi, & odoris teterrimi 181. & seq.
Sunt spinæ 179. & seq.
Sunt zizania 306. & fusè seq.
Sunt magnus animæ cruciatus 180. 232. & sequentibus.
Similia aspidi 171.
Eorum lethifera dulcedo illustratur 173.
Sunt vestes sordidæ, fæces, cadauer putridum 182
Eorum grauis odor, Deo Angelis & hominibus Sanctis ibid. & seq.
Peccata enormia per seipsa damnata 339.
Peccata longo vsu confirmata, diù curanda 180.
Peccata cur vocentur debita 209. & seq.
Cur item funes? 342. & seq.
Nō possunt cōmitti sine contēptu Dei 206.
Sunt quodam modo Deicidia 207.
Vim faciunt pietati Dei 346.
Peccata in sacculo Dei signantur 218. & sequentibus.
Peccata aliena potiùs quàm nostra cognoscimus 264. & seq.
Peccata vertiginem generant 310. & seq.
Pleraq. Simulatione virtutum palliantur 321.
Vocantur Sanguis & quare? 338. & seq.
Peccata non omnia Diabolo tentanti ad scribenda 323.
Peccatorum sitis solâ morte in nonnullis extinguitur 302. & seq.
Peccata bibere quid sit? ibid. & seq.
Peccata mortalia sunt trabes domicilij Diabolici 50.
Peccatorum causæ internæ 388.
Peccatorum neglectu vulnera maiora euadunt 467.
Peccatorum tres differentiæ, per tres mortuos à Christo resuscitatos indicatæ 472.
Peccata etiam hominum perfectiorum ex S. Chrysost. 226. & seq.
Peccata septem mortalia, septem gentes à populo Dei delendæ 345.
Sunt septem phialæ, iræ Dei plenæ 346.
Sunt & vasa iniquitatis bellantia ibid.
Sunt septem capita Draconis 347.
Quarum belluarum hæc capita 349.
Sunt quoq. septem flumina Æthiopiæ 349.
Sunt septem Reges calcandi 387.
Peccata Deus varijs plagis punit 269. & sequentibus præcipuè à 275.
Peccata licet profundè animam penetrent à Deo tamen delentur 532. & seq.
Propter peccata commissa dolor commendatus 521.
A solo Deo datur 522.
Peccata venialia sunt festucæ 51.
Quare fugienda ibid.
Sunt tormenta bonæ conscientiæ 52.
Sunt pabulum ignis Purgatorij 51.
Ex illis nemo potest surgere, nisi Deo adiuuante

adiuuante 200.
Peccata quomodo fructuosè puniantur 211. & sequentibus.
Puniendorum causæ ab antiquis Philosophis assignatæ 214.
Contra peccata odium S. Scripturæ 172.
Peccatorum consuetudo diligenter cauenda 467. & seq.
Etiam ab Ethnicis damnata 470.
Vinci & corrigi potest ibid.
Ad peccatum impulsores qui? 196.
Peccatis assuetus est fœtens Lazarus 472. 487.
Peccator propriè miser & pauper &c. 296. & sequentibus.
E peccato nunquam sine Dei auxilio emergit 297.
Peccatores dormiunt proiecti in capite viarum 306.
Peccator quo pacto fiat Diabolus 315.
Peccatori tot sunt Dij, quot peccata 505.
Peccatores in circuitu ambulant 311. & seq.
Peccatorum odore qui recreantur, sunt similes vulturibus 90.
Peccatores pancratiastæ 347.
Peccantes ex consuetudine, grauia peccata pro nullis habent 469.
Peccatores conuersi sunt corona Christi 534. & seq.
Peccator potest de se ipso pœnam sumere 213.
Peccare vt quis sciat, magistro non est opus 303.
Pecunia Diaboli 219.
Pelagianus error circa peccata 322.
Peregrinationes Boleslai Criuousti 232.
Perfectum iuxta Aristotelem quid est? 287.
Perfectus extitit ne aliquis hactenus 280.
Perfecti in Scriptura Sacra nonnulli numerantur ibid.
Perfecti appellantur etsi culpis non careant. 281.
Ad perfectionem quibus gradibus ascenditur 284.
Perfectio in charitate consistit 275. & seq.
Perfectio triplex iuxta S. Thomam 287.
Perfecti sunt opera manuum Dei 308.
Pestis quando & peccatorum pœna 276.
S. Petrus dens Ecclesiæ præcipuus Eius pœnitentia 165.
Phœnix fanus suum procurat 95.
Plutonis galea qualis 177.
Placentes sibi varia sortiuntur nomina 250.
Pœnitentiæ Sacramentum à Christo institutum 530.
Est actus iudicialis 532.
In eo primarius Iudex est Christus ibid.
Est Ecclesiæ torcular 164.
Pœnitentiæ vinum lachrymæ 166.
Pœnitentiæ digni fructus qui? 211. & seq.
Pœnitentiæ corona speciosissima 200.
Pœnitentia animam reddit candidam 531.
Est medicamentum efficacissimum 535. & sequentibus.
Pœnitentia Ezechiæ Regi victoriam contulit 277.
Pœnitentia Boleslai Criuousti 233.
Polonia & discipulorum numero & ingeniorum præstantiâ floret 397.
In Poloniam Stanislaus Hosius Cardinalis, Religiosos Societ. IESV introduxit 398.
Poloni antiqui Hæretici inimicissimi 156.
Eorum cum Crucigeris pax composita 275.
Pugnaturi cum hoste conscientiam expiabant

expiabant 778.
Polonus exercitus per nocturna spectra vexatus ob ieiunium violatum 322.
Poloni Quadragesimæ obseruantissimi 489. & sequentibus.
Pomum Fenellæ confodiens iaculis 295.
Praxiteles speculorum inuentor 241.
Præcepta Dei quomodo sunt speculo 244.
Præsentiæ Dei memoria quid præstet; quidue eius obliuio? 381. & 404.
Est cordis custos fortissimus 404.
Principia rerum tria 18.
Prophetæ fuerunt oculi Christi 29.
Prudentia virtutum genitrix & gubernatrix 403.
Prudentis emblema 384.
Puer vix natus locutus 135.
Alter etiam futura prædixit ibid.
Pueritia vide Ætas tenera
Pulchritudo interior potiùs attendenda quàm exterior 229.
Pulcher vt sit malus, dedecet 242.
Pythagoras in speculo sanguine scribens 254.

Q.

QVadragesimæ Christianorum, dies Expiationis antiqua figura 485. & seq.
Quadragesimam consecrauit Christus 486.
Eius ieiunium strictè seruatum à Polonis 489.
Præclarum dictum Hosij Cardinalis de Quadragesima 490.
Quies animi summè necessaria omnibus 490. & sequentibus.
Exemplo Dei commendata 492.
Peccata putantibus necessaria 493. & sequentibus.
In eadem vox Dei commodè auditur, Spiritus salutis concipitur 495. & seq.
Vita item animæ facilè restituitur 497.
Quietem animæ festi dies afferunt 498.

R.

RApacis hominis exitus terribilis 191.
Rebellio Prouinciæ alicuius quomodo Romanis indicabatur 207.
Recti homines qui in Sacra Scriptura vocantur 292.
Omnis virtus est quædam Rectitudo ibid.
Regis Og lectus ferreus describitur 362.
Regum præsentia ditat vrbes 499.
Regnum amissum per sitis impatientiam 304.
Regula dicta quasi Rectula 56.
Religiosi appellantur perfecti ob vitæ statum perfectum 281.
Appellantur & Sancti ab Origene 282.
Rempublicam benè ordinatum quinque declarant 399.
Rhamnusia quæ Dea olim fuerit 553.

S.

SAbbathum. vide Festus dies.
Sacerdotum homines à peccatis absoluentium sedes quàm sublimes 533.
Sagitta Regis Israel sagitta salutis 46. & 270.
Sagitta Iulij Cæsaris, Sagitta fiduciæ ibid.
Sagitta Ionathæ, Sagitta pacis 47. & 269.
Sagitta violenta absq; peccato quæ? 45.
Sagittæ plagas aliquando significant à Deo immissas & tribulationes 269. & seq.
Per Sagittas diuinat Rex Babylonis 269.
Per Sagittas calamitatum quomodo diuinandum. 270.

Salomon

Salomon adumbrat Christum 133. & *seq.*
Sancti digni, quibus gratulatio fiat 128.
Similes speculis. A Christo illuminantur 256. & *sequentibus.*
Sanctorum vitam contemplari vtilissimum 257. & *seq.*
Sanctificationis modi tres 126.
Sanctitas vitæ præstat miraculis 75.
Sanitas cur difficilè acquiratur 263.
Satisfactio Deo pro peccatis explicatur 210. & *seq.*
Sbignei Olesnicij Episcopi Cracouiensis, singulare factum 157.
Idem Quadragesimam strictè ieiunauit 490.
Schismatici sunt palmites præcisi 160.
Schismatici quidquid agant saluari non possunt 159.
Schola Christi noua, in qua ipse docebat 69.
Scholas erigendi inuentum laudatissimum à mundi exordio continuatur 395. & *sequentibus.*
Collegiorum quatuor auctor Stephanus Batthoræus Rex 398.
Scholarum cura quanta in Carolo Magno Imperatore ibid.
Vide *Academia.*
Scire quæ oportet omnes 389.
Scriptura Sacra Ecclesiæ turris cum propugnaculis 166.
Est clypeus quo vtrumq; latus muniendum 167.
Præbet lumen nauigantibus 168.
Est tanquam Pharos 169. & 392.
Est fauus mellis ibid.
Est speculum animæ 243.
Diligenter inspiciendum 245. & *seq.*
Qui eo inspecto profecerunt? 246.
Scriptura Sacra est fluuius planus & altus 393.
Sedere quid interdum significet 561.
Seleuci & nepotum eius nota in corpore, anchora 189.
Seneca Sextium legens fortior in aduersis 194.
Sensus quinque hominis, similitudinibus illustrati 408.
September Mensium Rex apud Iudæos 474.
Sepulchrum vatis cuiusdam sub Constantino Imperatore Inuentum 21.
Sermo rei accommodari debet 412.
Pro examinandis in sermone verbis statera multiplex 422.
Serpens aquam bibiturus venenum euomit. 17.
Serpens dipsas flatu suo aues deijcit 94.
Sigismundi Primi Poloniæ Regis Symbolum 309.
Silenorum imaginibus qui similes 229.
Silentium Religiosorum laudabile 426. & *sequentibus.*
Silendo loqui discimus 419.
Siletur fructuosè quando nulla est necessitas loquendi 416.
Item vt peccata euitentur 417.
Vide *Lingua.*
Simulachra in Templo Pantheon, & Pacis & Belli indicia 207.
Sisanes Rex, Dominus verborum non rerum 444.
Sitis impatientiâ Regnum amissum 304.
Speculorum auctor Praxiteles 241.
Specula quædam à natura hominibus data ibid.
Speculorum vtilitas multiplex 242.

Specula

Specula antiqui Christiani vitabant 244.
Specula animæ quæ sint? 243. & seq.
Speculum quid docuerit Mineruam ibid.
Speculum mirabile in Templo Cereris 245.
Etiam in Templo Smirnensi 252.
Speculum Pythagoræ augurale 254.
Speculum planum concauum, & conuexum quomodo fuit Christus 249. & seq.
Specula concaua Archimedis 250.
Speculum in aqua mersum stellam ostendit 254.
Speculo simili homo 256.
Speculum animæ vita Sanctorũ 258. & seq.
S. Stephani facies Angelica vnde 228.
Stephanus Rex Bosnensis ob auaritiam sagittis confixus 358.
Superbia peccatorum origo 349. & seq.
Superbia dipsadi similis 94.
Superbia vexat eos qui nihil patiuntur 192.
Ex superbia nascitur Hæresis 352. & sequentibus.
Superbiæ vincendæ modus ex S. Bernardo 353.
Superbi sibi placent 350. sibi canunt ibid.
Alios contemnunt 351.
Iniurioſi Deo & proximis ibid.

T.

Tabernaculi Abrahæ dignitas 124.
Tabernaculi itẽ à Moyse constructi 123.
A Sole oriente quomodo adorabatur ibid.
Tamerlanes Scytha victor insolens 297.
Templum est requies opulenta 499.
Templi Salomonis nitor, & in illud impensæ 145.
Templum Dianæ Orthiæ flagellationibus celebre 188.
Templa Ægyptiorum deforis speciosa, intus belluam aliquam continebant 229.
Templa qui frequentant duplicem confusionem effugiunt. 489.
Templum Dei corpus nostrum 262.
Tentationibus vita humana constat 433.
Tentari & induci in tentationem quid? 435.
Terræ tremorem non timent Galatæ 332.
Testimonia inimicorum validissima 41.
Thebani filijs signum in fronte inurebant? 189.
Timor Dei cordis humani custos 405.
Titij iecur immortale quid notat 233.
Titulos splendidos communiter homines conquirunt 530.
Tribulatio conducit ad salutem 188.
Est signum filij legitimi & dilecti 189.
Tribulatio humilitatem generat 191. & sequentibus.
Est incus virtutis 434.
Tribulatio iustorum quinque præclara notanda habet 188. & seq.
Tribunal conscientiæ incorruptum 234. & sequentibus.
Tribunalia incorrupta esse debent 235.
Turres ex caluarijs cæsorum 168.

V.

Valerianus post mortem fœtens ex sepulchro eijcitur 183.
Væ tibi, cuidam Episcopo inclamatum 319.
Verbum Dei lucerna 393.
Verecundiâ vanâ depositâ audiendum 394.
Verecundia quadruplex 394.
Vestis Dei triplex dum orbem conderet 146.

Vestiũ primi parentũ ante peccatum quæ? 293.
Vestiũ Alexandri Magni ex igne purior 294.
Vestiũ Heliogabali onus voluptatũ ibid.
Vestiũ Demetrij cœlum referens, & vestiũ gaudij ibid.
Vestium mollities quarta rota currus Luxuriæ 362.
Vetustas triplex 509.
Via viuens quæ? & cur sic dicta 54. & *sequentibus.*
Viarum index Ianus, dux Mercurius ibid.
Via quam Diabolus ab anima postulat 297.
Via literarum notis exarata 425.
Victoria quæ glorioſissima 325.
Victores equum ascendentes victũ pro scabello vsi 297.
Victor Scipio coronatus triumphat 535.
Vindicta ad Deum spectat 368.
Vindictæ appetitus prohibetur 366. & *sequentibus.*
Exemplum illustre non vindicantũ se Dauid 367.
Vinea Christi Ecclesia 161. & *sequentibus.*
Vinea Sodomorum quid adumbret 170.
Vinea facta communis quæ fuit? 176.
In vineã è specula vox: Rectum ambula 400.
Vinum est sanguis vuæ, & quare sic appelletur 26.
De hoc sanguine fabulæ ibid.
Vinum cur dari Regibus prohibetur 376.
Quibus diebus illud attingere nefas fuit 526.
Vinum gratiæ. 2. eiusdem effectus varij 3.
Cur dicatur nouum ibidem & seq.
Nouos vtres requirit & quos? 5.
Vinum doctrinæ 8. Auctor eius Christus 10.
Vinum ab Hebræis dictum mistura vel mistio 9.
Vinum sanguinis Christi regiâ magnificentiâ dignum 11.
Est abundans, & præcipuum vinum 12.
Eius effectus 13.
Vinum Eucharistiæ Virgines germinans 15.
Est exhilarans & ad laudem Dei excitans 16.
Quibus dandum 17.
Vinum ægris animabus salubre, pœnitentia 165.
Ad hoc videndum & bibendum omnes inuitamur 166.
Virga Aaronis Mariæ figura 108.
Virginitas laudatur 97.
Virginum status, hortus conclusus 116. & *sequentibus.*
Virginitas semper armata debet esse gladio pudicitiæ 403.
Virtus in cœlum eleuat homines 122.
Virtutum odor 90. & *sequentibus* & 182.
Ex virtutibus & sanctitate mira leuitas 121.
Vitis vnde dicta? 2.
Vites aureæ admirabiles 105. & *sequentibus.*
Vitis eodem die florens & fructificans 109.

Rerum & Verborum notatu digniorum.

Vitis palmites fructuosi? & quomodo alligandi & purgandi 152.
Voluptatis typus mulier 120.
Vulnus à Charitate Dei glorioſum 47.
Vulnera Chriſti ſunt ſagitta præſtantiſſima 45.
Eadem ſagitta cor diaboli tranſfixit ibid.
Salutem humano generi attulit 46.
Fortitudinem animi generat ibid.
Cor hominum inflammat 47.
Bellum peccatis indicit 48.
Vulnera Chriſti hoſtem profligant 47.
Vulnera omnia abſq; peccato Chriſto inflicta 48.

Vide Facies.

Z.

Zebee & Salmana rogant, à Duce interfici non à puero imbelli 85.
Zelus puritatis, præſtans cuſtos cordis 403.
Zeno ad ſpeculum curioſa proponentem duxit 242.
Zizaniorum cum peccatis ſimilitudo 306. *& ſequentibus.*

A. M. D. G.

Errata.

IRrepserunt non pauca in hunc Librum errata. V.G. pag: 6. exeundi pro exuendi. pag: 23. pretiosimo pro pretiosissimo. pag: 41. animantium pro amantium. pag: 59. adiungitnr pro adiungitur. pag: 94. idem pro ijdem. pag: 102. in suo biecto pro subiecto. pag: 113. mulierem? dele? pag: 114. quod pro quot. pag: 169. Ptolomæus pro Ptolemæus. pag: 213. delictâ dele ^ pag: 264. nosttæ pro nostræ. pag: 272. Vinceutius pro Vincentius. pag: 283. arrarum pro arrharum. pag: 292. copore pro corpore. pag: 293. primi homini pro primo homini. pag: 295. cœlesti pro cœlestis. pag: 339. hamauæ pro humanæ. pag: 348. nominem pro hominem. pag: 351. Dicto pro dicti. pag: 358. Casâ dele ^ pag: 364. locus pro loco. pag: 386. apellatur pro appellatur. pag: 300. præterer pro præter. pag: 399. ant pro aut. pag: 406. afferar pro afferat. pag: 445. Solomonis pro Salomonis. pag: 478. omissum quòd. pag: 482. alium pro aliud. homnis pro hominis. pag: 536. post sanctum? dele? pag: 555. homiues pro homines. pag: 558. maguo pro magno. Sunt & alia, quæ tute lector facilè aduertes.

I by Vox Salomonis I Sybrandus
w Dzięgli wpot słowy oprawie Salomonis.
Ksiądz Zofolna

